Digitized by Google

Hi 9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

ANNO M DCCI

publicata.

Cum S. Cæſareæ & Regiæ Polonicæ Majeſtatum privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes, THOM. FRITSCHIUM, FRID. GROSCHUF & PH. W. STOCK.

Typis CHRISTIANI GÖZI.
A. MDCCI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Kalendis Januarii Anno MDCCI.

HISTORIA PTOLEMÆORUM ÆGYPTI REGUM, AD FIdem Numiſmatum accommodata per JO. VAILLANT Bellov, D. M. & S. Ducis Cenomanenſis Antiquarium.

Amſtelodami apud Hugetanos, 1701. in fol. Alphab. 2. plag. 9.

Celebre in Actis noſtris nomen eſt Vaillantii, ob egregia in re numaria hucusque edita ſcripta, quæ apud eruditos amœniſſimi hujus ſtudii cultores applauſum meruere. Hæc inter cum pridem hiſtoriam Regum Syriæ, a nobis in Actis hiſce A. 1682 p. 121 ſeq. recenſitam, ad antiquorum numiſmatum fidem edidiſſet in lucem, pollicitus fuit, ſe Regum Ægyptiorum hiſtoriam pari fide aliquando editurum. Feciſſet id ſtatim, ſi eadem facilitate Lagidarum ac olim Seleucidarum numiſmata cruere potuiſſet; ut ipſe fatetur in operis præfatione. In his enim pene ſingulis ſignata occurrerat certiſſima illa nota temporis, quam Seleucidarum epocham dicimus, cui accedebant libri Macchabæorum & Joſephi hiſtoria. In Ptolemæorum vero nummis, præter ſolam quandoque annorum regni notam numeralem, reliqua obſcura & prope deſperata illi videbantur; cum apud hiſtoricos præter inſignia illa nomina, & in nummis præter confuſam appellationem ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, nihil ferme obſervaret. In æreis, quos plures viderat, pauci aliquot habebant addita nomina quædam ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ac ΦΙΛΟΠΑΤΡΟΣ, verum ſine effigie Principis, caput Jovis ubique oſtentantes, ſi excipias Cleopatram Reginam, La-

thyri & Alexandri matrem,& Selenen Lathyri conjugem, cujus utriuſque imago expreſſa in illis habetur. Ex aureis,in tanta horum penuria, parum illi erat ſubſidii,quemadmodum nec in argenteis ſecundi aut tertii moduli. Confugiebat itaque ad argenteos nummos maximæ formæ, in quibus conquirendis viginti annos fuit occupatus, ut nunc plures poſſideat unus,quam ſunt in univerſis totius Europæ cimeliis. Ex his tum varios Regum vultus diſtinxit, tum ex appoſitis regni annis ſingulos quoſque ſuis locis diſpoſuit,non parum etiam in hoc negotio adjutus rebus, ſymbolis & nominibus, communi autorum conſenſu cuique propriis. Ante omnia autem in illuſtranda hiſtoria ſollicitus eſſe voluit de conſtituendo canone chronologiæ ſecundum Olympiades tum & annos ante natum Chriſtum, Lagidarum, & uniuscujuſque Regis. Ægyptiorum itaque regno ex Ptolemæo geographo & Petavio tribuit annos 294, initio ſumto ab Olympiade 114. In Regum annis nunc aliquos addit, nunc contra demit,cum hiſtorica aliaque monumenta id jubeant. Alexandrum II cum Manutiis, Petavio & Uſſerio non duntaxat reſtituit,ſed & variis Tullii locis verbisque Suetonii perſuaſus, illi ſex annos & aliquot menſes adjudicavit. Sunt autem Reges ſequentes : Ptolemæus I, vulgo ΣΩΤΗΡ; Ptolemæus II ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ dictus; Ptolemæus III vocatus ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ; Ptolemæus IV ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ dictus; Ptolemæus V appellatus ΕΠΙΦΑΝΗΣ; Ptolemæus VI ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ vocatus; Ptolemæus VII dictus ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ II, vulgo ΦΗΥΣCΟΝ; Ptolemæus VIII appellatus ΣΩΤΗΡ II, vulgo LATHYRUS; Ptolemæus IX dictus ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ cum BERENICE Ptolemæi Soteris filia; Ptolemæus X vocatus ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ II; Ptolemæus XI appellatus NEOS ΔΙΟΝΥΣΟΣ, vulgo AULETES; Ptolemæus XII dictus ΔΙΟΝΥΣΟΣ; Ptolemæus XIII vocatus ΝΕΩΤΕΡΟΣ; CLEOPATRA Regum ultima. Totum Lagidarum ſtemma ſubjecit indici Regum Ægypti, præmiſit vero canoni eorundem chronologico. In rebus geſtis Ptolemæorum enarrandis noluit occupari in referendis ſolis autorum verbis, ut in Seleucidarum hiſtoria fecerat, ſed hiſtoricum egit,ea amplexus, quæ propius ad verum viderentur accedere, laudatis tamen ubique ad marginem autoribus,quorum teſtimoniis res firmari poteſt. Eandem præterea obſervavit methodum, qua fuerat uſus in Seleucidarum Regum hiſtoria,præmittendo Regis cujuſque vultum,æneis formis

Digitized by Google

…. I.
ig. I.

ut apparet, tant[illegible] (qualia ſubinde in nu-
mis obſervantur) parum abeſt, ut accedamus illorum ſententiæ,
in vexatiſſimo illo numiſmate Ptolemaico, in hoc quidem Vailla

op

thyri & Alexandri matrem & Selenen Lathyri conjugem, cujus utri-







potest. Eat-
ræterea obſervavit methodum , qua fuerat uſus in Seleucida-
egum hiſtoria,præmittendo Regis cujuſque vultum,æneis for-
mis

mis inſculptum, ut tum facile ſinguli dignoſci poſſent ex nativis lineamentis, tum in ipſo ore cujuſque ſtatim legeretur, qua quis indole ad regnum acceſſerit. Recenſitis ſingulorum factis, nummos omnes adjunxit, qui quidem in ejus manus venerunt, cujuſcunque metalli fuerint, in quorum poſtica parte ubique ferme aquilam fulmini inſiſtentem, vel in memoriam aquilæ Ptolemæo I infanti ſanguinem pro lacte inſtillantis, vel in ſymbolum fortitudinis & poteſtatis, videre licebit; antica interim parte, ſolum Principis vultum repræſentante. Ita enim, ut exemplis rem illuſtremus, Ptolemæi I quatuor exhibentur numiſmata, quorum ſingula Regis faciem ſolam antica parte repræſentant: in poſtica vero primum aquilam fulmini inſiſtentem cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ; alterum aquilam ſimilem, cum epigraphe ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ, & literis ΑΒ, id eſt, *Αβυδηνῶν*, a quibus nempe cuſum fuit numiſma; tertium præter aquilam eandem, eandemq; inſcriptionem, literas ΠΗ initiales *Πηλουσιωτῶν*; quartum loco aquilæ, caput muliebre, quo Berenicen ultimam Ptolemæi Soteris conjugem deſignari Vaillantius putat, cum eadem qua primum epigraphe, exhibent. Paria in ſequentium Regum nummis deprehendas, niſi quod in nonnullis anni inſuper regni notati ſunt, e. g. in quodam Ptolemæi Philadelphi, L I C, i. e. *λυκάβαντος* ſeu anno 16; in alio LΛC, i. e. anno 36. Sed non ingratum forte benevolo Lectori fuerit, ſi integra quædam numiſmata, ſpeciminis uberioris loco, hic repræſentaverimus. *Primum* itaque eſto, quod inter nummos Ptolemæi Philadelphi primum apud Auctorem eſt. In eo parte anteriore caput Regis diademate ornatum, ſine omni inſcriptione conſpicitur: parte poſteriore aquila cum ſubjecto pedibus fulmine, velut perpetuum Regum Ægypti inſigne, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, literiſque a ſiniſtris aquilæ ΚΙ, velut initialibus *Κιτιέων* ſeu Citienſium in Cypro, a dextris vero L ΜΘ, i. e. anno 49, æræ nempe Lagidarum, quem in annum Philadelphi duodecimum incidere Vaillantius opinatur. Sed quid ſignum illud ſibi vult, quod in area literis L ΜΘ ſubjectum conſpicitur? Nam de eo quidem Auctor in explicatione plane ſilet. Quod ſi vero, ut apparet, tantùmodo ſignum eſt monetarii (qualia ſubinde in nummis obſervantur) parum abeſt, ut accedamus illorum ſententiæ, qui in vexatiſſimo illo numiſmate Ptolemaico, in hoc quidem Vaillantii

Tab. I. Fig. I.

Digitized by Google

opere nuſpiam comparente, a Jacobo Gretſero autem libro II de Sancta Cruce capite XXXVIII ſpectantium oculis ſubjecto (quod & nos *ſecundo* loco hic exhibemus) monogrammate inter aquilæ pedes conſpicuo, quod alias Chriſti eſt, non niſi monetarii nomen indigitari putant. Qua de re legi forte merentur, quæ in ſchediaſmate de Monogrammate Chriſti cap. I Jo. Burchardus Menckenius noſter commentatus eſt. *Tertio* loco nummum ſiſtimus Ptolemæi Evergetis, in quo, quæ in parte averſa ad dextram aquilæ viſuntur verba, LH annum regni ſeptimum, pilei vero duo aſtris inſigniti Dioſcuros, ſeu Caſtorem & Pollucem, deſignant. Nimirum cuſus ille nummus in Phœnicia eſt, & quidem apud Tripolitanos, in qua urbe præcipuus Dioſcurorum cultus fuit. Ubi obſervari operæ pretium fuerit, quod etſi urbes pleræque Ptolemæorum imperio ſubjectæ initialibus nominis ſui literis ſignare nummos fuerint ſolitæ, Phœnices tamen, literarum loco, civitatum ſuarum inſignia apponere maluerint. *Quarta* figura Ptolemæi Philometoris nummum ſiſtimus, in cujus parte averſa pluſcula ſe offerunt notatu digna. Et primum quidem inſpicienda aquila, non fulmini tantum inſiſtens, ſed & palmæ ramum intra alam dextram inſertum oſtentans. Porro attendenda inſcriptio duplici circulo comprehenſa: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. Ubi primo nova illa & inſolens *Dei* occurrit nomenclatura, Syriæ Regum, ut Auctor monet, exemplo adſcita. Tametſi enim & antea iſtud epitheton defunctis jam & conſecratis Ægyptiorum Regibus fuerit tributum, teſtibus numis Ptolemæi Soteris & Berenices, Philadelphi & Arſinoes, cum epigraphe ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, *Deorum Fratrum*, apud Noſtrum p. 40, 52, Seguinum p. 56, Spanhemium de Præſt. Num. p. 404, 406: primus tamen Philometor noſter vivus illud admiſit. Deinde & cognomen Philometoris in epigraphe illa vel ideo animadvertendum, quia poſt Ptolemæum I, quem Soterem appellant nummi, unus hic Ptolemæorum fuit, qui cognomen in numiſmate exprimere ſuſtinuerit. Unde & tanti a ſe factum hunc nummum Auctor memorat, ut viginti aureis coronatis eum emere non dubitaverit, idemque pretium illi promittit, qui, Sotere & Philometore exceptis, alium ſibi Ptolemæum tetradrachmalem argenteum cum quodam cognomine ſit ſuppeditaturus. Uti vero Ptolemæus Philometor Deum ſe nuncupari paſſus fuerat: ita in Ptolemæi XI, qui

Fig. 2. Fig. 3. Fig. 4.

qui Νέος Διόνυσος, & vulgo Auletes cognominatur, nummo quodam, quem *quinto* loco nos exhibemus, Dei quidem nomen omiſſum, aſt Deorum expreſſa inſignia deprehendas. Nam in antica parte caput ipſius corona radiata cum diademate ornatum, & ſuper humerum tridens, Neptuni inſigne, comparet; ut velut alterum maris Numen videri queat: in averſa cornucopiæ cum pendulis & corona itidem radiata conſpicitur, literis ΔΙ Dioſpolitas notantibus. Claudat agmen numiſma *ſextum*, in cujus anteriore parte caput Cleopatræ diadematũ, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ, i. e. *Regina Cleopatra Dea nova*, (ſic enim per excellentiam dici voluit, nullo addito Deæ nomine) in poſtica caput nudum Antonii cum inſcriptione ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΤΟΝ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ, i. e. *Antonius Imperator tertium, Triumvir*, exhibetur. Ubi id unum cum Auctore monemus, ab Antonio *tertium Imperatoris* titulum ob Armeniam, capto ejus Rege, velut a ſe deviĉtam, propria auctoritate uſurpatum, cum non niſi bis decreto Senatus Imperatorem vocatum conſtet. Fig. 5. Fig. 6.

Appendicis loco dedit Auctor *Ægyptum Numiſmaticam* ex Imperatoribus Romanis deſumtam, & ordine alphabetico urbes illius cum diverſis ſymbolis ac notis exhibentem, quæ ſunt *Alexandria, Apollonopolis, Arſinoë, Buſiris, Dioſpolis magna, Hermopolis, This, Cabaſa, Canopus, Coptus, Cynopolis, Leontopolis, Lycopolis, Marea, Memphis, Mendes, Menelaus, Metelis, Oxyrynchus, Panopolis, Peluſium, Pinamus, Proſopis, Sais, Sebennutus, Setbron, Tanis, Tentyris, Hypſelis*. Quæ omnia magnam omnino rei nummariæ ſtudioſis præſtabunt utilitatem, & Autori parient laudem, quam illi, olim Seleucidarum, nunc Lagidarum hiſtoriæ ſcriptori, filius Joh. Franc. Vaillant D. M. Scholæ Paris. anagrammate, ET E NILO LAUS NATA, auguratus fuit. Expectamus interea, quod in præfatione promittit opus, in quo illorum omnium Principum, quorum numiſmata occurrunt, hiſtoriam breviter idiomate Gallico, in eorum gratiam, qui Latinis literis non ſunt imbuti, complexus eſt. p. 100. ſeq.

JOH. GEORGII NEUMANNI, SS. THEOL. DOCT. ET PROF. Publ. Witteberg. Primitiæ Diſſertationum Academicarum.

Witteborgæ, apud Mayerum & Zimmermannum, 1700. 8. Alphab. 1. plag. 9.

QUamvis eo jam loco ſe conſtitutum intelligat Maxime Reverendus Autor, quo nonniſi maxime fructuoſa & quæ ad Eccleſiæ emolumentum proxime ſpectant, conſectari decet, noluit tamen interire penitus illa προγυμνάσματα, in quibus olim occupatus fuit Eruditorum more, quibus animum perpolire levioribus exercitiis volupe eſt, donec ſublimioribus capiendis idonei reddantur. Equidem plura dare potuiſſet induſtriæ juvenilis ſpecimina, ſi & *origines cognominum*, & *fabulam de Fauſto præſtigiatore*, & *imagines fluminum Poeticas* abs ſe aliquando excuſſas, aut Philoſophica quædam de *copula*, de *radice dubitationis Philoſophicæ*, de *indifferentia affectuum*, de *optima Reipublicæ forma*, de *diſſimilitudine ſtaturæ*, de *jure naturæ Hobbeſiano*, de *ſimulatione morbi in cauſis civilibus*, aliaque iſtius generis meletemata, prioribus vitæ academicæ annis conſcripta, voluiſſet addere. Sed cum in his ne ſibi quidem ipſi ſatisfactum fuiſſe fateatur, ideo ut illa diſpereant, atque ex hominum oculis ſummoveantur, facile ſe permiſſurum innuit. Has autem, quas nuncupavit Diſſertationum ſuarum primitias, in cathedra quondam publico examini ſubmiſit, eaſque biga programmatum ſingularium antehac itidem jam evulgatarum ſtipavit. Prima diſſertatio *ſpongiam ori Chriſti admotam* conſiderat, & difficultates circa loca Matth. XXVII, 48. Marc. XV, 36. Luc. XXIII, 36. & Joh. XIX, 29. moveri ſolitas tollere ſtudet. Secunda *ſyllogiſmi in oratione beneficium* oſtendit. Tertia *hiſtoriam Philippi Arabis* recenſet, reque diligentius expenſa, Philippum hunc, licet a nonnullis primus Chriſtianorum Imperator vocetur, Chriſtianum tamen minime fuiſſe monſtrat. Quarta circa *Patrum retractationes* occupatur, quamvis haud ita ſtricte Patribus ſolum Eccleſiæ inhæreat, ſed & quoſdam rei literariæ principes viroſque doctos alios alleget, qui vel accuſentur retractationis intempeſtivæ, vel ſuam ipſi retractationem palam indicent. Quinta de *parallelis* agit *hiſtoricis*, perſonaſque introducit multis a ſe invicem paraſangis diſtantes, quarum tamen res geſtæ ita inter ſe conveniunt, ut ne in minimis quidem diſſimilitudo appareat. Sexta *Reges* ſiſtit *Romani Pontificis ſtipendiarios*; & ſeptima *Metaphraſtas, qui novum Teſtamentum*

Græco

Digitized by Google

Græco carmine expreſſerunt. Octava *Pſalterium Salomonis* pro libro ὑποβολιμαίῳ ex inſtituto venditat. Nona *Methodum Auguſtinianam a Fratribus Walenburchiis* male jactari innuit. Decima naturam atque ſcopum *parabolæ* contemplatur, tandemque undecima cum duodecima *poſitiones* quasdam *miſcellaneas ex humanitate poetica depromtas* exhibent. E duobus, quæ annectuntur, programmatibus primum de *fontibus Biblicis* diſſerit, alterumque Davidicum illud ἐπινίκιον paſchale, quod LXX Interpretes tranſtulerunt ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου, Pſ. XCVI 10, cum veritate Hebraica confert.

DISSERTATION PRELIMINAIRE, OU PROLEGOMENES ſur la Bible &c. par Mr. LOUIS ELLIES DU PIN &c. Tome II.

i. e.

PRÆFATIO AD BIBLIA SACRA, AUCTORE LUDOVICO ELLIES DU PIN. Tomus II.

Pariſiis, apud Andream Pralard, 1699. 8. Alph. 1. pl. 9. chartæ auguſtæ.

DE inſtituto Auctoris nihil nunc dicendum eſt, cum illud jam indicatum ſit a nobis, cum primum operis hujus tomum menſe Januario *ſuperioris anni pag. 1. ſeqq.* recenſeremus. Nunc itaque ex *ſecundo*, quem exhibemus, quique librorum Novi Teſtamenti hiſtoriam complectitur, nonnulla memoratu forte non indigna, in medium afferemus.

Primo itaque de auctoritate atque canone librorum Novi Teſtamenti commentatur. Nimirum poſtquam paucis ediſſeruit, quam docendi veritatemque propagandi rationem Chriſtus Servator, dum inter mortales verſatus eſt, tenuerit, quodque ſcribendi quidem munus Apoſtolis diſcipulisque ſuis impoſuerit; ad auctoritatem librorum N. T. veritatemque factorum, quæ in iis narrantur, agnoſcendam, ſequentia ut extra dubium poſita ſint, neceſſe eſſe exiſtimat. Ut ſcilicet certo ſciamus primo, libros Novi Teſtamenti ab iis profectos eſſe, quorum præferunt nomina, Apoſtolis videlicet aut diſcipulis Chriſti, Cap. 1.

qui

qui ea quæ narrant, aut oculis ſuis uſurparint ipſi, aut a teſtibus fide dignis acceperint: libros etiam hoſce neutiquam eſſe corruptos: eos porro, qui iſtos compoſuerint, viros fuiſſe fide dignos, quibus in mentem venire non potuerit, diſſimulare veritatem, aut figmenta ſua pro veris narrationibus lectoribus obtrudere: præterea, eos non falli, nec fallere potuiſſe, quod & factorum & doctrinæ Servatoris ſatis fuerint gnari, & quod neutiquam potuerint aut facta aut doctrinam aliter recenſere, quam aut illa, aut hanc accepiſſent. In hiſce ergo ordine evincendis demonſtrandisque occupatur. Sed cum neminem temere fugiant ea, quæ hic in controverſiam veniunt, aut argumenta quibus eruditi pugnare ſolent, nolumus res notas commemorando lectoribus faceſſere moleſtiam. Corruptos autem eſſe (ut hoc unicum ſaltem addamus) libros N. T. dum negat, non hoc ita intelligit, ac ſi non in quibusdam locis illorum, qui codices deſcripſerunt, negligentia, aut incuria, verba aut voces quædam immutatæ ſint (id namque concedit) ſed quod eo modo non ſint corrupti aut depravati, ut de hiſtoriæ aut doctrinæ veritate ullum alicui ſuboriri dubium poſſit. Atque hanc ſententiam inde maxime probat, quod autographa Evangeliſtarum atque Apoſtolorum ab Eccleſiis, in quarum gratiam aut evangelia ſua ſcripſerunt, aut ad quas epiſtolas ſuas miſerunt, magna diligentia atque religione fuerint conſervata. Hinc ſi vel maxime, inquit, qui evangelia iſta aut epiſtolas deſcripſerunt, in animum induxiſſent, quicquam in illis immutare, non tamen diu fraus iſta ignorari potuiſſet. Quis vero (ita porro rationes ſubducit) crederet, etiam omnes, qui codices ſacros deſcripſerunt, in fraudem quandam conſpirare potuiſſe, aut reliquos Chriſtianos, præſertim Eccleſiæ doctores, quibus facultas erat ipſa autographa conſulendi, & reliqua exempla cum iis conferendi, eandem non fuiſſe detecturos? Sed cæteras, quas addit, ejusdem generis rationes, nunc ſilentio prætermittimus.

Cap. II. De Auctoribus librorum N. T. ipſisque libris capite ſecundo verba facit. Et primo quidem dum generatim de vocibus *Novum Teſtamentum*, *Evangeliumque* diſquirit, obſervat, apud Homerum aliosque ſcriptores Græcos vocem Ευαγγελιον denotare præmium, quod illis, qui lætum nuncium afferebant, dari interdum ſolebat. In hac ſignificatione vocem iſtam a ſeptuaginta Interpretibus uſurpari *II. Reg. IV*, *20*. Imo & Ciceronem eam ita adhibere in epiſtolis ad Atti-

Atticum *lib. II. cap. III. O! ſuaves tuas epiſtolas, quibus evangelia deberi fateor.* Aſt ſcriptores ſacros ipſam doctrinam Chriſti Servatoris hac voce deſignaſſe. Nomina ſcriptorum & tituli, qui hodie libris quibusdam ſacris N. T. ſpeciatim Evangeliis præfixi leguntur, an ab ipſis ſcriptoribus ſacris profecti ſint, dubitat: nihilo ſecius tamen eo tempore, quo Evangelia hæc ſcripta ſunt, eos additos eſſe, a veritate non abhorrere putat. Ceterum cum Lucas profiteatur, plures aggreſſos eſſe hiſtoriam rerum a Chriſto geſtarum litterarum monumentis conſignare, jam pridem inter eruditos diſceptatum eſt, quinam a Scriptore divino ibi indigitentur. Sunt namque, uti Auctor ipſe obſervat, qui Pſeudo-Evangelia ab hæreticis quibusdam compoſita, uti Evangelium ſecundum Ægyptios, S. Thomæ, S. Matthiæ, & alia a Luca innui credunt. Alii autem ad eos Virum divinum reſpicere arbitrantur, qui quidem aggreſſi ſint hiſtoriam iſtam ſcribere, ſed non ad finem perduxerint. Maldonatus denique autumat, loqui Lucam ibi de Evangeliis Matthæi atque Marci, quæ jam tum fuerint compoſita. Et parum ſane abeſt, quin Auctor hanc ſententiam approbet; ſaltem pleraque dubia, quæ ei opponi ſoleant, non magni adeo momenti eſſe judicat. Sic nonnulli regerunt, Lucam indigitare opera imperfecta, eo quod dicat *ἐπεχείρησαν conati ſunt*: ſed obſervat, hac loquendi ratione in Scriptura S. ea etiam denotari, quæ jam completa ſint atque perfecta. Rurſus nonnulli aſſerunt, Lucam contemtim atque abjecte de *illis loqui*, qui iſtud aggreſſi ſint. Quod tamen Noſter negat, cum ſtatim ſubjiciat, *viſum eſt & mihi*, quo ipſo ſe illis veluti aſſociet, qui idem jam antea aggreſſi fuerant. Præcipuum itaque, quod huic ſententiæ opponi poſſit argumentum, hoc eſſe putat, quod Lucas loqui videatur de pluribus, qui ea, quæ de vita geſtisque Chriſti commentati fuerant, ex aliorum acceperant relatione: quod cum de ſolo Marco aſſeri poſſit, non autem de Matthæo, quippe qui ea, quæ ipſe maximam partem viderat, ſcripſit, conſequi inde arbitratur, ad alios Evangeliorum ſcriptores, quam ad Matthæum aut Marcum eum reſpexiſſe. Et hæc ratio tanti eſt Auctori noſtro, ut ea ſola illum impediat, quo minus Maldonato ſuffragetur. Interim nec illis ſubſcribit, qui ad Hæreticorum Pſeudo-Evangelia hæc Lucæ referunt verba. Etenim, inquit, ſi hæc indigitaſſet Lucas, ſine dubio cenſuram quoque addidiſſet: jam vero ponere videtur, eos qui tale quid

aggreſſi ſunt, fuiſſe viros probos atque honeſtos. Deinde omnia fere hæreticorum Pſeudo-Evangelia Evangelio Lucæ ætate poſteriora eſſe contendit. Quibus accedat, quod Evangelium ſecundum Ægyptios, itemque ſecundum Ebræos, neutiquam ab hæreticis ſint profecta, cum Patres antiqui iis uſi ſint: & licet canonicam non habuerint auctoritatem, potuiſſe tamen multa a veritate non aliena in iis contineri. Ex quibus omnibus tandem concludit, plurimos forte ex veteribus Chriſtianis commentarios de rebus Chriſti confeciſſe, ad quos hic ſe referat Lucas, ſed ab Eccleſia tamen quatuor tantum Evangelia, ceu fide præcipue digna, & Divina auctoritate gaudentia, recepta fuiſſe. Obſervat præterea, Patres quoſdam in quaternario Evangeliſtarum numero varia captaſſe myſteria; atque hinc etiam inſignia iſta quatuor Evangeliſtarum fluxiſſe: ſed hiſce illorum cogitationibus, ex intempeſtivo allegorias conſectandi ſtudio enatis, nihil ſubeſſe ſolidi pronunciat. Ad ſingulos librorum N. T. Scriptores deſcendens, primo loco diſſerit de Matthæo. An is idem ſit ac Levi iſte, cujus converſionem Marcus *cap. II. 14.* & *Lucas c. V. 29.* deſcribunt, quæri ſolet. Negat Hugo Grotius, uti Noſter docet, idque ſequentes ob rationes. Primo quidem, quod Matthæus nunquam nomine Levi ſeipſum inſigniat, Marcus contra atque Lucas Levi iſtum nunquam appellitent Matthæum; quod etiam in catalogo Apoſtolorum tantum Matthæus vocetur, cum tamen, ſi reliqui Apoſtoli duobus gaviſi ſint nominibus, ea neutiquam ibi prætermittantur. Deinde & ad Heracleonem, antiquum ſcriptorem, provocat Grotius, qui apud Clementem Alexandrinum a Levi diſcernat Matthæum, itemque ad Origenem, qui aſſerat, Levi non fuiſſe ex numero duodecim Apoſtolorum. Hiſce tamen rationibus neutiquam ſe induci patitur Noſter, ut Grotii ſententiam amplectatur. Primo namque valde veroſimile putat, Matthæum ante converſionem dictum fuiſſe Levi: ſed Marcum & Lucam poſteriori hocce nomine eum inſignire noluiſſe, ut famæ ejus atque exiſtimationi parcerent, quam forte imminutum iri crediderunt, ſi omnes intelligerent, eum fuiſſe publicanum, priusquam Chriſti diſciplinæ ſeſe committeret; ipſum autem Matthæum, ea qua fuerit modeſtia, priſtinum prodere vitæ genus neutiquam dubitaſſe. Saltem id certum putat, ſi quis ſcriptor nomen forte aliquod hominis, qui duobus gaudeat, ſilentio prætermittat, inde non poſſe colligi eo

nomine

Digitized by Google

nomine iſtum non fuiſſe unquam inſignitum. Heracleonis, & qui hunc ſequatur, Clementis Alexandrini, ut & Origenis teſtimonia nullum prorſus trahere momentum, cum nullas aſſerti ſui afferant rationes, nec ſatis rem omnem expendiſſe videantur. Hæc de ipſo Matthæo. Ad Evangelium ejus quod attinet, notiſſima eſt illa, quæ inter eruditos agitatur controverſia, an Evangelium Matthæi Ebraica lingua ab eo fuerit ſcriptum? Si Dupinio credendum, Patres doctoresque primitivæ eccleſiæ unanimi hoc aſſerunt conſenſu. Intelligere autem eos per linguam Ebræam eam putat, quæ eo tempore, quo Matthæus ſcripſit, apud Judæos uſitata fuit, ſcilicet Syriacam. Id rationibus pluribus confirmat. Hæc autem ſi ita ſe habeant, citra ambages illorum, qui Ebraica lingua Matthæum Evangelium ſuum ſcripſiſſe autumant, ſententiæ accedit. Etenim cum antiqui ſcriptores omnes aſſerant, in uſum Judæorum, qui Hieroſolymis & in Judæa vixerint, Evangelium ſuum ſcripſiſſe Matthæum, illis vero abrogare fidem religioni ſibi ducat, neceſſario inde conſequi exiſtimat, Syriaca lingua Evangelium ſuum ſcripſiſſe Matthæum. Ad rationes vero diſſentientium ita reſpondet. Primo quidem, quod vocabula Ebræa aut Syriaca interdum Interpres retinuerit, ſubjuncta tamen translatione in linguam Græcam, uti de vocibus *Emanuel*, *Golgatha*, *Hakeldama* &c. conſtat, id aliis etiam interpretibus non admodum eſſe infrequens. Imo in verſione vulgata & LXX interpretum, haud raro ex lingua Ebræa, ceu originali V.T. emphaſeos cauſa retineri ſubinde, addita mox interpretatione, voces Ebræas. Sic Geneſeos XXXI. 49 poni vocem *Galaad*, quæ explicetur per *cumulum teſtimonii*, Cap. XXXV, 18. *Benoni* per *filium doloris mei*. Exod. XII. *peſach* per *tranſitum Domini* &c. explicari. Porro cum objicitur, non conſtare, an Patres primitivæ Eccleſiæ textum Ebræum Evangelii Matthæi viderint; veroſimile etiam eſſe, eos Evangelium Nazaræorum habuiſſe pro Evangelio Ebræo Matthæi, quod tamen diverſum ab eo fuerit; reſpondet Dupinius, ſaltem de Papia atque Irenæo dici non poſſe, quod Ebræum Evangelium Matthæi non viderint, ipſum etiam Evangelium Nazaræorum fuiſſe Evangelium Ebræum Matthæi, quod Nazaræi in quibusdam ſaltem locis corruperint. Sed illud quoque obſtare videtur, quod loca Veteris Teſtamenti in Evangelio Matthæi ſecundum verſionem Septuaginta Interpretum allegentur. Ad quod reſpondet, primo quidem

non ſemper hoc fieri, ſed interdum veteris Teſtamenti oracula juxta textum Ebræum allegari. Deinde interpretem, qui ex Ebræo in Græcum ſermonem hoc Evangelium tranſtulit, potuiſſe uti verſione ſeptuaginta Interpretum, tanquam recepta valde inter Judæos. Denique qui ſecus ſentiunt, & hoc opponunt, quod Marcus Evangeliſta, qui Matthæi Evangelium velut in compendium miſerit, eadem ſæpius retinuerit verba. Id quod tamen raro admodum factum contendit Noſter: imo ſtylum Marci a ſtylo Matthæi plane eſſe diverſum. Quodſi vero etiam hoc concedatur, potuiſſe tamen Marcum Græcam Matthæi verſionem ſequi, ut adeo in quibusdam eos convenire, mirum non ſit. Conjecturis denique diſſentientium ſuas conjecturas opponit, quas hic prolixius recenſere neceſſe non eſt. Quæ de reliquis N. T. libris eorumque Auctoribus diſſerit, obvia maximam partem ubique ſunt. Epiſtolam ad Ebræos Paulo Apoſtolo, Apocalypſin Johanni argumentis pluribus vindicat. De celebri loco *1. Joh. V. 7.* in utramque partem diſputat, nec tamen certi quid definit. In Græcis codicibus manuſcriptis pleriſque hunc locum deeſſe fatetur; aſt exhibere eum contra codices Latinos, qui antiquitate Græcis non cedant: verſiones reliquas præſertim Orientales recentiores eſſe, quam ut illarum auctoritas hic momentum aliquod afferre poſſit. Atque etiam facile fieri potuiſſe, ut locus hic ex quibusdam codicibus deleretur, & ut explicationis gratia margini inſcriptus in ipſum textum reciperetur. Ad Patres ergo tandem eſſe recurrendum. Aſt Græcos quidem per quinque priora ſecula nunquam hunc locum proferre, qui tamen ingenti illis præſidio, in diſputationibus contra Arrianos eſſe potuiſſet. Ex Latinis doctoribus primum, qui eo uſus dicatur, eſſe Cyprianum. Aſt nec hoc poſitum eſſe extra controverſiam. Potuiſſe enim illum reſpicere ad alterum iſtud oraculum Johannis, quo ſpiritus, aqua & ſanguis teſtimonium perhibere dicuntur. Namque receptum fuiſſe in veteri Eccleſia, hoc effatum de Trinitate perſonarum explicare; id quod exemplo Auguſtini atque Facundi comprobat. Potuiſſe ergo & Cyprianum ſupponentem hunc locum agere de Trinitate, pro ſpiritu, aqua & ſanguine, perſonas Trinitatis ipſas nominare, ſpiritu, aqua & ſanguine denotatas, Patrem ſcilicet, Filium & Spiritum S. Neque excipi poſſe, clarius expoſiturum tum mentem ſuam fuiſſe Cyprianum, ſi ad alterum illud oraculum ſive teſtes terre-

ſtres

ſtres reſpexiſſet. Si enim recepta atque uſitata fuit tum hæc explicatio, ſupervacaneum videri potuiſſe Cypriano prolixius hæc deducere, præſertim cum eo in loco de unitate Eccleſiæ, non autem de Trinitate perſonarum ex inſtituto ageret. Concludit ergo tandem, incertum eſſe, an Cyprianus hoc dicto uſus ſit. Circa finem autem ſeculi V Eugenium Epiſcopum Carthaginienſem, & Fulgentium, itemque Vigilium Tapſenſem hoc oraculo uſos eſſe contra Arrianos, docet: & Fulgentium ad Cypriani etiam provocare auctoritatem, ac ſi eodem dicto uſus eſſet. Sed progredimur ad alia.

Textum Græcum N. T. capite III paulo accuratius ſibi conſiderandum ſumit. Et initio quidem repetit, eundem in iis, quæ ad ſummam doctrinæ Chriſtianæ, veritatemque hiſtoriæ ſpectant, non eſſe corruptum, imo nec corrumpi potuiſſe: interim dum ab autographis plurima deſcripta fuerint exempla, mendas quamplurimas ſubinde ſcribarum culpa irrepſiſſe. In hiſce itaque corrigendis, atque emendandis, doctiſſimos Eccleſiæ Patres operam induſtriamque ſuam collocaſſe. Quos inter Origenem maxime laudat atque Hieronymum: quanquam hic non tam ipſum textum emendaverit, ſed ad codices emendatiſſimos accuratiſſimosque verſionem Latinam correxerit. Interim ad hujus exemplum textum Græcum recte pro norma poni, ad quem verſiones omnes ſint exigendæ. Objicientibus autem, ſi Hieronymus emendatiſſimos codices ſecutus ſit in ſua verſione, eam etiam lectionem, quam verſio ejus exprimit, pro vera eſſe habendam, adeoque omnes codices Græcos ad hanc verſionem eſſe exigendos; quod tamen vix admitti poſſit, cum textus Græcus in illis etiam locis, in quibus a verſione Hieronymi diſcrepat, nihilo ſecius cum antiquiſſimorum Patrum lectione conveniat; reſpondet, Hieronymum non in omnibus, ſed quibusdam ſaltem locis, verſionem Latinam ad textus Græci veritatem emendaſſe; præterea fieri potuiſſe, ut ipſa verſio Hieronymi in quibusdam ſive per ſcribarum negligentiam atque incuriam, ſive per alias verſiones cum Hieronymiana conjunctas, ſive denique per intempeſtivam criticorum induſtriam, immutaretur. Indeq; adeo concludit, ſi vel maxime textus Græcus modernus a verſione Hieronymi differat, neutiquam ſtatim ex eo inferendum, eundem quoque diverſum eſſe a textu Græco, quem ſecutus eſt Hieronymus. Ad Bedam itaque provocat, ejusque exemplum laudat, quod Cap. III.

differentiam quandam inter textum Græcum atque verſionem Latinam deprehendens, hanc potius minus accuratam, quam illum corruptum aut depravatum dicere maluerit. Ceterum ad varietatem lectionum, quæ in textu Græco deprehenduntur, dum revertitur, eas præcipue editiones, in quibus textus Græcus cum lectionibus variantibus editus fuit, recenſet. Tum porro de codicibus manuſcriptis, textum Græcum exhibentibus, diſſerit, & tres præcipue ceu antiquiſſimos celeberrimosque commemorat, Vaticanum ſcilicet, S. Theclæ, qui Londini aſſervetur, & Cantabrigienſem. De ultimo cumprimis ſolicitus eſt, docetque, quatuor Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum hujus codicis a Theodoro Beza Lugduni in monaſterio S. Irenæi inventa eſſe: eundem tamen, opera fratrum Puteanorum, nactum eſſe codicem manuſcriptum, in quo epiſtolæ Pauli eadem ratione deſcriptæ fuerint, quem adeo pro parte prioris codicis habuerit. Mortuo Beza priorem partem, Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum continentem, bibliothecæ Academiæ Cantabrigienſis, poſteriorem Regis Galliæ inſertum fuiſſe. Accurate hunc codicem deſcribit, & in eo criticos convenire aſſerit, codicem iſtum ante mille circiter annos ſcriptum eſſe. Verſionem quoque Latinam, ſed a vulgata diverſam, eadem manu ſcriptam ei additam docet, quæ accurate cum textu illo Græco, a reliquis codicibus Græcis multum diverſo, & additionibus quoque variis locupletato, conveniat. Multum de hoc codice diſputatum fuit inter viros criticæ artis peritos, ſententiamque Bezæ, Morini, Richardi Simonis, & Arnaldi refert Noſter: ipſe vero in eam tandem ingreditur ſententiam, codicem hunc a privatæ ſortis homine eſſe ſcriptum, & ad verſionem quandam Latinam, eo tempore receptam, emendatum, vel corruptum potius. Unde ſequi docet, diſcrepantes codicis hujus lectiones non magni eſſe momenti. De corruptis hinc depravatisque tum textus Græci, tum verſionis vulgatæ locis, pluribus diſſerit, & occaſiones fontesque corruptionum indicat, quas cum nemo temere ignorare queat, repetere ea, quæ Auctor dicit, nolumus. Subjungit etiam quædam de lingua Helleniſtica, quorum ſumma huc redit: Helleniſtas dictos fuiſſe olim Judæos, qui lingua Græca utebantur, quorum nonnulli quidem, Ebrææ quippe ac Syriacæ linguæ ignari, pure atque emendate locuti ſint ſcripſerintve, alii autem Scripturæ S. lectioni aſſueti, Ebrææ linguæ idiotiſmos Græcæ admiſcuerint,

rint. Id quod qui ab ineunte ætate lingua Ebræa aut Syriaca uſi fuerant, adhuc eo minus evitare potuerint. Præſertim autem eos, qui libros Biblicos explicaverint, aut in linguam Græcam tranſtulerint, loquendi formulas Ebræis uſitatas cum lingua Græca conjunxiſſe, unde lingua iſta Helleniſtica, hoc eſt, Græca idiotiſmis Ebraicis referta, tandem enata fuerit.

De verſionibus Novi Teſtamenti paucis verbis diſſerit. Nos illud ſolum obſervamus, quod Syriacam verſionem inter Orientales antiquiſſimam quidem eſſe fateatur, aſt errare tamen eos, qui ante quintum aut ſextum ſeculum illam confectam fuiſſe autument. Editiones autem hujus verſionis recenſens, Ægidium Gutbierium, qui A. 1663 Hamburgi Novum Teſtamentum Syriacum edidit, per errorem *Gutbinum* vocat. Subjungit tum quædam de Novi Teſtamenti inſtulos & capita diſtinctione, & ad Apocryphorum Novi Teſtamenti recenſionem ſe confert. Diſputat hinc de Litteris Chriſti ad Edeſſenorum Regem Agbarum, & hujus ad Chriſtum: de Epiſtolis Mariæ Virginis: de Evangelio ſecundum Ebræos & Ægyptios, itemque de Protevangelio Jacobi & Evangelio Nicodemi, quæ omnia ab hæreticis quidem profecta negat, canonicam tamen abjudicat iis auctoritatem: tum porro de iis, qui hæreticos agnoſcant auctores, & aliis ejusdem commatis ſcriptis, quæ omnia ſuppoſititia eſſe evincit. Idem etiam pronunciat de Symbolo Apoſtolico, illud ſcilicet neutiquam ab Apoſtolis eſſe confectum. *Idque probat primo, quia neque Lucas in Actis Apoſtolorum, nec alius quiſpiam* ſcriptor eccleſiaſticus ante ſeculum *quintum* hujus rei, Apoſtolos ſcilicet ſymbolum aliquod confeciſſe, injiciat mentionem. Deinde quod Patres trium priorum ſeculorum, contra hæreticos diſputantes probare multis rationibus annitantur, doctrinam in ſymbolo illo comprehenſam, eſſe doctrinam ipſorum Apoſtolorum: quod ſane, inquit, ſupervacaneum fuiſſet, ſi ipſum ſymbolum ab Apoſtolis fuiſſet profectum. Præterea ita quoque rationes ſubducit: ſi Apoſtoli ſymbolum aliquod confeciſſent, ſine dubio ab omnibus Eccleſiis fuiſſet illud receptum. Jam vero conſtare, non omnes Chriſtianos unum habuiſſe ſymbolum. Imo plurima veterum extare ſymbola, quæ licet in doctrinæ ſumma conveniant, verbis tamen loquendique formulis multum a ſe invicem diſcrepent. Ad teſtimonia etiam Irenæi, Tertulliani aliorumque Patrum, quæ diſſen-

Cap. IV.

Cap. V.

Cap. VI.

ſen-

ſentientes opponunt, prolixe reſpondet. Finit tandem hoc caput de canonibus & conſtitutionibus Apoſtolorum, aliisque ſpuriis antiquitatis monumentis quædam obſervando. Premit autem in his omnibus doctiſſimorum criticorum, hæc ſcripta ceu parum genuina rejicientium, veſtigia.

Cap. VII. In ultimo operis hujus capite agit de profanorum ſcriptorum monumentis quibusdam, quæ pro religione Chriſtiana produci atque laudari ſolent. Primo ergo loco hic comparent Sibyllæ cum ſuis oraculis. Et quoad iſta quidem oracula, quæ hodienum octo libris comprehenſa extant, ea ſuppoſititia eſſe atque ſpuria, neminem amplius dubitare aſſerit. Et ſane ex tempore, quo hoc opus conſcriptum ſit, & ſtylo etiam, & rebus ipſis, quæ in eo proferuntur, hoc quam luculentiſſime demonſtrari poſſe. Nec aliter pronunciat de iis oraculis, quæ laudantur ab ipſis Patribus: imo ea non fuiſſe diverſa ab illis, quæ hodie habemus, contendit. Namque ea Sibyllarum oracula, quæ a Romanis tanto ſtudio aſſervata ſunt, a Patribus non fuiſſe introſpecta vel exinde patere ait, quod nemini ad libros Sibyllinos inſpiciendos, niſi publica auctoritate, aditus olim conceſſus ſit. Aſt ea oracula, ad quæ Patres provocent, in omnium fuiſſe manibus. Accedere ait, quod Sibyllini iſti libri Romæ olim aſſervati res profanas & ad ſuperſtitionem gentilium ſpectantes complexi videantur, quod ſubjectis exemplis docet: cum contra oracula a Patribus laudata graviſſima doctrinæ Chriſtianæ capita nos edoceant. Plures alias ejusdem generis rationes addit, aſſeritque, ſecundo ſeculo poſt Chriſtum natum libros hosce Sibyllinos eſſe confictos. Quo anno autem lucem primum adſpexerint, quisque illorum verus auctor ſit, id definiri non poſſe: interim Auctori valde ſit veriſimile, ſub finem imperii Antonini Pii hunc fœtum in lucem editum eſſe. Quæ objici huic ſententiæ ſolent, diligenter diluit, & tandem contra Voſſium diſputat, contendentem, a Judæis hæc oracula ſubminiſtrata fuiſſe illis, qui a Romanis in Orientem ad conquirenda Sibyllarum oracula, cum Capitolium unaque libri Sibyllini incendio periiſſent, miſſi erant. Namque tum alias, tum hanc præcipue rationem huic ſententiæ obſtare putat, quod oracula Sibyllina multo clarius de Chriſto loquantur, quam ullus Prophetarum locutus ſit: ut adeo hæc teſtimonia a Judæis neutiquam proficiſci potuerint. Hæc de Sibyllis. Quæ de libris Mercurii Triſmegiſti,

ſti, epiſtolis Lentuli atque Pilati, in quibus Chriſti Servatoris mentio injiciatur, de Senecæ quoque atque Pauli epiſtolis, porro diſſerit, ſilentio prætermittimus, cum nemini dubium eſſe poſſit, quin hæc omnia ceu ſpuria rejiciat. De teſtimoniis Joſephi, in quibus Chriſti Servatoris, Johannis Baptiſtæ, atque Jacobi Apoſtoli mentio injicitur, ita diſceptat, ut nihil definire audeat, magis tamen in illorum propendeat ſententiam, qui hæc quoque, præſertim primum illud & maxime illuſtre de Chriſto teſtimonium, a manu Chriſtiani cujusdam hiſtoriæ Joſephi inſertum ſtatuunt. Tandem & de Philone, Joſepho Juſto, Ariſtea, Ariſtobulo, Joſepho Gorionide, Beroſo, Pſeudo Dorotheo atque Zoroaſtro quædam ſubnectit, & ita operi univerſo colophonem imponit.

INSTITUTIONES PLENISSIMÆ, QUIBUS LINGUÆ LATINÆ & præcepta vernacula ſolide traduntur, & cauſſæ notis additis accurate eruuntur, vel examinantur, confecta opera GEORGII HENRICI URSINI, Gymnaſii Ratisponenſis Rectoris & Profeſſoris publici.

Ratisponæ, typis Jo. Ge. Hofmanni, 1700. in 8.
Alph. 5. plag. 13.

QUi A. 1691 Grammaticam Græcam, a nobis menſe ejusdem anni Junio p. 265 ſeqq. recenſitam, nec ſine applauſu ab aliis quoque exceptam, edidit Vir Clariſſimus, nunc Latinam etiam, omnium votis dudum expetitam, publicæ luci expoſuit. *Pleniſſimam* eam jure meritoque ab Auctore ipſo nuncupatam, nemo ibit inficias, cum hactenus luculentæ æque ac numeris tantum non omnibus abſolutæ linguæ Latinæ inſtitutiones nondum prodierint. Quam vero in iis concinnandis rationem modumque Vir diligentiſſimus tenuerit, noſtrum eſt paucis exponere. Et primum quidem monendum, ipſa Grammaticæ præcepta Germanico ſermone, uberiorem vero eorum diſcusſionem Latino ab Auctore proponi, idque prudentiſſime. Cum enim Germanis inprimis, Latinæ linguæ addiſcendæ cupidis, conſultum iret, elementa non alio quam vernaculo iis idiomate exhibenda cenſuit; repudiata inepta illa, ſed paſſim per Germaniam hactenus recepta conſuetudine, qua pueris Latinæ linguæ notitia primum imbuen-

buendis,ejuſque adeo plane ignaris,præcepta Latino ſermone, eaque
terminis inſuper Metaphyſicis,quos miſeri non capiunt, mire obſcu-
rata obtruduntur. Viciſſim ut laboris a ſe exantlati fructus ad exte-
ros etiam & Germanicæ linguæ ignaros redundaret, commentarios
regulis ſubjunctos Latine exhibuit; quod fraudi eſſe Germanis non
poteſt, cum ad illos legendos non admittantur, niſi qui utcunque jam
Latinam linguam callent. In hos vero ſummo ſtudio congeſſit,quæ-
cunque de Latinæ linguæ indole non veteres tantum tradiderunt, ſed
noſtri quoque ævi Grammaticorum principes, Julius Cæſar Scaliger in
libris de cauſis Latinæ linguæ, Emanuel Alvarus in libris de Inſtitutio-
ne Grammatica,Franciſcus Sanctius in Minerva, Gaſpar Scioppius in
Grammatica Philoſophica, Gerhardus Joannes Voſſius in Ariſtarcho,
Bangius in Obſervationibus Philologicis,Monachi Portus Regalis in
Nova Methodo Latinam linguam facile addiſcendi Gallico ſermone
conſcripta (*Nouvelle Methode de Meſſieurs de Port Royal pour appren-
dre facilement la Langue Latine*) & jam octavum A. 1696 recuſa,Jaco-
bus Perizonius in Animadverſionibus ad Sanctii Minervam, aliique
diſceptarunt: ſed ita congeſſit,ut digna ingenuo Viro libertate uſus,
& nunc huic,nunc alii adſtipulatus, ſuum paſſim interpoſuerit judici-
um. Sic enim,ut loco ſpeciminis pauca adducamus, contra Sancti-
um, & qui hunc ubique fere ſequitur, Scioppium, pronomen revera
p. I. partem eſſe orationis a nomine diſtinctam negantes, communem
p. 362. ſententiam tuetur. Adverſus Scaligerum, Sanctium, Scioppium, &
qui ab his non multum diſſentit, Voſſium, verbum neutrum magno
p. 416. conatu eliminantes, veterum communemque doctrinam cum Mona-
chis Portus Regalis in Nova Methodo & Perizonio maſcule aſſerit.
p. 484. Daumium,qui in libro de cauſſis amiſſarum quarundam radicum lin-
guæ Latinæ, verba nominum quorumvis radices eſſe contenderat,re-
futat,mavultque, niſi manifeſta ratio contrarium extorqueat, deriva-
p. 543. re verba a nominibus,quam a verbis nomina. Ex modorum verbi
numero infinitivum excluſerat Scaliger eo, quod nullam animi incli-
nationem oſtendat; Voſſius ex eo,quod numeris deſtituatur ac per-
ſonis: ab utroque diſſentit Noſter, perſuaſus ad conſtituendum mo-
dum diverſam ſignificationem diverſamque inflectendi rationem ſuf-
p. 845. ficere; etſi Bangio, infinitivum modum non æque perfectum eſſe, ac
ſunt reliqui, ſtatuenti non refragetur. Participium diſtinctam vo-
cum

Digitized by Google

cum claſſem conſtituere, nec idem eſſe quod nomen adjectivum, contra Sanctium, Scioppium & Perizonium, cum Scaligero, Voſſio & pleriſque veterum ac recentium contendit, eo quod nomina ſine tempore, participia cum tempore, ipſo fatente Perizonio, ſignificent. Interjectionem non partem tantum orationis eſſe, contra D. Auguſtinum & Sanctium, ſed & diverſam ab adverbio, contra Perizonium comprobat. In phraſibus hiſce, *mea intereſt*, *tua nihil refert*, ſimilibusque, *mea*, *tua*, non ablativos ſingulares fœmininos eſſe, ut Priſciano, Voſſio, Bangio, Monachis Portus Regalis in Nova Methodo, aliisque viſum fuit, ſed accuſativos plurales neutrius generis, cum Donato, Scaligero, Sanctio, Scioppio, & inprimis Perizonio ſtatuit. Viciſſim ſupinis adjunctos accuſativos, e. g. *eo ſpectatum ludos*, ab ipſis ſupinis regi, non a præpoſitione, quæ Græco κατὰ reſpondeat, cum omnibus aliis contra Perizonium ſentit. Sed hæc ſuffecerint, pro inſtituti noſtri modo.

p. 1102. P. II. p. 194. p. 408.

Unum monendum ſupereſt, quod Inſtitutionibus hiſce Grammaticis utiliſſimæ ſubjiciantur Appendices. I. Indiculus Siglarum ſeu Notarum, ex libello Valerii Probi & Jani Gruteri Inſcriptionum opere confectus. II. Indiculus vocum Latinarum variæ vel dubiæ ſcriptionis. III. Perperam ſcripta indicans atque emendans. IV. De cognatione ac permutatione literarum inter ſe. V. De dignoſcenda ſyllabarum quantitate. VI. De mutatione vel alia paſſione literarum in derivatis & compoſitis.

DISQUISITIO CATOPTRICO-DIOPTRICA EXHIBENS Reflexionis & Refractionis naturam, nova & genuina ratione ex æquilibrii fundamento deductam & ſtabilitam, auctore *JO. BERNOULLI.*

POſtquam experientia haud dubie initio ſola docuiſſet mirabiles illas radiorum opticorum affectiones, quibus contingit, ut incidentes in ſuperficiem politam corporis opaci reſiliant in plano ad eam recto ſub angulis *reflexionis* æqualibus angulis *incidentiæ*: item ut penetrantes oblique ex medio uno in aliud diverſæ conſiſtentiæ refringantur in plano ad ſuperficiem ambo media dirimentem itidem recto ſub angulis *refractionis* a linea perpendiculari & radio refracto factis, quo-

rum ſinus ad ſinus ſuorum reſpective angulorum *incidentiæ* conſtantem ſervant rationem; illa quidem Catoptrica proprietate jam veteribus, hac vero Dioptrica non niſi recentioribus demum innoteſcente. Varii exinde Philoſophi & Mathematici extitere, qui varias excogitarunt rationes, quibus hos Naturæ effectus explicarent & demonſtrarent, ſed nullus fuit, qui univerſalem applauſum obtinuerit.

Duos demonſtrandi modos præ cæteris plauſibiles vulgo circumferunt, Carteſii unum mere mechanicum, qui compoſitione motuum nititur; alterum Fermatii, qui metaphyſicus eſt, deſumtus a Naturæ per breviſſimas vias operandi conſuetudine: nactus tamen eſt uterque ſuos adverſarios. Ut enim objectiones omnes taceam, quibus explicatio Carteſiana impugnari ſolet, id unicum multis valde durum videtur, quod per eam ſupponendum ſit, per diaphana alioquin denſioris conſiſtentiæ, qualia ſunt vitrum & aqua, radium opticum facilius & promtius eniti poſſe quam per aërem. Nec eſt, quod Carteſius dicat, aërem eſſe magis villoſum, ideoq etiam magis morari radios quam faciant ſolidiora; quo enim colore aſſeverabit, purum ætherem villoſiorem eſſe aëre craſſo, cum idem accidat radiis ex æthere in aërem, quod ex aëre in vitrum vel aquam tranſeuntibus, utrovis quippe modo ad perpendicularem refringuntur. Fermatii vero hypotheſis ſuis quoque premitur difficultatibus, multisque diſplicet, illis præſertim, qui cauſas finales ex phyſica proſcriptas volunt; quamvis alias nova non ſit, quantum enim ad demonſtrationem æqualitatis angulorum incidentiæ & reflexionis, ea jam uſi ſunt veteres, nimirum Ptolemæus lib. I. *de Speculis*, item Hero Mechanicus in *Catoptricis* teſte Heliodoro Lariſſæo, qui ejus mentionem facit cap. 13. *de Opticis*, qui autem Heronis tractatus temporis injuria interiit. Unde non immerito ſummus noſter Leibnitius (vid. Act. Erud. 1682. p. 187.) ſuſpicatur, recentiores Fermatium & Willebrordum Snellium in veterum Geometria verſatiſſimos eorum principium ex Catoptrica in Dioptricam tantum traduxiſſe: Snellii enim Theorema, cujus meminit Iſacus Voſſius in ſua diſſertatione *de Lucis natura & proprietate* p. 37, quod ſcilicet ſecantes complementorum angulorum incidentiæ & refractionis conſtantem ſervent rationem, in idem plane recidit cum ipſorum angulorum ſinibus reciproce ſumtis, demonſtrante id acutiſſi-

tiſſimo Leibnitio eodem loco ex Actis citato; quia & in univerſum verum eſſe, facillime demonſtrari poteſt, quod quorumvis angulorum ſinus, ſint complementorum ſuorum ſecantibus reciproce proportionales.

Sagaciſſimus Hugenius, haud multis abhinc annis, peculiarem ſuam Catoptrici Dioptricique hujus phænomeni dedit explicationem in ſuo limatiſſimo tractatu *de Lumine*, ex natura *undulationis* petitam, qua vix quicquam curioſius acutiusve excogitari potuiſſet, nec tamen & hæc ad palatum eſt eorum, qui lumen in inſtanti propagari contendunt. Aliarum quarundam probationum tentamina præter jam allata vide in De Chales *Mundo Mathematico* Tom. 2. pag. 536 ſeqq. & pag. 617, at valde coacta ſunt, videntur enim unice experientiæ accommodata eſſe, ita ut ſi de ea nondum conſtaret, pariter nihil certi ex illis a priori concludere liceret. Quantum ad Robervallii modum refractionem explicandi, qui habetur in *Operibus mathematicis & phyſicis Acad. Regiæ ſcientiarum* pag. 74, rejiciendus eſt omnino, utpote in ipſum Dioptrices principium peccans, ex eo enim ſequeretur, non ſinus angulorum incidentiæ & refractionis, eorumve complementorum ſecantes, ſed horum tangentes eſſe in conſtante ratione, contra experientiam; unde ſimul patet, quam infeliciter admodum hac in parte Carteſium ibidem ſuæ cenſuræ ſubjecerit.

Nullus itaque extitit, quantum ſcio, qui puram dederit demonſtrationem, id eſt talem, quæ mere apodictica ſit, nullique certæ hypotheſi, quæ cauſam quandam finalem, vel radiorum motum ſive inſtantaneum ſive ſucceſſivum præſupponat, alligata; adeoque quæ nulli ex recenſitis objectionibus aliisque contra hanc illamve hucusque motis ſit obnoxia: ſed potius quæ in abſtracto propoſita ſemper valeat, quæcunque demum hypotheſis vera vel deprehendatur vel ſtatuatur.

Hujusmodi quidem pro refractione dare conatus eſt Herigonius in ſuo *Curſu Mathematico* Tom. 5. pag. 132. edit. Pariſ. uſus principio planorum inclinatorum, quibus comparavit radios oblique incidentes, at vero excidit auſis: præterquam enim quod ex ſua demonſtratione æque ac ex Carteſiana (quanquam ipſe contrarium dicat) aperte ſequeretur, radios ex medio rariori in denſius ingredientes refringi debere a perpendiculari, & contra ad perpendicularem ſi

ex denſiori in rarius; etiam poſtulatum aliquod aſſumit, quod manifeſte ipſum eſt τὸ κρινόμενον, aut ſaltem haud multo evidentius: tandem quoque ex ea ſequeretur, radios quamdiu in eodem adhuc medio homogeneo verſantur, non æquali facilitate procedere, ſed perpendiculariores facilius, ægrius vero obliquiores a puncto radiante emanare, quod valde abſonum eſt; nulla enim in radiis conſideratur perpendicularitas, nulla obliquitas, niſi reſpectu ad medium aliud diverſæ a priori conſiſtentiæ, a quo autem radii ante appulſum nihil utique mutationis patiuntur, quia radii in omnes partes pari facilitate ſparguntur: niſi quis forte cum acutiſſimo Nevvtono velit aliquam vim attractivam ſtatuere in altero medio, per quam radii ante allapſum jam alliciantur uni fortius quam alii. Vid. Princip. Mathem. Phil. Nat. p. 231. unde etiam Nevvtonus naturam reflexionis & refractionis explicat, ſed ingenioſe magis quam vere: quid enim & unde illa vis attractiva ab illo non exponitur ſed ſupponitur, qua conceſſa fateor perelegantem eſſe Nevvtonianam explicationem, quæ mathematico plene ſatisfaciat.

Verum jam noſtram dabimus, qua rigido Phyſico non minus quam accurato Mathematico ſatisfactum iri ſperamus, aſſumentes ex phyſica aliud nihil, quam quod ab omnibus Opticis, cujuscunque opinionis fuerint alias, facile concedi queat, ex matheſi vero quod jam alibi demonſtratum eſt. Incipiemus autem a refractione, ea enim explicata, reflexionis natura ſponte fere fluet, & ſic tanto facilius intelligetur. Conſtat utiq; 1. reactionem, quæ oritur ex actione aliqua, huic ſemper eſſe contrariam & æqualem, hoc eſt, eandem vim in agens redundare in partes oppoſitas, quam transfert in patiens: communis enim actio ſive illa conſiſtat in ictu, ſive impresſione, ſive in tenſione &c. in utrumq; æqualiter exeritur: ſic quanta vi malleus clavum percutit, tanta quoq; a clavo percutitur; quanta item pondus premit ſubjectam baſin, tanta ab ea premitur; ſic quoq; chorda extenditur & extenſioni reſiſtit viribus paribus &c. Conſtat etiam 2. duas vires æquales ſive inæquales in ſe mutuo libere agentes ad eum ſtatum vel ſitum ſe componere, in quo earum momenta fiant æqualia, ut hoc modo procuretur æquilibrium. Ex hiſce duabus naturæ legibus, nulla prorſus demonſtratione indigentibus, ſic porro argumentor: Sint duo media diverſæ conſiſtentiæ ACD & BCD (vid. Fig. I.) diſtincta per planum

TAB. II. Fig. 1.

CD:



num anguli BEO referentis angulum refractionis in reciproca ratio-
n

CD:

CD; punctum radians A, punctum illuſtrandum B ad quod ſcilicet radius AE pervenire debet per refractum EB: Quandoquidem igitur per legem 1. radius EB tanta vi a reſiſtentia medii BCD repellitur a B verſus E, quanta radius reſiſtentiam eandem ſuperare conatur; Similiter radius AE pari vi a reſiſtentia medii ACD retunditur ab E verſus A, qua ipſi opus eſt ad eandem reſiſtentiam ſuperandam, ſcilicet ab A verſus E. Hinc in puncto E fit conflictus ſecundum directiones BE & AE, duarum virium inæqualium & mediorum reſiſtentiis proportionalium. Hoc autem punctum E per legem 2. ita ſitum eſſe debet, ut vires illæ inæquales ad æqualitatem momentorum, nempe ad æquilibrium reducantur. Res itaque huc redit, *ut in CD determinetur punctum E, in quo potentiæ datæ ſibi mutuo obnitentes ſecundum directiones AE & BE, inter ſe ſervent æquilibrium.* Quod ut inveniam, lubet tantiſper proprietatem centri gravitatis conſiderare, ut pateat, quam pulchre & uti iter ad noſtrum negotium applicari poſſit: videtur enim natura (ſi quis inſtinctus ei attribuendus) hoc ipſo ſtatico principio delectari atque hanc viam ex mechanicis mutuari voluiſſe, ut per eam tanquam per facillimam ad ſcopum ſuum perveniret.

Concipiamus ergo CD ut virgam rigidam (vid. Fig. II) quæ inſtar axis admittat annulum vel verticillum E, ſed ita ut lubriciſſime fluat, id eſt ſine ulla frictione a vi minima ſecundum rectam CD ultro citroque moveri poſſit. Porro huic verticillo duos fingamus funiculos alligatos EAM & EBN, trochleas A & B ſuperambientes, inque ſuis extremitatibus ſuſpenſa ſuſtinentes duo data pondera inæqualia, ut ita verticillus E ſimul ſollicitetur a duabus potentiis ſecundum directiones EA & EB, eodem plane modo, quo radios opticos punctum incidentiæ E, viribus datis inæqualibus urgere diximus, hoc tantum diſcrimine, quod ibi potentiæ agant ſecundum directiones AE & BE premendo, heic vero ſecundum contrarias EA & EB trahendo: patet autem perinde eſſe, ſive prematur ſive trahatur, nam ſemper verum eſſe conſtat, ſi duæ pluresve potentiæ æquilibrium inter ſe conſtituentes, ſingulæ prioribus ſuis directionibus in contrarias partes dirigantur, eas etiam poſtea æquilibrium ſervare. Dico itaque verticillum E, ad eum locum pertractum iri in virga CD, in quo ducta normali RS, ſinus anguli AER repræſentantis angulum incidentiæ ſit ad ſinum anguli BES referentis angulum refractionis in reciproca ratione

TAB. II. Fig. 2.

ne potentiarum trahentium, quæ diaphanorum reſiſtentias vel denſitates exprimunt, hoc eſt ut pondus N ad pondus M: id quod variis modis breviſſime tamen & elegantiſſime ex communis centri gravitatis maximo deſcenſu ſic demonſtro.

Promoveri fingatur verticillus E in e per lineolam indefinite parvam E e, ut funiculi cum ponderibus capiant ſitum m A e & n B e; centris A & B radiis A E & B e deſcripti intelligantur arculi E q & e p, qui pro rectis lineolis habentur. Quoniam igitur commune centrum gravitatis ponderum M & N ad infimum poſſibilem locum deſcendit, erit, quemadmodum ex ſtaticis patet, aſcenſus M m unius ad deſcenſum N n alterius, ut hoc pondus N ad illud pondus M; eſt autem aſcenſus M m æqualis e q, & deſcenſus N n æqualis E p; ipſæ vero e q & E p (ſumta E e pro radio ſeu ſinu toto) ſunt ſinus angulorum q E e & p e E, quorum ille q E e angulo A E R, hic vero p e E angulo SEB ſemper æquantur: Ergo etiam ſinus anguli AER erit ad ſinum anguli BES in ratione ponderum N ad M, unde patet, angulos incidentiæ & refractionis eſſe in data ratione, ſcilicet reciproca mediorum denſitatum. Q. E. D.

Atque ſic ſtabilita Dioptrica radiorum proprietate per noſtram demonſtrandi methodum, facile & eadem ad Catoptricam porrigitur. Cum enim radius reflexus cum incidente in eodem maneat medio, loco ponderum inæqualium repræſentantium ibi mediorum reſiſtentiam ſeu denſitatem, heic pondera ſupponenda ſunt æqualia ob eandem medii poſt reflexionem reſiſtentiam, quæ ambo jam ſupra virgam CD (vid. Fig. III.) conſtituta trahere intelligantur verticillum E. Cæteris poſitis quæ prius, erunt aſcenſus M m & deſcenſus N n inter ſe æquales, quia ipſa pondera N & M ſunt æqualia; adeoque etiam e q æqualis eſt Ep: at quoniam triangula E q e & E p e ſunt rectangula, erit angulus p e E æqualis angulo q E e; ille vero p e E angulo R EB, hic vero q E e angulo A E R ſemper ſunt æquales; ergo etiam angulus REB (reflexionis) æquatur angulo AER (incidentiæ.) Q. E. D.

TAB. II. Fig. 3.

Aſſumſi quidem hactenus refractionem & reflexionem fieri in planis ad plana refringentia & reflectentia rectis, quod etiam ab Euclide, Alhazeno nonnullisque veteribus aliis ſine demonſtratione aſſumtum eſt: Vitellio vero & inter recentiores Keplerus dum id

pro-

Digitized by Google

probare volunt, nihil probant. At vero ſtatim innuere potuiſſem, id ex meo principio ultro ſequi; nam ſi E non tantum in recta CD, ſed in integra quadam ſuperficie liberrime in omnes partes fluere poſſe concipiatur, idque poſtea a duabus potentiis M & N trahi: quis eſt, qui non illico videat, punctum illud non ante quieturum, quam pervenerit ad eum locum, in quo cum punctis A & B ſit in plano ad ſuperficiem refringentem vel reflectentem recto; ſecus enim ſi accideret, in quovis alio plano centrum gravitatis ponderum M & N non infimum poſſibilem deſcenſum obtineret.

Cæterum non inutile erit, ſi jam oſtendero, & ipſam illam metaphyſicam hypotheſin de compendioſiſſima naturæ via, ex meo æquilibrii principio commodiſſime & ſine longa demonſtratione deduci poſſe, imo ſponte exinde fluere, ut ne opus quidem habeam conſideratione angulorum incidentiæ & reflexionis vel refractionis, id quod a nemine hactenus præſtitum ſcio: nam & ipſe Hugenius eam ex undarum ſuarum natura immediate demonſtrare non potuit, ſed cogebatur ex iis prius probare conſtantem eſſe rationem inter ſinus angulorum incidentiæ & refractionis. Vid. Tractat. de Lumine pag. 40. Fermatius & Leibnitius inverſo ordine hoc ex illo probarunt, quod eodem recidit (vid. opera mathem. Fermat. p. 158, & Act. Erud. an. 1682. p. 185.) alterum enim per alterum ſtabilitur. At vero nobis utrumque ſine ſuppoſitione alterius demonſtratur, & quidem de priori, ſcilicet de angulorum *iſtorum* proprietatibus id jam liquet; nunc de altero, nempe de facillima radiorum via porro liquebit.

Ex Staticis patet, centrum commune gravitatis ponderum duorum pluriumve, tunc infimum eſſe, quando ſumma rectangulorum ſub ponderibus & ſuis reſpective diſtantiis a ſuſpenſionum punctis omnium eſt maxima. Erit itaq; M in AM + N in BN omnium maximum; hinc ſi a conſtanti M in MAE + N in NBE auferatur maximum M in AM + N in BN, remanebit M in AE + N in BE omnium minimum: adeoque in Catoptrica, ubi pondera M & N (vid. Fig. III.) ponenda ſunt æqualia, erit dividendo per M, AE + BE id eſt ſumma radiorum incidentis & reflexi omnium minima. In Dioptrica vero, ubi M & N (vid. Fig. II.) mediorum reſiſtentias, adeoque M in AE & N in BE radiorum AE & EB penetrandi difficul-

D tates

tates (nam difficultas radii componitur ex medii reſiſtentia & viæ lon gitudine) denotant; erit difficultas per AE & EB omnium minima, id eſt radius ab A ad B per eam viam venit facillime. Q. E D.

Et hæc ipſa eſt propoſitio, quam Hugenius operoſe, ſed operoſius multo Fermatius, nos vero tribus quaſi verbis demonſtravimus. Illi uſi ſunt vocabulo *temporis*, quod radius impendit ab A ad B; cujus loco nos *difficultatis* vocem adhibuimus, quod ſtudio factum, ut utrovis modo demonſtratio procederet, ſive in inſtanti, ſive ſucceſſive lumen propagari ſtatuatur. Unde noſtro fundamento tanto majorem firmitatem conciliari arbitramur, quod ei ſtatim ſuperſtruatur, nulla peregrina hypotheſi in auxilium vocata, id ipſum, quod alii non tam ex ipſis fundamentis ſuis, quam per eorum ſequelas alienas & remotas eruerunt, aſſumentes interim ex phyſica hoc vel illud, de quo ab aliis ſemper dubitabitur.

GEOMETRICA DEMONSTRATIO VIVIANEORUM PROBLEmatum &c. cum addita appendice de Geometrica Quadratura infinitarum partium curvæ ſuperficiei conicæ &c. Auctore D. GUIDONE GRANDO Cremonenſi, Ord. S. Ben. Congr. Camaldul. &c.

Florentiæ ex typographia Jacobi de Guiduccis, 1699, in 4. Alph. 1. plag. 7.

CLariſſimus Grandus, Celeberrimi V. Viviani *Curioſam Exercitationem Mathematicam*, Etruſco idiomate ante hoc octennium editam non ſolum Latinitate donare, ſed & juſto commentario exornare, & ſingula, quæ Dn. Vivianus, jam ante ſemiſeculum ſecum ſpeculatus fuerat atque invenerat, quæque in Exercitatione ſua ſimpliciter absque demonſtratione determinaverat, demonſtrare dignatus eſt, ſubtiliſſ. B. Cavallerii methodo indiviſibilium ad id uſus. Cum vero Viviane libri in Actis noſtris menſ. Maj. 1694 jam facta recenſio extet, ea tantum hic memoranda reſtant, quæ in Commentario, qui non ita pridem ad nos Illuſtris *Magliabecbii* beneficio pervenit, protulit Cl. Grandus. In Propoſitione VIII Commentarii, Vivianeum Theorema, quod nempe *Superficies Veli Florentini primarii quadrato radii æqualis ſit*, demonſtrat, variis eum in finem adhibitis & præmiſſis propoſitionibus

Digitized by Google

bus: hinc in Propoſit. ſequente ſolutionem deducit, quam Jac. Bernoulli antehac in Actis menſ. Aug. 1692 pro primario (ut Vivianus & Grandus loquuntur) velo exhibuit. Reliquas vero Bernoullianas conſtructiones ibidem extantes coincidere dicit Noſter cum determinationibus velorum ſecundariorum, quæ perforatione ſphæræ ope cylindri recti, baſin habentis curvilineam, obtineri monet, pag. 64 & 65 comment. ad notam nonam, demonſtrationibus tamen in Tractatum ſuum de Sectionibus Sphæro-Cylindricis brevi edendum reſervatis. Pag. porro 167 fontem indicat ſolutionum Florentini ænigmatis, quas in Actis noſtris 1692, p. 274 ſqq. exhibuit ſummus Leibnitius, cujus etiam Quadraturam Circuli numericam per infinitam fractionum ſeriem ex Actis 1682, p. 44 &c. commemorat Noſter p. 148, Comment. Walliſiani inſimul, Brounckeriani & Mengoliani Tetragoniſmi eruditionis ceu inquit gratia, ut humani ingenii conatus & vim admireris in ardui hujus Problematis inquiſitione, occaſione Leibnitianæ a Cel. Viviano tantopere commendatæ Quadraturæ mentionem injiciens, Lectoremque, qui hanc ſibi demonſtratam cupiat, ad Ozanami Geometriam Pract. remittens, cui addere quoque potuiſſet Diſſertationem Bernoullianam de Seriebus Infinitis Prop. 45, ubi eadem ipſo Leibnitiano calculo demonſtrata habetur.

In Appendice tandem, ob materiæ affinitatem Commentario Vivianeorum Problematum annexa, de Fornicibus agens Conicis Doct. Auctor in Prop. II. demonſtrat, *Quamvis portionem ſuperficiei Conicæ Rectæ eſſe ad portionem baſis, per cadentes a ſingulis punctis ſectionis in ſubjectum planum perpendiculares, Ichnographice determinatam, ut latus Coni ad radium Baſis*; (quod eſt ipſiſſimum Theorema D. Joh. Bernoulli, cujus in Actis noſtris 1696, p. 269 mentio extat) hocque innixus Theoremate, quo pacto Fornix Conicus erectus cum Parabolicis, tum Hyperbolicis aperiendus ſit feneſtris, ita ut reſiduum ſit quadrabile, Prop. VI & VII docet; atque tales Teſtudines, Viviani exemplum ſecutus (qui novum ſuum Velum, *Velum Florentinum quadrabile* nuncupavit) *Tentoria ſeu Tabernacula Camaldulenſia* vocat *quadrabilia*, quorum, ob nondum perlecta Acta 1696 menſ. Jun. & Oct. exactam dimenſionem ſe primum inſinuaſſe arbitratur. Cæterum vix dubitare licet, quin Eruditis rem pergratam ſit facturus Inſigniſſimus Grandus, ſi reliquas cum Mathematico-phyſicas tum pure

Geometricas ſpeculationes, quarum ſe compotem innuit in præf. Comment. pag. 6, cum publico etiam communicet.

JACOBI HERMANNI BASIL. RESPONSIO AD CL. VIRI Bernhardi Nieuwentiit Conſiderationes Secundas circa Calculi Differentialis principia editas.

Baſileæ, literis Joh. Conradi a Mechel, 1700, in 8. plag. 4.

NE de differentialium ſubtiliſſima methodo quisquam eam foveat opinionem, ac ſi a difficultatum vepribus parum tutam nobis relinqueret ſemitam, vel ſolidis demonſtrationibus minime ſuffulta eſſet, Auctor edito hoc adverſus Cl. Dni Nieuwentiit Secundas Conſiderationes libello cavere voluit, quo Ampl. Dni Leibnitii cauſam ſuſtinens ſingulas Adverſarii ipſius difficultates diluere ſtudioſe conatur: quod eo minus ſibi vitio verſum iri ſperat, quod nulla ſpes ſit, præfatum Cel. D. Leibnitiũ, tot ſummi momenti diſtractum occupationibus aliis, ad has tricas unquam animum applicaturum. Reſponſionis autem ſuæ in ſex diviſæ capita quinque priora, ſectionibus illis quinque, in quas Secundas ſuas Conſiderationes diſpeſcuerat D. Nieuvventiit, oppoſuit Doct. D. Hermannus, in ultimo capite palmarias differentialis calculi propoſitiones demonſtrans. In primo igitur capite diſquiritur, utrum *quantitates infinite parvæ, ſi cum finitis conjunctæ reperiantur, ceu* nihil *legitime abjiciantur*? quod equidem cum Illuſtri D. Leibnitio ſtatuitur, & Nieuvventiitianis in contrarium allatis objectionibus reſpondetur. In ſecundo Leibnitianorum pro ſecundis vel differentio-differentialibus militantium argumentorum ſoliditas oſtenditur, atque a Nieuvventiitianis itidem objectionibus vindicatur. In tertio Ampl. D. Leibnitii ſolutiones difficultatum in primis antehac Conſiderationibus motarum, adſtruuntur, datarumque in Conſid. ſecundis ſectione III reſponſionum Nieuvventiitianarum momenta expenduntur. In quarto capite ex ipſis Cl. Nieuvventiit principiis, *Infinitum poteſtates admittere unumque Infinitum alio majus concipi poſſe*, demonſtratur; & vitium detegitur in Propoſitionum illarum demonſtrationibus, quibus in Sect. IV. Conſid. Sec. & *Infiniti poteſtates impoſſibiles eſſe*, & *Productum Infiniteſimæ quantitatis*

tatis in ſe, vel aliam ducta, nihilo abſolute ſic dicto æquari, evincere molitus eſt Dn. Nieuvventiit. In quinto Exponentialium methodus a Nieuvventiitianis objectionibus liberatur. In ultimi tandem capitis differentialis Calculi demonſtrationibus deſtinati Propoſitione prima, *Quantitatem finitam, infinite parva ſibi addita demtave, reapſe nec augeri nec minui* demonſtratur, atque in Scholio ſubſequente, adducta Jac. Bernoulli ſuper Dethlevi Cluverii Parabolæ Quadratura Epicriſi, ex ejus ad hunc Epiſtola, Cluveriana methodus quadrandi ſpatia curvilinea &c. perſtringitur. In Propoſit. vero IV & ultima ſecunda differentialia neceſſario dari evincitur. Cæterum Nieuvventiitianam Infinitorum Analyſin a maximis ſcrupulis haud immunem eſſe oſtenſurus Auctor, difficultates ſane haud ſolutu faciliores, neque minoris momenti eis, quas Dn. Nieuvventiit Leibnitianæ methodo objecerat, in capitibus ſecundo & quarto contra ipſius methodum movet.

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI, PROF. MED. ET p. t. Acad. Gieſſenæ Rectoris, Polychreſta Exotica in curandis affectibus contumaciſſimis probatiſſima. Ut & Nova Herniarum Cura. Accedunt ſeorſim olim edita, nunc autem conjunctim prodeuntes Diſſertationes Epiſtolicæ varii argumenti; cum figuris æneis.

Francofurti ad Mœnum, apud Johannem Adamum Jungium, 1701. in 4. Conſtat alphab. 1. plag. 14.

Licet DEUS T. O. M. ſat magnam ſimplicium telluri noſtræ implantaverit copiam; neutiquam tamen, quæ aliis regionibus indulſit Creatoris optimi providentia, inſuper habenda ſunt, imprimis ſi ob climatis, in quo ſuccreſcunt, bonitatem majoribus, quam inquilina viribus gaudeant: & licet ſuccedanea forte dentur, iisdem, aut majoribus quandoque virtutibus inſtructa, raro tamen æque tuta, aut omnium palato & naturæ congrua advertuntur. Mercurium juratum vermium hoſtem eſſe, quis neſcit? ob periculoſa tamen, quæ relinquit in puſillis, ſymptomata vix æque tutus ac Santonici ſemen eſt; Abſinthiaca aliaque vegetabilia amara ſtomacho quidem, palato ta-

men non æque accepta ſunt, quam Fabæ S. Ignatii; antimonialia vomitum cientia dyſenteriam ſiſtunt, non æque tamen tuta obſervantur, atque radix Ipecacuanha. Plura proſtant febrifuga præſtantiſſima, quæ tamen non æque cito febres jugulant ac lapis porcinus, aut cortex Peruvianus. Quæ cum intelligeret Clariſſimus Author, cujus Medicinam Nov. antiquam in Actis noſtris menſe Nov. anno 1698 pag. 520 recenſuimus nova quædam remediorum genera, non ut exotica, ſed ut polychreſta & probatiſſima medicamenta nunc commendat, cumque pleraque eorum pro cathedra Academica ſeorſim hactenus ventilaverit, eadem in præſentem hunc faſciculum colligere conſtituit.

Scilicet Diſputatione I, II, III, & IV agit de Fabis S. Ignatii, (quarum deſcriptionem, figuras, atque virtutes ex Tranſactis Anglicanis menſe Decembri ſuperioris anni pag. 552 ſq. exhibuimus) radice Ipecacuanha, lapide porcino (pedra del porco alias dicto) & cortice Peruviano, in quibus deſcribendis eam ſervat methodum Noſter, ut hiſtoriam eorum naturalem, nomen, ſubſtantiam, qualitates, præparata, uſum, doſin, atque ſuccedanea evolvat, & quidem Fabis S. Ignatii Centaurium minus, radici Ipecacuanhæ radicem Tormentillæ cum emetico maritatam, lapidi porcino calculos, qui in veſica fellea boum ſæpe inveniuntur, cortici Peruviano aliud remedium in ſolo patrio productum, cujus nomen reticet, commode ſubſtitui poſſe exiſtimat. Subnectitur his methodus Helvetii junioris, qua febres omnis generis per Chinam Chinæ in clyſteribus adhibitam feliciſſime curavit, Latinitate donata. In diſputatione V modum uſumque clyſterum tabacinorum exponit. In Diſputatione VI herniarum curam tam cruentam, quam potisſimum incruentam, a Priore de Cabrieres primum inventam, ex ſpiritu ſalis & vino conſtantem deſcribit & examinat; cui methodum Gallorum ſalivatoriam Pariſiis in noſocomio invalidorum (aux Invalides) uſitatam, & e Gallica in Latinam linguam traductam adjungit.

Diſſertationes Epiſtolicæ, quæ has excipiunt, decem numerantur; quarum ſumma capita allegaſſe ſufficiet. Agit ſcilicet I. de natura & eſſentia Naturæ. II. de Conſuetudine, altera natura, & morbis ex conſuetudine redeuntibus. III. de Natura Medica. IV. de Inſtinctu Naturæ. V. de Luſu & Erroribus Naturæ. VI. de Monſtro-

rum

Digitized by Google

rum Haſſiacorum ortu atque cauſis. VII. de origine Fontium. VIII. de Moxa atque Podagra. IX. de nova Matricis & Morbonæ muliebris anatome. X. de Selectu principiorum & præcavenda medicinæ ruina. Librum denique quatuor claudunt appendices, quæ D. Rudolfi Jacobi Camerarii de Sexu plantarum, & D. Chriſtiani Maximiliani Speneri de Muribus marinis, foliis Acmellæ &c. Epiſtolas cum Reſponſoriis Authoris noſtri continent.

Quoniam herbæ Acmellæ modo mentionem fecimus, operæ pretium viſum fuit, ejus hic apponere figuram, ex Diſputatione Johannis Philippi Breynii die 26 Junii ſuperioris anni Lugduni Batavorum ſub præſidio D. Frederici Dekkers habita deſumtam. Nempe exhibet ea Chryſanthemum bidens ſeu Bidens Zeylanicum flore luteo, Lamii folio, Acmella dictum. TAB. II. Fig. 4.

a floſculum denotat ſolitarium.
b. eundem cum annexa ſquamula.
c. ſemina bidentia.

JOHANNIS CLERICI QUÆSTIONES HIERONYMIANÆ, in quibus expenditur Hieronymi nupera editio Pariſina, multaque ad Criticam ſacram & profanam pertinentia agitantur.

Amſtelodami apud J. Lud. de Lorme, 1700. 8. Alphab. 1. plag. 10.

DUo potisſimum in hiſce Quæſtionibus agenda ſibi propoſuiſſe videtur Autor celeberrimus, unum quidem ut Clarisſimo Martianæo, qui in nova editione Hieronymi (de qua conſule Acta anni 1695 p. 98. ſeqq. nec non A. 1699, p. 529 ſeqq.) nominatim & paulo acrius non uno loco in ipſum invectus fuerat, reſponderet, & vicisſim quid in ejus opera Hieronymo præſtita deſiderari posſit, libere exponeret: alterum, ut doceret, quæ ſint Hieronymi ipſius virtutes, quæ vitia & defectus; ut eo rectius de eo ferre judicium ejusque ſcriptis uti lectores queant.

In prima ſtatim quæſtione multus eſt, ut probet, Martianæum, qui laudatisſimum morem eruditorum Monachorum Benedictinorum, nulla recentiores contumelia in novis ſuis Patrum editionibus affi-

afficiendi deſeruerit, ab iis, quæ ab editore ac commentatore Hieronymi jure expectes, imparatum ad illam editionem acceſſiſſe: Latinæ linguæ non adeo peritum, de innumeris Hieronymi locis, vel emendandis vel interpretandis, idoneum non potuiſſe ferre judicium: nec Græcæ eſſe adeo nec Hebraicæ peritum linguæ, ex hallucinationibus illius non paucis, ex ambarum linguarum ignoratione admiſſis, per integrū librum paſſim evincere conatur. Nec eum cum Hebraico Scripturæ textu diligenter ſatis contuliſſe LXX Interpretes, fragmentaq; verſionum Aquilæ, Symmachi & Theodotionis; atque inde multos errores admiſiſſe ipſum, alios autem ab Hieronymo ejusque exſcriptoribus & editoribus admiſſos ſine cenſura & emendatione tranſmiſiſſe notat. Negat propter easdem cauſas, idoneum eſſe Martianæum ad MStos codices recte tractandos, veramque lectionem divinandam & dijudicandam; & quamvis de fide ejus ambigere nolit, quod non obſcure fecit Richardus Simon in Epiſtolis Criticis Gallice nuper editis, permirum tamen eſſe notat, ſubinde ab eo lectiones, imo conſenſum MStorum jactari, contrarium prorſus MStis codicibus non modo Eraſmi, ſed etiam Victorii, qui 1500 amplius locis Hieronymum poſt Eraſmi, quem paſſim petulantiſſime ſugillat, labores, emendaſſe ſe profitetur. Vitio etiam Martianæo vertit Clericus vel inprimis, quod Hieronymo ejusque ſcriptis quibusque nimium tribuat exemplo Eraſmi & aliorum fere omnium, qui autores vel edendos vel illuſtrandos in ſe ſuſceperunt, quod non mediocri veritatis præjudicio ac detrimento fieri, graviter conqueritur. Quamvis vero hæc aliaque in Martianæum diſſerit, ſi qua tamen in hujus labore ipſi arrident, ingenue laudat, ut p. 16. 27. ſeqq. 291. 340. &c. paſſim profeſſus ſe debita laude fraudare ipſum nulla ratione velle.

Quæſtione ſecunda Origenem ab Hieronymo toties celebratum Hebraice ignarum fuiſſe, & in Hexaplis conficiendis vertendisque nominibus Hebraicis Judæi opera uſum contendit, laudato Illuſtris Huetii ſuffragio ex lib. 2. Origenianor. c. 1. §. 2. cui addimus Petavium T. 1. Dogm. Theol. p 561. edit. Pariſ. Albertinum de Euchariſtia p. 533. Morinum Exercitat. Bibl. p. 322. Tillemontium Memoir. ſur l' Hiſt. de l' Egliſe T. 3. p. 754. Boherellum ad p. 27. librorum Origenis contra Celſum &c. Quæſtionibus quinque proximis in id elaborat Clariſſimus Autor, ut Hieronymum quoque nec Græcæ nec
He-

Hebraicæ linguæ magna cognitione inſtructum, ſed a Judæis non raro fucum ſibi fieri paſſum oſtendat, argumentis variis, quæ in ipſo libro legi operæ pretium eſt. Satis enim fuerit hoc loco ſubjungere judicium, quod de Hieronymo ejusque ſcriptis legitur p. 6 ſeqq. *Si ſeponas multam Græcorum & præſertim Latinorum lectionem, conjunctam cum facultate acriter declamandi aut declamatorie ſcribendi pro ejus ævi palato, cætera omnia ſunt mediocria. Non modo Hebraicæ, ſed & Græcæ linguæ modica cognitione fuit tinctus. Theologiam cæterasque diſciplinas deguſtaverat potius quam exhauſerat. In inventione quidem nihil propemodum habet exquiſiti, in ordine nihil ferme accurati. In ratiocinatione vero & collectione conſectariorum plus multo pompæ rhetoricæ atque exaggerationis invenias quam roboris & judicii, niſi velis Dialecticæ valedicere.* Quæſtione octava tamen, ne infra meritum prorſus deprimere ſcripta Hieronymi videatur, non tantum agnoſcit illa habere communes omnibus priſcis eccleſiaſticis ſcriptis uſus, quales ſunt hiſtoria dogmatum factorumque illius ætatis, & ratio ſacras literas interpretandi iſtis temporibus recepta: ſed etiam præ cæteris digna eſſe quæ legantur & diligenter evolvantur, quod ex iis 1) colligi poſſint fragmenta multo plura, quam ex ullo alio, veterum interpretum Græcorum V. T. quorum translationes injuria temporum, ſocordiaque hominum perierunt. 2) multas ex iis intelligere liceat traditiones Judaicas, vel opiniones Judæorum illius ævi, de ſignificatione vocum Hebraicarum, ſententiasque plurimorum locorum Scripturæ, varias item nonnullas lectiones dignas quæ expendantur. 3) cognoſcatur denique, quodnam fuerit ſingulare ipſius Hieronymi judicium de variis vocabulis Hebraicis ac Scripturæ locis, tum etiam de ſcriptoribus aliis, de quibus fert ſententiam. Summam etiam laudem ei deberi fatetur, quod primus ac fere unus Occidentalium viderit neceſſitatem linguæ Hebraicæ ad intelligendum accuratius Vetus Teſt, & quod ſolus aggreſſus ſit id denuo ex authenticis libris convertere. Sed iterum iterumque monet, ne Sancti titulo, qui ipſi tribuitur, ita decipi nos patiamur, ut immunem eſſe ab hallucinationibus iisque gravibus ac frequentibus exiſtimemus: jubet etiam cavere ſcripta Hieronymi legentes ab inſigni inconſtantia, quæ in illis paſſim deprehendatur, ab ejus ſtylo declamatorio & hyperbolis referto, ab affectibus quibus non parum indulgeat, ut illuſtri exemplo ab Autore in diſſertatio-

ne de argumento Theologico ab invidia ducto fuit demonſtratum; a ſictionibus, quibus uti non vereatur, ubi conſiliis ſuis utiles judicet; denique ab alienis opinionibus, quas ita ſuis admiſceat, ut ſæpe vix poſſint ſecerni.

Quæſtione nona novam Hieronymi editionem aggreditur, & in primo ſtatim tomo Latinam Bibliorum verſionem ſub ſplendido Divinæ Bibliothecæ titulo offendens, laudat quidem inſtitutum, illam ad MStorum codicum fidem repræſentandi; queritur tamen, paucas nimis varias lectiones notasque criticas adjectas, eoque nomine obiter notat, Tertullianum Rigaltii multis improbari, quod optimam ſemper lectionem in textu poſuiſſe ſe profeſſus, meliores ſæpe γραφὰς prætermiſerit, neque ad oram, ut in Cypriano ſuo diligentiſſime fecit Epiſcopus Oxonienſis, annotaverit. Percurrit deinde prologos Hieronymianos, & jam Hieronymi ipſius loca nonnulla, jam editoris negligentiam variasque hallucinationes ad examen revocat.

Quæſtione decima contendit, parvi admodum momenti eſſe ſcholia antiqua, quæ primus ex marginibus nonnullorum codicum MStorum veteris Latinæ Vulgatæ edidit Martianæus, atque initio putavit ipſius Hieronymi, quo nomine a Rich. Simone in Epiſtolis Criticis non mediocriter exagitatur. Poſtea vero errorem ipſe bona fide agnovit, autoremque Judæum quendam Rabani Mauri æqualem & Chriſtianam religionem amplexum, longe veriſimiliore conjectura ſuſpicatur. Unde veterem illum lapſum homini non exprobrandum amplius eſſe, humaniter monet Autor, ſed deinde Martianæi ipſius annotationes nec ſatis uberes nec accuratas, ſed exigui eſſe pretii, prorſusque dignas homine aſperrimi ingenii & eruditionis in hiſce rebus tenuiſſimæ, illi vero negotio imparis, contendit. Obſervat inter alia, Martianæum quandoque Hieronymi verſionem, contra omnium antiquorum codicum fidem, ad Hebraicum archetypum emendaſſe.

Quæſtione XI pergit ad novæ editionis Hieronymi tomum alterum, & poſtquam librum de Nominibus Hebraicis plane falſis ac violentis etymologiis ſcatere, atque adeo nullius fere pretii & uſus, niſi ad intelligendas forte veterum quorundam allegorias, docuiſſet: magis adhuc ſiniſtre ſentit de opera Martianæi in illo libro illuſtrando collocata, moleſtiſſimeque fert, quod notas ſuas majoribus etiam typis quam Hieronymi textum excudi curaverit, adeoque pretium libri

bri molemque auxerit,& Græca,quæ collegit,fragmenta ediderit tam parum emendata,& imperitius Latine reddita. Quæſtione XII fatetur,majorem eſſe utilitatem libri de locis Hebraicis,at Martianæum in ejus editione atque illuſtratione admodum negligenter verſatum eſſe affirmat, multisque ſpeciminibus ſtatim ex prima litera Alphabeti petitis oſtendit; notat etiam a Bonfrerio relictas neutiquam repeti, ſupplementa tamen ipſius annotationesque minime ſpernendas integras addi a novo editore debuiſſe. Decima tertia quæſtione, quæſtiones Hieronymi Hebraicas in Geneſin nihil aliud quicquam continere ait, quam collationem non admodum accuratam verſionis Latinæ cum textu Hebraico & verſionibus Græcis, de quibus ſuam Judæorumque ſententiam ſubinde profert Stridonenſis presbyter. Varia deinde illius libri loca examinat,reprehenſis ſubinde annotationibus Martianæi,quibus Hieronymum vel non intellexerit ipſe,vel perperam interpretatus ſit. Quæſtione XIV agit de 17 epiſtolis Hieronymi, quas ab aliis epiſtolis ſejunctas ſub Epiſtolarum Criticarum titulo in eodem hoc ſecundo volumine Martianæus recudi fecit. Cumque monuiſſet,huic cenſui plures merito addi debuiſſe, ut epiſtolam ad Pammachium de optimo genere interpretandi, aliasque: varia tum ipſius Hieronymi in 17 illis epiſtolis loca obelo digna, tum editoris ad illas lapſus caſtigandos ſibi ſumit. Inter alia pluribus reprehendit,quæ de nominibus Dei Hebraicis, & de Poeſi Hebræorum Hieronymus ſcripſerat.

Quæſtione XV & ultima fatetur,Commentarios Hieronymi in Scripturam frequentius quidem & pluribus,quam alii plerique veteres ſolent, Grammaticum ſenſum explicare & illuſtrare, ex antiquis præſertim verſionibus: interim contendit, meram fere alienarum interpretationum continere hiſtoriam, dictatos eſſe ſumma feſtinatione,neque tam accuratos,ut recentiorum quidam,Grotius,Druſius,& qui horum veſtigia legunt, illis præferendi non ſint. Quod ipſum denique probatum dat examine primi capitis commentarii in Eccleſiaſten, qui ſecundum tomum editionis novæ concludit,profeſſus aliud ſe volumen ſimilibus obſervationibus facile implere poſſe, ſi reliqua quoque, *acerba*, ut ipſe loquitur, *diligentia* expendere conſtituiſſet.

PETRI BURMANNI ZEΥΣ ΚΑΤΑΙΒΑΤΗΣ, SIVE JUPITER Fulgerator in Cyrrheſtarum nummis. Ad Virum Illuſtrem GISBERTUM CUPERUM, Urbis Daventrienſis Conſulem.

Trajecti Batavorum apud Guil. Van de Water, 1700. in 4. plag. 16.

IN dedicatione ſcripti hujus Illuſtri Cupero facta Autor Clariſſimus occaſionem, qua incitatus ad ſcribendum fuerit, commemorat. Epiſtolam ſcilicet ad Ill. Grævium de nummo quodam Cyrrheſtarum, cui Jovis Καταιβάτε nomen & inſignia impreſſa erant, dederat Vir doctiſſimus Eduardus Holtenus: quam ad ſe ab Autore miſſam Bibliothecæ ſuæ librorum novorum inſeruere A. 1699 M. Majo & Junio p. 345 Neocorus & Sikius. Cum vero in ea veterem & multorum doctorum ſuffragiis comprobatam ſententiam de vera ratione appellationis Jovis Καταιβάτε convellere velle, novam autem interpretationem ſuam non luculentis veterum teſtimoniis, ſed incertis conjecturis firmaſſe Burmanno noſtro viſus Holtenus eſſet; modeſte ab illo diſſentiendum, accuratiusque rem omnem ſibi excutiendam duxit, atque firmandam opinionem illam receptiſſimam, qua huc uſque omnibus perſuaſum fuit, *Jovem*, (per quem veterum Σόφοι nihil aliud niſi aerem vel æthera, illamque univerſi partem, ex qua in noſtram terram venti, pluviæ, nives, fulgura, fulmina, tonitrua, & omnia denique φαινόμενα ſuper caput noſtrum quotidie conſpicua deſcendunt, intellexerunt) *dictum fuiſſe καταιβάτην, quia ea omnia, quæ modo dicta ſunt, in illius quaſi manu atque poteſtate, & totidem tela & arma eſſent, quæ ſummus Deorum in mortales jacularetur, & per quæ tanquam per manifeſtiſſima Numinis ſui inſignia ipſe Jupiter e ſuperiore cœli parte deſcenderet.* Hanc ob cauſam primum antiquorum quædam teſtimonia, quæ rem extra omnem dubitationis aleam ponant, producit; deinde illa, quæ Vir doctiſſimus attulit, argumenta infirmo talo niti, oſtendere ſtudet. Cap. I, Primo igitur Deorum illud cum hominibus commercium, quo vel amoris, vel iræ & indignationis ſuæ indicia eos edere, a Judæis didicerant Gentiles, per *delapſum* & *deſcenſum* ex cœlo in terram deſcribi, Palladis ex Homero Odyſſ. Υ, 31, & Thetidos Il. Ω,

Ω, 121, Vulcani e Virgilio Æn. VIII, 423, exemplis, nec non e ſacris literis Act. XIV, 10 Lycaonum dicto probat: adeoque omnes Deos ſuperos καταιβάτας jure poſſe dici docet. Cum autem in tanta Deorum multitudine gentes omnes Jovem principem ſtatuerint, cui rerum cœleſtium & humanarum curam & adminiſtrationem omnium, & præcipua ſummæ majeſtatis inſignia, fulmina, ventos, imbres, procellas, tonitrua tribuerint: hunc inprimis, non quod luſtraret terram, vel quod beneficia ſua conferret mortalibus, (quæ Holteni doctiſſimi ſententia eſt) ſed ſolummodo, quod fulmina & tonitrua, tumultus æthereos, impiorum pœnas in terram demitteret, Καταιβάτην appellatum eſſe aſſerit. Deinde loca præſtantiſſimorum Autorum, qui mentionem faciunt Διός Καταιβάτου, magno numero adducit: & Jovem Καταβάτην, Poetice Καταιβάτην, ſive Κατεβάτην, vel juxta Suidæ, Ariſtophanis item Scholiaſtæ, & aliorum Grammaticorum alluſionem, παρὰ τὸ καταβιβάζειν τὸν Κεραυνόν, vel potius & rectius juxta Euſtathium ἀπὸ τοῦ καταβαίνειν, quod tranſitive ſæpe autoribus uſurpatur, appellari; indeq; ipſum vehementiſſimum fulminis genus καταιβάτην dici docet: vocabulumq; καταβαίνειν proprie deſcenſum Jovis per fulmen ſignificare, e verſione τῶν LXX. Pſ. XIIX, 8, & CXLIV, 5, Virgilio item Georg. I, 322 ſeqq. & multis locis aliis Prophetarum atque Poetarum eruditiſſime probat. Dehinc ad explicationem locorum, quæ cap. 3 e præſtantiſſimis Autoribus adduxerat, pervenit, atque ante alia Ariſtophanis locum ex Εἰρήνη non longe a principio, quem Scholiaſtæ interpretatio obſcuraverat, diſcutiendum ſumit, & Scarabæum, de cujus voracitate ſervi quidam apud Ariſtophanem conqueſti fuerant, ideo τέρας Διὸς Καταιβάτου appellari ait, quia fulminis inſtar, quod proprie Jovis Καταιβάτου τέρας appellari ſolet, omnia conſumat & devoret, in quæ incidit. Ariſtophanis loco expenſo, Libanii etiam in Legat. ad Julian. p. 158, Pauſaniæque loca examinat; atque illum quidem, quia Jovem Καταιβάτην Μειλιχίῳ καὶ Ἱκεσίῳ opponit, non poſſe non iratum Jovem intelligere docet: hunc vero in Eliacis lib. V, c. 14 per aram Jovis Catæbatæ, fulguratoris Jovis aram ſignificare, ex eo evincit, quia eam undique maceria quadam eſſe ſeptam dicit; quod, obſervante Kuhnio in recentiſſima Pauſaniæ editione, ideo factum, ut indicaretur, locum illum aliquando fuiſſe fulmine tactum, quem ideo ex Gentilium ſuperſti-

C. II.

C. III.

C. IV.

C. V.

C. VI.

C. VII.

 tione

C. VIII. tione nefas eſſet calcari. His addit interpretationem locorum Etymologici magni, Heſychii & Pollucis, quibus ἐνηλύσια, bidental, ſive
C. IX. loca a fulmine tacta Jovi Catæbatæ ſacra eſſe dicunt. His itaq; de ratione appellandi Jovis Καταιβάτε luculentiſſime expoſitis, illud etiam expendit, an recte omnes hucusque viri docti, qui Græca autorum loca ab ipſo adducta Latinis verbis extulerunt, Jovem Græcorum Καταιβάτην *Elicium* vocarint, & interpretati ſint? Quod ut recte a CL. Holteno negatum dicit: ita ex prima Jovis eliciendi origine oſtendit, Jovem elicere nihil apud Romanos aliud fuiſſe, quam ſolenni quodam carmine rogare Jovem, tanquam ſummum auguriorum præſidem, ut quodam oſtento vel ſigno manifeſto, in rebus dubiis præſentiam ſuam ac voluntatem de iis rite peragendis declaret. Differre igitur ait Jovem Elicium a Catæbata, quod ille, modo rite evocatus eſſet, innoxium fulmen emitteret; hic contra nunquam ſalutaris, ſemper noxius eſſet: differre etiam ipſas preces; illum rogatum, ut placidum ſuum fulmen in æthere oſtenderet, non in terram dejiceret; hunc,
C. X. ut fulmen ſuum averteret. Quod vero Jovem Καταιβάτην ideo dictum exiſtimet Holtenus, quia ejus imaginem cœlo delapſam jactarint Cyrrheſtæ, nullo prorſus idonei Autoris teſtimonio fulciri, ſed meram conjecturam eſſe aſſerit. Non tacituros enim fuiſſe antiquos tam celebre & admirandum Jovis prodigium: cum Palladis, Dianæ, Matris Deûm ſigna tot præconiis celebrata fuerint. Et ſi res Cyrrheſtarum obſcuriores aliorum populorum fatis regeras; Athenienſes, Elæos & alios, qui eodem Καταιβάτε nomine Jovem coluerint, aliquam ejus portenti injecturos mentionem fuiſſe reſpondet. Certe cum tot locis Καταιβάτης Jupiter appellaretur & coleretur, ſtatuendum ex Holteni ſententia fore, non uno forte loco delapſam cœlo ejus imaginem fuiſſe, ſed quandam quaſi illarum imaginum pluviam in urbes miſſam eſſe. Neque καταβάσεις ſigna cœlitus demiſſa, ſed fulmina, tonitrua, imbres, procellas, & his affinia dici: ſimulacrum cœlo delapſum διοπετὲς vocari. Tantum vero abeſſe, ut ex Ebræorum religioſo cultu, eorumque ſanctiſſimo penetrali, ubi viſibile inviſibilis præſentiæ ſymbolum arca latebat, hæc conjectura probari ab Holteno poſſit; ut potius conſtet, Gentes de Judæorum hoc ſacrario peſſime ſenſiſſe & locutos eſſe, quod nulla ibi Dei alicujus imago vel ſimulacrum reperiretur. Stare igitur ſententiam, Jovem Καταιβάτην fulgu-

guratorem ſive Tonantem appellandum, neque ullo modo propitium fuiſſe. Cur autem ille a Cyrrheſtis potiſſimum cultus fuerit, porro Autor inquirit. Et cum de Cyrrheſtis obſcura ſolum in hiſtoriarum monumentis memoria occurrat, duplici ingenioſiſſima conjectura utitur. Et primo quidem locum hujus urbis condendæ, antequam fundamenta ponerentur, fulmine tactum ac religione munitum, ideoq; poſtea ibi Jovis Καταιβάτου templum poſitum exiſtimat. Quæ conjectura ut vana videri poſſit, ſi vera ſint, quæ Procopius habet l. 2 de Ædific. Juſtin. ab Holſtenio ad Stephanum in voce Κύῤῥος adductus; Judæos ſcilicet hanc urbem, cum e Babylonia redeundi veniam accepiſſent, in memoriam Cyri condidiſſe, & Κύῤῥον ſeu Κύρον appellaſſe: ſic hujus aſſerti falſitatem demonſtrat Autor. Altera ejus conjectura hæc eſt. Cum notum ſit, Jovem τὴν δύναμιν τοῦ Καταιβάτου in prælio inprimis contra Gigantes vehementiſſimo fulmine proſtratos exercuiſſe; probabile autem ſit, in campis circa Orontem pugnam illam fuiſſe commiſſam: non mirum eſſe putat, quod Cyrrheſtæ, Oronti flumini adjacentes, in ſuis finibus id contigiſſe jactitarint, Jovemque adeo non ob imaginem ejus cœlo delapſam, ſed ob fulmina jacta Καταιβάτην fuerint venerati. Eandem nominis Καταιβάτου ſignificationem ulterius ex eo, quod *Demetrio Poliorceti* hoc nomen apud Plutarch. Orat. II de Fortuna Alexandri p. 338 tributum legatur, probat. Cujus quidem appellationis non aliam rationem eſſe ait, quam quia Demetrius *fulminis* modo hoſtes profligaret: quomodo etiam apud Libanium Julianus, apud Lycophronem Agamemnon καταιβάται; *Ptolemæus* & *Seleucus* cognomine Κεραυνῶν; & deinceps Imperatores Romani Tonantes & Fulminantes, docentibus Viris ſummis Ez. Spanhemio de Uſu & Præſt. Numiſm. Diſſ. 5 & ſeq. & Gisb. Kupero in Explicatione Gemmæ Auguſtææ p. 205, appellati fuerint. C. XI. C. XII.

Tradita ſic omni τοῦ Καταιβάτου Jovis ratione, ac per *Brontonta*, *Fulgeratorem*, *Fulminatorem*, *Tonantem &c.* explicata: illud etiam Holteno diſſentienti eximere ſtudet, quod ſcrupulum maxime injecerat. Nimirum in omnibus Cyrrheſtarum, qui exhibent Καταιβάτην, nummis, Jovis imago ſedentis habitu conſpicitur, quem Jovi Fulgeratori minime convenire cenſet Holtenus. Burmannus igitur primo hunc Deorum in nummis habitum non tam accurate ſemper attendendum eſſe dicit, cum variis modis & figuris ve- C. XIII.

teres

teres Numina ſua expreſſerint. Sic v. g. *Acræum* Jovem Smyrnæorum in nummis ſemper ſedere; *Philalethen* Laodicenſium ſtare, apud Morellum Specim. p. 164, & Spanh. Epiſt. IV ad Morell. p. 241. Sic aliquando Deos ſtantes, eosdem ſæpe jacentes, procumbentes, in aere pendentes, ſæpe ſine ullo myſterio, ex poetarum, philoſophorum ac pictorum libidine ac ingenio, juxta Cic. l. 1. de Nat. Deor. c. 1 & 29 exhiberi. Sic apud Harduinum in Numm. Pop. &c. p. 325 comparere Cybelen ſedentem, pag. ſeq. ſtantem. Sic Fortunam, quæ in antiquis monumentis ſtans plerumque conſpiciatur, in nummo Trajani apud Mediobarbum p. 158 aliisq; ſedentem conſpici. Itaq; nihil intereſſe, an Jupiter Καταιβάτης ſtet vel ſedeat; imo majori jure & ſumma cum ratione eum ſedentem fuiſſe expreſſum oſtendit: non otioſe tamen ſedentem, ſed fulmen dextra manu paratum gerentem, ut torqueat in hoſtes, tempeſtatesque & tonitrua moveat. Imprimis autem illud omnem dubitantibus de Jovis illo habitu ſcrupulum eximere poſſe ait, quod Jupiter Capitolinus, vetus ille & ante Auguſti tempora cultus, de quo Virgil. Æn. 8. 347 ſeqq. & Plaut. Curcul. II, 2, 16. ſeqq. juxta omnes Tonans atque Fulgurator fuerit, neque tamen minus in nummis apud Rycq. de Capit. c. 19, & Nardin. Rom. vet. l. V, c. 15, & alios, ſedens dextraque fulmen gerens exhibeatur. Neque obſtare Ovidii illud Faſt. I, v. 201:

C. XIV.

Jupiter anguſta vix totus *ſtabat* in æde,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Stare enim hic Poetarum more improprie poni, idemque valere ac eſſe, manere, habitare: quod e Lucano IX, 511, collato cum Silio Italico III, 8. probat. Cæterum ſeſſionem regalem, vereque proprium Tonantis Jovis habitum eſſe. Hinc *ſolium* a *ſedendo* deduci, proque ipſo regno ſæpius ſumi. Tandem ut omne dubium de Jove fulminante ſedente eximat Holteno Autor noſter, Seleucenſium Jovem Κεραύνιον appellatum ſine ullo dubio Tonantem eſſe, & tamen in nummis iſtius civitatis apud Vaillant. Num. Græc. Imp. p. 101, & 132 ſedentem cuſum eſſe.

His igitur rationibus firmavit Burmannus ſententiam ſuam, *Jovem* Καταιβάτην *non mitem, propitium, & placidum Deum, aut ita dictum, quia ejus imago cælo delapſa eſſet, ſed Fulgeratorem ac Tonantem eſſe.* De quo ut nullum relinqueretur dubium, argumentum ali-

aliquod ex antiquitate addit, quo ſuam ſententiam maximopere oppugnari poſſe dicit. Si quis enim alius Deus reperiatur, cui idem *καταιβάτȣ* nomen adhæſerit, quique neque tonare neque fulminare dici poſſit, vocem hanc male ab ſe ad ſolum fulmen reſtrictam fatetur. Atqui ipſe ex Scholiaſte Eurip. in Phœniſſ. 1416, *Apollinem* Καταιβάτην quoque appellatum probat. Verum hic etiam maſcule tuetur ſuam ſententiam. Primum enim ſe ex eo paratam habere reſponſionem ait, quod a veteribus Mythologis *Apollo* ſæpe idem fuerit habitus qui *Jupiter*. Sed huc ſibi evadendum non ratus, e Cuperi Harpocrate p. 98 ſeq. potius illud affert: *inter omnes Deos, quibus fulmen tribuitur, nemini majori jure, quam Soli ſeu Apollini tribui.* Nullum item Numen magis Jovi conjunctum, quam Apollinem: cum hic Solem, ille æthera notet. Deniq; ut Jupiter Καταιβάτης telis ſuis gigantes disjecerit; ſic Apollini Καταιβάτῃ ſuas ſagittas radios eſſe, cauſam plurimorum morborum. Hinc Απόλλωνος nomen, ὡς ἀπολλύντος τὰ ζῶα: hinc ipſum malorum puniendorum, & inprimis perjurii vindicandi poteſtate præditum: hinc ipſi porro fulmen noxium & igneum tributum apud Cuperum in Harpocrate pag. 98. & 102: hinc denique ab Apolline ſæpiſſime hoſtes fulminibus disjectos legi.

Ex quibus omnibus tandem conficitur id, quod erat demonſtrandum, *nullam* τȣ̃ Καταιβάτȣ *aliam eſſe appellationis rationem, quam a tempeſtatibus, fulgure, ac tonitru petitam.* Quod ita ſane demonſtravit Autor CL. ut facile appareat, illum, cum Holteno amice contradiceret, Orbi Erudito plurimas easque pulcherrimas ex omni antiquitate collectas obſervationes doctiſſimo hoc ſcripto impertiri voluiſſe.

THE OCEANA OF JAMES HARRINGTON &c.

i. e.

OCEANA JACOBI HARRINGTONI, ALIAQUE EJUSDEM Opera, partim ex Auctoris manuſcriptis primum nunc edita. Singula collegit, ordinavit, recenſuit, ſimul & vitam Auctoris accurate enarravit JOHANNES TOLANDUS.

Londini apud Bibliopolas, 1700, in fol. Conſtant 6 Alph. pl. 12.

QUi nuper Miltoni vitam in Actis ſuperioris anni, menſe Auguſto, p. 371. ſeqq. a nobis recenſitam, luci publicæ expoſuit, *Johannes*

Tolandus, idem nunc *Jacobi Harringtoni* vitam pariter ac opera ſingulari, quo in Auctorem fertur, ſtudio accenſus orbi erudito exhibet. Natus eſt *Jacobus Harringtonus* in Rutlandiæ Comitatu, anno reparatæ ſalutis 1611, ex antiqua & nobili familia, inque ipſa pueritia tanta præclaræ indolis argumenta dedit, ut ſummam de ſe ſpem facile apud omnes concitaret. Ubi adoleviſſet, Oxonium translatus, in collegio Trinitatis *D. Chillingworthi*, viri non modo doctrina, ſed etiam Pontificiæ religionis oppugnandæ ſtudio maxime inſignis, inſtitutione præceptisque uſus, optimis artibus ſeſe expolivit, cumque incredibili exteras adeundi regiones cupiditate flagraret, addiſcendis linguis, quæ magnum peregrinantibus adjumentum adferunt, operæ plurimum ſtudiique conſumſit. Hac itaque ratione ad peregrinationes ſuſcipiendas idoneus factus, in Belgium trajecit, quæ regio cum ob libertatem, in quam ſe nuper vindicaverat, omnibus rebus admodum floreret, non dubium eſt, quin ibi in ſtudium, quod circa rerumpublicarum gubernationem verſatur, primum cogitationes ſuas contulerit. Profitebatur per menſes aliquot ſub *Cravenii* ac *Stoini* legionibus nomen ſuum, quo tempore Hagæ Comitum plerumque degens, non modo in aulis Principis Arauſionenſis, ac Bohemiæ Reginæ Jacobi I Angliæ Regis filiæ, quæ cum marito ſuo extorris huc conceſſerat, ſe magis magisque quotidie excolendi commodam occaſionem nanciſcebatur, ſed etiam a Rege ac Electore exule ſollicitatus, eum in Daniam proficiſcentem ſecutus eſt, cujus & negotia Noſter poſtea a peregrinationibus redux in Anglia diligenter curavit. Quamvis vero plurima *Harringtonum* commovere poterant, ut diutius in Belgio conſiſteret, ille tamen priſtinum varias peragrandi regiones amorem retinens, per Flandriam in Galliam abiit, indeque, poſtquam imprimis Gallici imperii ſtatum bene obſervaſſet, in Italiam profectus eſt: quæ licet variis urbibus ampliſſimis atque ornatiſſimis ſplendeſcat, nulla tamen ipſi magis in deliciis fuit illa Venetorum, quam ob regiminis formam maximi ſemper æſtimavit. Belgio itaque, Dania, Gallia, Italia ac quibusdam Germaniæ provinciis perluſtratis, in patriam rediit, ac familiæ ſuæ, (nam & fratres & ſorores ipſi erant,) acrem curam ſuſcepit. Habebat *Harringtonus* animum ad litterarum ſtudia mire propenſum, eoque publicos honores nunquam ambire decreverat; veruntamen anno 1646 factum eſt, ut a quibusdam eorum

rum, quos regni Senatus delegerat, ut Regem Carolum I liberali cuſtodia ſeptum Novo Caſtro Londinum verſus deducerent, Regiis miniſtris adſcriberetur, utpote qui & Regi non ignotus eſſet, & extra partes poſitus eſſe videretur. Ab ipſo igitur Rege in munere ſuo confirmatus, ipſique a cubiculo eſſe juſſus, apud illum plurimum gratia valuit, ejusque juſſu *Sanderſoni* librum de *Juramenti Obligatione* in Anglicam linguam convertit; quamvis *Antonius Wood* in altero *Athenarum Oxonienſium* volumine, ipſum Regem huic operi manum admoviſſe adſerat. Tandem vero, quod ad Regias partes paulo proclivior videretur, dignitate ſua exutus eſt, & ex illo tempore, quo Carolus indigniſſima morte adfectus fuit, plerumq; literis ſe abdens, librum, quem *Oceana* nomine inſignivit, cum cura & diligentia exáravit. Verum cum in eo eſſet, ut editionem illius curaret, plurimi ex principibus viris eam impedire ſtuduerunt; quin ipſum exemplar e typographi manibus vi abſtulerunt, & usq; retinuerunt, dum Cromvelli filiæ precibus adjutus, quibus illa ipſius cauſſa parentem ſollicitaverat, illud recuperaret. Simul atque igitur liber ille *Harringtoni* prælo libere currente impreſſus erat, ac Cromvelli dicatus nomini lucem adſpexerat, omnium oculos in ſe convertit, & variorum animadverſiones cenſorias excitavit. Primus, qui ſe eidem oppoſuit, fuit Doctor *Henricus Ferne*, Ceſtrienſis poſtea Epiſcopus, cujus cenſuras una cum reſponſionibus ſuis anno 1656, ſub titulo *Pian Piano* Noſter edidit. Cum deinceps *Matthæus Wrenus*, Epiſcopi Elienſis major natu filius, adverſus *Oceanam* aliquid ſcripſiſſet, eundem in prima parte libri, quem de *popularis regiminis excellentia* compoſuit, argumentis refutavit. Pari modo *Richardo Baxtero* ſcripto breviſſimo, eòque nonniſi ad riſum ciendum compoſito, reſpondit, poſtquam ille librum ſub *Republica Sancta* nomine adverſus *Oceanam* edidiſſet: quem, quamvis Monarchiæ cauſſam ageret, iis ipſis tamen, qui regiis partibus addicti erant, minus placuiſſe inde conſtat, quod anno 1683 publico Oxonienſis Academiæ decreto damnatus, ac una cum quibusdam *Hobbeſii*, *Miltoni* aliorumque ſcriptis igni traditus fuerit; cum contra adverſus Harringtoni *Oceanam* ceterosque libros nihil decerneretur. Multorum deinde precibus defatigatus Harringtonus, ut *Oceanam* ſuam in ſynopſin contraheret, A. 1659 *leges ferendi artem* edidit, atque eodem tempore novo cuidam *Matthæi Wreni* ſcripto, ſub *Monarchia adſerta* titulo emiſſo, re-

reſpondendum ſibi exiſtimavit, quod non aptius fieri poſſe putavit, quam ſi animum ab inſita gravitate paullum avocaret, ac edito diſcurſu quodam comico pluribus facetiis ridiculo, quem *Politicaſtrum* adpellavit, adverſarii temeritatem (loquimur ex mente auctoris) coerceret. Dum vero auctor Oceanæ ſententiam ſuam, quam circa rerumpublicarum adminiſtrationem fovebat, ſcriptis adeo propugnabat, publicis quoque diſcurſibus, quos de nocte frequentes certo quodam loco cum diverſis habebat, eandem diſſeminare ſategit. Fuit nocturnus ille amicorum conventus, in quo plurima accurate & rationibus conquiſitis de republica bene conſtituenda differebantur, ſub *Rotæ* adpellatione notus, & ad annum 1659 duravit. Agebat adeo *Harringtonus* privatam ac tranquillam ſatis vitam, quæ quomodo tanquam ſubita tempeſtate quadam mox perverſa fuerit, breviter commemorandum nobis eſt. A. ſcilicet 1661, menſe Decembri, cum in eo eſſet, ut *Aphoriſmis*, quos conſcripſerat, *Politicis* ultimam manum imponeret, juſſu *Caroli II* Regis, modo in priſtinam dignitatem reſtituti, comprehenſus inque turrim Londinenſem deductus, ob conjurationem contra Regem, de qua accuſabatur, in quæſtionem poſtulatus eſt. Quamvis autem nullius criminis convinci potuerit, tamen in cuſtodia detentus magnas ſubiit moleſtias, tandemque, cum & libertatem & publicam cauſſæ cognitionem fruſtra ſæpius expetiiſſet, navi impoſitus in rupis quoddam genus, quæ Plimutho objacens vulgo *S. Nicolai* inſula vocatur, deportabatur. Hic ob aquæ vivæ defectum, atque loci anguſtiam, quæ vix corpus movere ipſi permittebat, valetudine ſtatim infirmior factus, impetrata prius a Rege venia, Plimuthum conceſſit. Ubi a *Joh. Skeltono*, Præfecto illius loci, liberaliter atque honeſte habitus, atque a morbo, quem ſcorbutum vulgo vocant, admodum vexatus, Dunſtani cujusdam medici conſilio, quodam medicinæ genere, cui *Gujaci* nomen eſt, ſub potu Caffe large ac copioſe utebatur, ex quo ſe plurimum mente perturbari vidit. Hoc Harringtoni ſtatu comperto, una ex ſororibus ipſius, rogatu Comitis Bathonienſis, Præfecti Plimuthenſis primarii, a Rege obtinuit, ut fratri optimorum medicorum gratia Londinum redire liceret; quo cum ille perveniſſet, corpore quidem paullulum convaluit, mentis autem ſanitatem ad mortem usque recuperare potuit nunquam. Ita vero cum illo comparatum erat, ut quamvis variis de rebus aliquando non ſine ratione diſſereret, mira tamen

men ſibi imaginaretur, ſpiritus ſuos animales in avium, muſcarum, apum ſimiliumque animantium formas tranſire credens, deque bonis ac malis ſpiritibus plurima enarrans. Scripſit tunc tractatum quendam, in quo cum Naturam machinæ in modum agere adſeruit, tum illos, qui eum ſuo modo de natura dicentem inſanire pronunciabant, ipſos potius deſipere contendit. Supereſt illius tractatus fragmentum quoddam, vitæ auctoris a *Tolando* ſubjunctum, qui illud a deſipiente penitus proficiſci potuiſſe omnino negat, & Harringtonum per illas dæmonum viſiones nil niſi animales ſpiritus, per apes vero atque muſcas diverſas illorum ſpirituum formas ſignificare voluiſſe exiſtimat. Interim illud animi ſui non prorſus compotis ſignum fuiſſe, idem *Tolandus* arbitratur, quod illo tempore, quo mentis iſta ægrotatione adficiebatur, uxorem demum in matrimonium ſibi junxerit *Harringtonus*, qui paullo ante vitæ finem podagræ doloribus oppreſſus, quos paralyſis poſtea excepit, tandem A. ſalutis 1677, ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto, vitam cum morte commutavit.

Vidimus hactenus, quæ ad vitam Auctoris quodammodo cognoſcendam pertinere poterant; nunc quoq; de ipſius ingenii monumentis ſigillatim aliquid commemorabimus. Equidem ille, qui primo loco apparet liber (*The Grounds and Reaſons of Monarchy conſider'd &c.*) fundamenta ac rationes, quibus Monarchia nititur, perpendens, non ipſum *Harringtonum*, ſed *Joh. Hallum*, Dunelmenſem, auctorem agnoſcit, qui præter varia tum proſa tum ligata oratione quæ edidit ſcripta, & hoc Cronvvelli tempore compoſuit, quod quin ob argumenti *ſimilitudinem* Harringtoni ſcriptis addiderit Editor, non dubitamus. In eo enim Auctor omnibus, quæ pro Monarchia ſtabilienda proferri ſolent, examinatis, plurima incommoda, quæ ex illa proveniant, recenſet, quantumq; illa felicitati rerumpublicarum popularium repugnet, oſtendere nititur. Qua de cauſſa ex Scotiæ Regni Hiſtoria ſententiam ſuam explicat, cujus Reges cum plerumque cum cæde & ſanguine interierint, turbasque plurimas excitaverint, ex Monarchici imperii forma id omne profluxiſſe cenſet.

Hunc *Halli* librum excipit *Oceanæ Reſpublica*, quam *Harringtonus*, Platonem totque alios ſcriptores ſecutus, tanquam perfectæ reipublicæ exemplar effinxit, idque Angliæ imprimis (hanc enim Oceani ſeptentrionalis inſulam nobiliſſimam *Oceanæ* nomine inſignivit,)

exprimendum tacite propoſuit, fictis locorum hominumque nominibus uſus. Cum autem totum opus tribus partibus, prolegomenis nempe, ipſa tractatione, tandemq; concluſione conſtet, Auctor in prolegomenis generatim de principiis atque effectibus omnium rerumpublicarum, tam perfectarum, quam corruptarum agens, primum de prudentia, quam vocat antiqua, ſeu illa imperandi ratione diſſerit, quæ usque ad Julii Cæſaris ætatem Romæ obtinuit, deque imperio domeſtico atque externo, de æqualitate ditionum atque opum, de magiſtratibus ac judiciis, de legibus agrariis. de electionibus quæ per ſuffragia fiunt, aliisque ejuſmodi argumentis agit, commoda atque incommoda, quæ ex quavis reipublicæ forma oriri poſſunt, ſimul perpendens atque inter ſe comparans. Deinde prudentiam hodiernam, ſeu illum imperandi modum contemplatur, qui imprimis in uſu fuit, poſtquam Romanorum libertas exſpiraſſet, atque barbari illorum ditiones invaſiſſent; ubi Anglici imperii formam, quam habuit, cum ſub Romanorum, Saxonum, Danorum, ac Normannorum poteſtate eſſet, depingit, illiusque fundamenta ſub Henrico VII tentata, ſub Henrico VIII admodum concuſſa, ſub Carolo I denique everſa penitus enarrat, & præterea antiqua Anglorum feuda, nobilitatis originem atque gradus, ceteroſque gentis illius ordines ex antiquitate profert atque exponit. Denique cum Auctor, ut ex quavis republica optima quævis in ſuam transferret, dederit operam, concilium quoddam ex novem legislatoribus conſtans addit, quorum ſingulis ſingulas reſpublicas tribuit, nempe Iſraelitarum, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Carthaginenſium, Achæorum, Helvetiorum, Hollandorum Romanorum, Venetorum, quos omnes ad Oceanæ rempublicam conſtituendam conſilia ſua adferre *Harringtonus* fingit, eoq; ipſo ſe omnis antiquitatis gnarum fuiſſe, oſtendit. Quod vero ipſum exemplar, quod in tractatione exhibetur, attinet, illud hic adumbrare, iſtiusque reipublicæ, quam Auctor formavit, imaginem ob oculos ponere, nimis prolixum foret. Id vel primo intuitu cuivis facile patebit. Harringtonum Democratiæ ubiq; primas deferre, in qua adſtruenda ita ille verſatur, ut poſitis primum certis theſibus easdem deinceps ulterius deducat, ac aliquando orationes quasdam addat, quibus aut Archon (ſic illum vocat, qui reipublicæ conſtituendæ primam curam gerit) aut Legislatorum aliquis res graves ac difficiles explicare fingitur. In concluſione tandem perfectam ac omnibus numeris abſolutam Rempublicam

Digitized by Google

plicam ſuam ſiſtit Auctor, nec tantum Senatus populique congregationum formam, & belli gerendi pacisq; conſervandæ rationem deſcribit, ſed etiam de religione ac conſcientiæ libertate, de commerciorum incremento, de Academiarum inſtitutione, de juventutis apta educatione, ac plurimis aliis de rebus agit, quibus maxime ſtare conſervarique reſpublica poteſt.

Nunc ille liber (*The Prerogative of Popular Gouvernment*) qui de Democratiæ præſtantia conſcriptus eſt, ſeſe nobis exhibet, cujus primam partem cum jam ſupra *Matthæo Wreno* oppoſitam eſſe diximus, de altera jam dicendum modo eſt, quod Auctor in illa de ordinatione primis Eccleſiæ temporibus conſueta, atque de variis Judaicæ reipublicæ ordinibus, contra Hammondum imprimis atque Seamannum diſputet. Explicatis enim primum Chirotoniæ ac Chirotheſiæ vocabulis, hiſtoriam Pauli atque Barnabæ, Lycaoniam, Piſidiam aliasque civitates perluſtrantium, ex Apoſtolorum Actis memorat, illasque quas diximus civitates, aut ſaltem plurimas earum Democraticam reipublicæ formam habuiſſe, oſtendit. Hinc poſtquam Chirotoniam Democratiæ, Chirotheſiam vero Monarchiæ aut Ariſtocratiæ originem debere monſtraſſet, ab utraque ordinationis ritum profluxiſſe adſerit, & num Chirotonia, quæ in illis civitatibus obtinebat olim, a Chirotheſia diverſa penitus ſit, num vero ſecundum Hammondi, Seamanni aliorumque ſententiam eadem plane cum illa exiſtat, denique diſquirit.

Sequitur jam *leges ferendi Ars* ſeptem libris comprehenſa, ac, ut jam ante diximus, Oceanæ compendium exhibens, de qua multa dicere ſuperſedemus, ſaltemque ſex illarum lucubratiuncularum mentionem facimus, quæ in fine voluminis annexæ, eadem argumenta quæ Auctor in prioribus tractaverat, fere repetunt, atq; in illa, qua conſcripti ſunt, lingua ſequentibus titulis gaudent. I. *Valerius and Publicola, or the true Form of a Popular Commonwealth, a Dialog. II. A Syſtem of Politics, and Political Aphoriſms. III. Seven Models of a Commonwealth, antient and modern; or brief Directions ſhewing how a fit and perfect Model of Popular Gouvernment may be made, found, or underſtood. IV. The Ways and Means wherby an equal and laſting Commonwealth, may be ſuddenly introduc'd, and perfectly founded, with the free conſent and actual confirmation of the Whole People of England. V.*

The

The Petition of divers well affected Perſons. VI. The uſe and manner of the Ballot.

Hæc ſunt iſta Harringtoni monumenta, quæ hoc volumine comprehenſa ſunt. Scripſit equidem plura alia, quo ſex fere Virgilii Æneidos libri, ac aliquot Eclogæ, quas Auctor in Anglicam linguam tranſtulit, cum epigrammatibus aliisque luſibus poeticis pertinent; verum cum illa omnia Harringtono vix digna viderentur, *Tolandus* omittere illa, quam libri molem iisdem adaugere maluit: id quod circa Miltoni opera ſe quoque obſervaturum fuiſſe inquit, ſi eorum editionis curam habuiſſet, nec potius vitæ Auctoris conſcribendæ ſolum operam impendiſſet.

Quod reliquum, eſt L. B. ignorare nolumus, *Johannem Tolandum* in eo eſſe, ut Socratis hiſtoriam componat; in qua tamen comparationem inter Philoſophum illum ac Servatorem noſtrum nequaquam ſe inſtituturum, ut rumor improbiſſimus fuerit, ſed ingenui hiſtorici partes acturum eſſe ait. Quod ſi liber iſte lucem adſpexerit & ad manus noſtras pervenerit, illius quoque argumenta in Actis noſtris forte delineabimus.

JOHANNIS LOMEIERI ZUTPHANIENSIS, EPIMENIDES, ſive de Veterum Gentilium Luſtrationibus Syntagma. Nunc ſecundis curis auctius editum, &c.

Zutphaniæ apud Joh. a Spyk & Dan. Schutten, 1700, in 4. Alph. 3. & figur. æn. plagul. $3\frac{1}{2}$.

ARgumentum hujus Operis, varia ac multiplici eruditione referti, jam in Actis anni 1682, p. 253 commendatum Lectoribus noſtris, meminimus, cum primam ejus editionem recenſeremus. Nihil igitur nobis nunc aliud incumbere videtur, quam ut poſthumam hanc editionem, ab Autore ipſo, dum viveret, plurimum locupletatam, elegantiſſimisque figuris æneis ornatam, indicemus iis, qui ſacris pariter profaniſque literis ſolide tractandis delectantur. Utrisque enim, quemadmodum per alia ſcripta, hoc etiam labore ſuo prodeſſe voluit Senex doctiſſimus, & Zutphaniæ ſuæ decus haud vulgare, ſed cum non mediocri bonarum literarum jactura fatis præreptus 4. Nonar. Dec. Anni 1699.

* * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Februarii, Anno M DCCI.

REFLECTIONS UPON LEARNING &c.

i. e.

COGITATIONES DE ERUDITIONE, CUJUS IMPERFECTIO per diverſas ejus claſſes expenditur, ad colligendam inde utilitatem ac neceſſitatem Revelationis; autore anonymo Nobili. Editio ſecunda correcta.

Londini, apud A. Boſvilium, 1700, in 8. plag. 16.

EX quo liberales artes ac diſciplinæ nitidiorem ornatum induiſſe creduntur, quamplurimos cernas, qui immodico illarum amore abrepti nihil nunc vigiliis ſuis impervium, aut judicio ſuo ſublimius excogitari poſſe, ſed perfectam rerum omnium cognitionem ſibi obtingere debere, magnificentius quam verius gloriantur. Quo epidemico morbo cum Autor noſter, (quicunque demum is fuerit) Vir ſane modeſtus ac pius, ævi hujus, atque imprimis patriæ ſuæ filios, in ſummum religionis præjudicium laborare animadverteret, id ſerio hic agere voluit, ut miſellos vanæ credulitatis convinceret, & quam ridiculo auſu nubem pro Junone amplexatum eant, ſolide ipſis exprobraret. Habuiſſe quoq; illum inſtituti ſui applauſores, vel ex eo apparet, quod egregium hunc libellum, A. 1699 modo vulgatum, diſtractis brevi exemplaribus, Bibliopola ſecunda vice recudi fecerit. In primo qui-

dem capite, quo ſibi aditum ad reliqua diſcurſus ſui membra pandit, generaliter tractat de infirmitate tum humani intellectus, tum voluntatis,quam ex veterum ac recentium Philoſophorum diſcordia porro deducit. Utri parti præ altera laurus ſit adjudicanda, non declarat, neutri tamen nimis altos ſpiritus tumidaque verba convenire exiſtimat. In quantum enim de Antiquorum ſapientia e paucis illis ſpeciminibus literariis hucusque ſuperſtitibus conjicere liceat,nihil ſane admirandi aut inſoliti ibidem latitare, quod eorum poſteri proprio Marte aſſequi non poſſent. Olim quippe rem ita comparatam fuisſe,ut intricatæ nonnullæ atque ænigmaticæ locutiones cuivis homini Sapientis elogium ſubito pepererint; imo quavis fere opinione,haud raro abſurda,at ingenioſe defenſa,facile audaculum quendam ad principatum novæ Sectæ Philoſophicæ ſeſe evehere potuiſſe; cumque antiquiſſima Philoſophia ſymbolis ac numeris, nil profecto arcani in ſe continentibus, implicata fuerit,haud difficulter liquet,e re ſua duxiſſe magnos illos Viros, induta nube e longinquo apparere, ipſique obſcuritate venerationem ſcriptis ſuis conciliare. Illos vero,qui magis perſpicuum dicendi genus affectarunt, haud plura in medium protuliſſe, quam quæ ſana ratio experientia & ſagacitate pauliſper firmata cuilibet citra lectionem ſuggerere poſſet. Ipſa de cætero prima veritatis principia adeo toto,quod ajunt, cœlo diverſa atque ambigua inter ipſos fuiſſe,ut Sceptici mature ſatis anſam acceperint de quavis re dubitandi,negandiq; ullam veritatem in mundo dari.Modernos equidem eo abſurditatis nondũ proceſſiſſe, videri tamen viam, quæad Scepticiſmum ducit,valde expeditam ſtruere.Ejecta enim ſcholis Philoſophia Ariſtotelica,ſub qua minores lites, tantumque ad minimum certitudinis, quantum in præſenti habemus,occurriſſe judicatAutor,eos titubanti greſſu modo ad hanc, modo rurſus ad aliam opinionem propendiſſe. Nam Platonis doctrina,quæ una cum literatura Græca reviviſcere cœperat,magnoque in pretio elegantiorum artium cultoribus habita fuerat,poſt non ita multo, ubi hæreſin promovere deprehendebatur, ad tenebras relegata diſparuit. Suis jam inventis delectabantur magis Moderni,quam jejunis veterum ſyſtematibus, ſed irrito pariter tantorum moliminum ſucceſſu,donec tandem Carteſius ſupervenit, qui ſepoſito omni præjudicio rem deploratam dubitando reſtituere, atque in ipſa incertitudine veram ſui exiſtentiam evidenter ſtabili-

bilire conatus, varias Ideas in complementum vaſtiſſimæ ſtructuræ animo conceptæ excogitavit. Iſtam autem philoſophandi rationem nimiæ oſtentationis obiter inſimulat, quemadmodum & illorum immoderatos ſpiritus reprimit, qui de reliquarum artium incrementis ſesquipedalia jactitare non erubeſcunt, longeque modeſtius ipſis ſentiendum eſſe, multis argumentis per univerſam fere diſciplinarum ſeriem diſcurrendo comprobat.

Primo igitur loco de Linguis, quibus ceu rivis ad ſcientias imbibendas carere non poſſumus, in Cap. II ſermonem *instituit*, illarumque inſignem varietatem ac periodicam alterationem maximis obſtaculis in hoc ſtudio accenſet. Utut enim ad eruditionem æque omnes minime requirantur, aliquas tamen, v. g. Arabicam, Græcam &c. ita neceſſarias haberi, ut propterea eruditarum appellatione cohoneſtentur, quibus ipſis monſtroſa vocabulorum fœtura ſuppetit. Priorem quidem ſynonymis eum in modum abundare, ut quingentas voces numeret, quæ Leonem, mille fere, quæ Enſem ſignificent; alteram in radicibus minime diffuſam, compoſitis ac derivatis tantopere luxuriare, ut nihil ſupra. A mutabilitate autem, quam ex genio hominum aliisque cauſis politicis promanare oſtendit, occaſionem arripit mirifica fata ac viciſſitudines, quæ Latinam Græcamque Linguam per varias ætates exercuerunt, uberius exaggerandi; cui malo licet Dictionariorum ſtrues mederi videatur, ea tamen adeo diſſonantia venditare, tam manca eſſe atque *imperfecta, ut indigeſta* ſua mole plus oneris quam auxilii apportent. Probat hoc exemplo Dictionarii, cui conſummando poſtquam Academia Gallica unitis ſtudiis quadraginta annos incubuiſſet, ubi in lucem prodiit, ſpongiam criticam adhuc efflagitavit. Cæterum præclara illa conſilia de Lingua Philoſophica efformanda inita, ad effectum deduci haud potuiſſe. In Cap. III miſeram conditionem Grammatices prolixius enarrat, eamque, fruſtra ſymbolam conferentibus Criticis, qui huc usque extiterunt, innumeris ſcoriis atque exceptionum ambagibus adhuc impediri aſſerit Neque illud admirandum eſſe, ſiquidem ea longiſſimo intervallo poſt inventas linguas adminiculi loco demum acceſſerit, neutiquam vero cum iisdem ſimul ortum ſuum habuerit. Clariſſime iſtud demonſtrat in ſingulis ejus partibus, Orthographica, Analogica, Syntactica, & Proſodica, quæ ultima utut levioris momenti nonnemini videri queat, fomi-

mitem tamen ad plurima jurgia ſuppeditavit tanta cum animorum contentione ſuſcepta,ut Andabatarum pugnas identidem pugnari jurares. Hujusmodi theatrum ſeſe potiſſimum aperuit in Anglia ob Linguæ Græcæ pronunciationem, quam cum diu negligentius habitam ac contemtam animadverterent Smithus & Checus, priſtino nitori eam reſtituere ſummis viribus annifi ſunt, ſucceſſu haud infelici,aſt Gardinerum Epiſc. Vintonienſem adverſarium nacti, qui plus quam dictatoria autoritate modernam Græcorum pronunciationem alumnis Academiæ Cantabrigienſis ſeveriſſime imperabat, a propoſito tantiſper ceſſare debuerunt. Pergit inde ad Cap IV, in quo Rhetoricæ atq; Eloquentiæ vitia & defectus perſtricturus operoſe oſtendit, quam imperfecta illa veteri ævo fuerit,adeo ut nec ipſi Ciceroni, quem anteſignanum hactenus in arte oratoria poſteritas obſtupuit, dicendi gloriam integram ſinat, nec noſtram ætatem ea in parte feliciorem credat, utpote quam eosdem nævos poſtventuris olim exagitandos præbituram ſibi perſuadet,quales in majoribus deriſit. Haud mitius judicat in Cap. V de Logica, ſeu, uti a Neotericis appellari amat, Arte cogitandi,quæ ad rationem corroborandam adinventa natura ſua notabilem intellectus imbecillitatem involvit, quandoquidem incorruptioris multo magisque vegetæ rationis indicium reputandum foret,ſi ſophiſmatibus iſtis atque argumentis Logicis, tot mediis terminis in figuras anxie redactis ſuperſedere poſſet. Quid ergo pretii Ariſtotelis Logicæ ac Topicis Ciceronis,Rami item ac Vallæ laboribus,Baconis Organo Novo, Carteſii Meditationibus, Arti cogitandi,quam Arnoldo Gallo vulgo tribuunt,ac denique Medicinæ Mentis ſtatuendum cenſeat, Id omne ſub hoc articulo ſollicite conſignavit. Sextum caput Philoſophiæ morali deſtinat, atque ibi exponit, quam parum illa ſibi conſtiterit, quamque miſere ſententiarum divortiis diſcerpta fuerit ſub Ethnicis Philoſophis,adeo ut Varro jam ſua ætate octoginta octo ſupra ducentas opiniones varias de Summo Bono tantummodo numeraverit. Nobis autem,quibus normam clariorem & fallere neſciam ScripturaS. largitur,decentiore habitu eam ſeſe offerre;illa vero neglecta,in eadem præcipitia nos delabi, ceu modernorum Caſuiſtarum & Jeſuitarum exemplo, qui ſpecioſa Peccati Philoſophici & Probabilitatis deliria maximo cum pietatis decremento orbi obtruſerint, comprobari putat. Nolumus tædioſe immorari iis imperfectionibus,

bus, quas in cap. 7 in Philoſophia Naturali, atque in cap. 8 in Aſtronomia acute obſervat. Certius enim jam certo omnibus conſtat, nullas Hypotheſes aut Theorias, vel ab ingenioſiſſimis Viris in ſcenam prodire juſſas, ita perſpicue phænomena naturalia demonſtrare poſſe, quin ſemper innumera dubia explicatu difficillima remaneant. Adhuc Cimmeriis inerramus tenebris, inanique labore in Ptolemæi, Copernici, Tychonis, Galilæi, Kepleri, Hevelii &c. Syſtematibus, motus naturamque corporum cœleſtium ſcrutamur, cum ceſpitandum ſit circa corpora, quæ ante pedes poſita ſunt. Eadem caligine atque indigentia premi in cap. 9. pluribus docet Metaphyſicam, vel Theologiam naturalem, prout Ariſtoteli audit, quandoquidem ratio ſibimet relicta tantis viribus non polleat, ut Philoſophos eosque ſagaciſſimos in rerum divinarum ac ſpiritualium inveſtigatione longius provehere queat, licet Carteſius, Poiretus, Mallebranchius inſigniter in hac ſcientia ſibi profeciſſe videantur. In capite decimo Hiſtoriæ defectus annotaturus, late per Græcam, Romanam, aliarumque gentium, etiam noſtri ævi hiſtorias exſpatiatur, ac nullum fere Hiſtoricum exiſtere affirmat, qui non monumenta rerum geſtarum ſumma cum integritate ac ſollicitudine conſcripta a ſe profiteatur. Verum intra Præfationis cancellos primasque paginas ſubſiſtendum eſſe, alias in reliquo operis contextu fruſtra jactatam illam fidem atque induſtriam requiri. Ipſum enim Vopiſcum, ſcriptorem non obſcuri nominis, ingenue fateri, *neminem Scriptorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum.* Concludit itaque, perfectam hiſtoriam non apparituram, niſi eo anno, quo perpetuum mobile ac Lapis Philoſophorum detegentur. Poſt hæc denſa macularum agmina, quæ ejusdem duos oculos, Chronologiam puta ac Geographiam hebetant, offendit, atque in cap. 11 ac 12 non perfunctorie exagitat. Sive enim eam ſcientiam, quæ varias diverſarum gentium epochas, annorumque ac menſium calculum figit, reſpicias, neque a Chinenſium, Ægyptiorum, ac Chaldæorum fabulis, neque a Græcorum & Romanorum computandi ratione, neque a Scaligeri, Petavii, Baronii, Pagii aliorumque lucubrationibus, tantum illi acceſſiſſe incrementi aſſerit, ut in præſenti omnibus partibus abſoluta dici poſſit: ſive quoque eam contempleris, quæ univerſum orbem terrarum locaque ſingula diſtinctis intervallis emetitur, etiam illam impedimentis obſtrui vix ſuperandis. Licet

cet enim proximius ævum ſpatioſiores tractus invenerit, attamen incognitam adhuc eſſe Aſiam atque Americam, qua Septentrioni objacent; inhoſpitales Africæ mediterraneæ regiones, terramque Auſtralem abſcondi; de Chinæ nimia verſus Orientem protenſione non injuria diſceptari; certam graduum Longitudinis ac Meridiani poſitionem in quæſtione verſari; circa urbium antiquarum ſitum attonitos hærere Geographos, Babyloniſque clariſſimæ urbis ſitum haud ſecus ac cujusvis alterius ignobilis pagi ignorari. In cap. 13 Jus Civile ponderandum ſumit, cujus excellentiæ quamvis nullo modo derogare prætendat, nihilominus cum nullæ humanæ leges labe careant, hinc eodem fato illud laborare innuit, inque hujus rei probationem ad legem illam XII. Tabb. quæ debitoris obærati corpus poſt mortem diſcerpi, atque inter creditores dividi jubet, nec non ad feſtinatum illud, proptereaque indigeſtum, Digeſtorum opus, fœcundam antinomiarum abyſſum provocat. In cap. 14 Jus Canonicum perſtringit, ac Decreti quidem a Gratiano compilati indecentiam objurgat, quoniam inter alia eum, qui pro uxore concubinam habet, a communione non repellendum doceat; imperioſum inſuper Decretalium faſtum, ſupinam Gloſſæ ignorantiam, ac Canoniſtarum ſervilem adulationem breviter, ſed non ſine ſale, perluſtrat. Medicinæ debiles ſucceſſus ſpeique parum reſpondentia conamina redarguit in cap 15, ab Hippocratis & Galeni ſeculo usque ad noſtra tempora decurrens, Medicorumque inter ſe de natura morborum remediisque congruis altercantium æternas rixas ac bullatas Chemicorum nugas enumerat, tandemque concludit, Medicinam tum corporum noſtrorum habitus ac victus, tum medicamentorum, quibus officinæ onerantur, intuitu, rerum omnium incertiſſimis eſſe aggregandam. In proximo capite cenſoriam ſcientiam ſeu Criticen taxat, quam ut noſtro quidem ævo a nonnullis exerceri ſuevit, definit artem inveniendi errores, eosque leviores, parumque ad principalem Autorum ſcopum pertinentes. Quod ne temere aſſeruiſſe videatur, celeberrimum par Criticorum, quorum alter *Hiſtoriam Criticam Veteris & Novi Teſtamenti*, alter vero *Artem Criticam* vulgando, multum ſtrepitus in Republ. literaria dedere, e tanta multitudine in ſcenam producit, multisque argumentis evincere nititur, eos, dum laborem ſibi ipſis indixerunt, ut aliorum errores venarentur, genuinum verborum ſenſum ſæpenumero corrupiſſe,

piſſe,longeque gravius impegiſſe. In cap. XVII de Orientalium rerum ſtudio tractat,quarum penuriam ac nævos poſtquam attento oculo inſpexit, uſum ſcriptorum Rabbinicorum atque Arabicorum maxime in confutando Alcorano & Talmude ſeſe exſerere aſtruit. Tandem in cap. 18 Theologiam Scholaſticam evolvit, in qua deſiderat illa adminicula, quæ illi imprimis propria eſſe deberent,cognitionem ſc. Græcæ linguæ ad intelligendam Philoſophiam Ariſtotelicam & Patres,& Criticam ad diſcernendos autores genuinos a ſpuriis, atq; ad detegendos impoſtores, qui ſub Patrum nomine in curiam fuere recepti. Deinde accuſat eam ineptæ partium præcipuarum connexionis, ut pote quæ conflata ſit e Philoſophia Ariſtotelica & Sententiis Patrum,qui tamen maximam partem Platonis caſtra ſequuti Stagiritam, vel ob ſophiſtica ejus ratiocinia, vel ob notiones incongruas de Deo ejusque providentia, damnabant. Tertio captioſitatis vitium illi exprobrat,unde factum ſit, ut Doctores ejus Profundi, Subtilis, Irrefragabilis &c. agnomine inſigniantur. Quarto obſcuritatem ejus reprehendit, eo quod terminis technicis atque intricatis citra neceſſitatem redundet. Quinto inquinatiſſimum dicendi genus barbarasque locutiones taxat,quas tamen utcunque ferret, modo ſcientias expeditiores redderent. Perluſtratis igitur ſingulis eruditionis ſpeciebus, notatisque defectibus ac mendis, quibus ſubjacent, colligit, quandoquidem in illis mens noſtra exſatiari nequeat, aliunde appetitus noſtri complementa eſſe accerſenda. Nihil autem certius animo,inquiſitione rerum incaſſum defatigato, ſeſe offerre, quam ſupremam veritatem errare neſciam,quæ in Scriptura S. ſeſe clare revelavit. Neque abſque providentia divina id eveniſſe ait, ut ſcilicet dependentiam noſtram a Numine O. M. eo magis agnoſceremus, ac neceſſitate quadam adigeremur ad oracula ſacroſancta evolvenda, quæ naſutum hoc ſeculum multo inſolentius traduceret, ſi aliquid æque perfectum extaret,quo duce cœlum appropinquare poſſent. Illam quidem dementiæ culpam a ſe deprecatur, quaſi diſcurſibus hiſce omnem ſcientiis profanis gratiam derogare in animum induxerit,vel cum Anabaptiſtis omnes libros præter Biblia comburendos exiſtimet; id tamen ſerio defendit,quotiescunque mortales nimis petulanter ſe gerant,atque in graviſſimum religionis diſpendium, tenebricoſam rationem revelato verbo opponant,toties cujusvis cordati officium eſflagitare,

ut

ut intra limites ſuos eam compellat, neque ad veſanum extra ſphæram evagandi pruritum conniveat. Quod ſi enim eam ratio tranſcendat, atq; ultra doctrinam divinitus patefactam ſapere velit, næ tum ſibimet ipſi contradicere, cum nihil ſit rationi conformius, quam ſacris oraculis fundatis ſuper veracitate Divina, fidem adjicere. Illud enim aſſertum, *quæcunque Deus revelavit, vera ſunt*, tam certum eſſe quam quod certiſſimum. Si quis forte objiciat, tantas circa divinas veritates diſcrepantias occurrere, ac circa naturales; illi regerit, modo mente integra nulliſque præjudiciis contaminata ad tractandam Scripturam S. quis ſe applicet, quemadmodum Philoſophi ad lectionem ſuorum operum lectores præmunitos expoſcunt, fore, ut accedente tantum gratia ordinaria, quæ nunquam implorantibus eam deeſſe ſolet, de ambiguitate atque obſcuritate ſcriptorum ſacrorum conqueri nemo habeat. Deum enim, qui omnes homines ad vitam æternam deſtinavit, omnes quoque neceſſaria ſapientia inſtruxiſſe, atque ita ordinaſſe, ut veritates maximi momenti facillimæ eſſent omniumque expeditiſſimæ. Præterea quoque arcanam vim ipſis indidiſſe perſuadendi non modo, ſed & aſſenſum extorquendi, ut adeo non inepte rationis virtutem lumini, revelationis fulmini comparandam arbitretur.

CABINET DES SINGULARITEZ D' ARCHITECTURE, Peinture, Sculpture & Graveure &c.

i. e.

MUSEUM SINGULARIUM ARTIS ARCHITECTONICÆ, Pictoriæ, Sculptoriæ atque Scalptoriæ, vel Introductio in cognitionem pulcherrimarum Artium, ſub tabulis pictis, ſtatuis ac figuris æneis repræſentatarum. Auctore FLORENTE LE COMTE, *Sculptore & Pictore Pariſienſi.*

Pariſiis, apud Nicol. le Clerc, 1699 & 1700. in 8. Tomi tres. Conſtant Alph. 5. plag. 13.

Si artifici perito in arte ſua credendum eſt, nemo certe erit ad ſcribendum de arte Pictoria, Sculptoria &c. aptior, quam is, qui artes has exercuit ipſe. Majorem ergo merebitur applauſum tractatus præ-

Digitized by Google

præſens de prædictis artibus agens, quippe qui a ſtatuario & pictore inter hodiernos Pariſienſes haud poſtremo, tametſi non anxie ſervato ubivis ordine, conſcriptus eſt.

Conſtat autem tractatus integer tribus voluminibus, quorum I continet ſummarium Hiſtoricum artis architectonicæ, Præfectorum ædificiorum Regiorum in Francia, itemque architectorum, qui ædificia publica exſtruxerunt. Huic ſummario annectuntur Vitæ & opera ſculptorum ac pictorum, ex antiquis juxta atque modernis autoribus in compendio deſcripta, una cum judiciis præſtantiorum in artibus his artificum de uniuscujusque operibus. Sequitur poſtmodum tractatulus de illis, qui in pictura vitriaria excelluerunt, & diſcurſus de modo ſcalpendi figuras æneas: qua occaſione characteres etiam, quibus ad ſignanda opera ſua veteres ſcalptores uſi ſunt, tribus diſtinctis tabulis, p. 174 & 182 expreſſi inveniuntur. Tandem concludunt volumen hoc catalogi tabularum pictarum & figurarum ænearum, a præcipuis hujus artis magiſtris confectarum, Marotis nimirum patre & filio, Vandermeulen, Rubenio, Vandick, des Caraches, & Nanteüil; itemque illarum, quæ in muſeo Regio Pariſienſi, in porticu (Gallerie) palatii Regii, in templo B. Virginis Mariæ (de Notre Dame) ex donationibus aurifabrorum Pariſienſium anniverſariis, atque in muſeo Principis Leopoldi Wilhelmi, quod Bruxellis eſt, inveniuntur.

Volumen II *proponit omne id*, quod de diverſis pictorum *recentiorum ſcholis ſcitu eſt dignum*. Incipit autem a Florentina, *quam ſequuntur* Romana, Veneta, Lombardica & Bononienſis, tandemque agit de pictoribus tranſalpinis, Belgis nimirum atque Germanis. Sub finem autem hujus voluminis præter tabulas æneas, in quibus Italorum & Germanorum quorundam pictorum ſcalptorumque ſigna exprimuntur, annexus eſt catalogus, ut in præcedenti, varii generis picturarum & figurarum ænearum, Claudii Mellani, Tempeſte, Wilhelmi Baurn, des Bloemaert, Calloti, de la Belle, des Sadelers & du Pouſſin.

III & ultimum hujus tractatus volumen agit de ſchola Gallorum, vitas & acta proponens illorum omnium, qui in Franciæ regno in arte pictoria excelluerunt, una cum judiciis & cenſura, quam alter de altero dare conſueverunt. Sequitur deinde pictorum illorum recenſio, qui in præcedentibus duobus tomis prætermiſſi fuerant.

Hanc excipit exacta tabularum pictarum, figurarumque ænearum & ſtatuarum deſcriptio, quæ a membris Academiæ Regiæ confectæ & omnium cenſuræ in magna Regii palatii (Louvre) porticu, menſe Septembri anni 1699, publice expoſitæ fuerunt. Poſtmodum agit Auctor ex profeſſo de arte conficiendi figuras æneas, ſeu ſcalptoria. Et quamvis de hac ipſa jam actum fuerit in vol. I, ubi p. 139 de principiis artis ſcalpendi multa profert, alio tamen modo hoc pertractare deprehenditur argumentum in præſenti volumine. Vitas ſcalptorum enim recenſendo, mentionem etiam facit illorum, qui arte hac delectati, præſtantiorum artificum opera collegerunt. Claudit autem volumen hoc & integrum etiam tractatum catalogus figurarum æri inciſarum, Domini le Brun, pictoris Galli, & Raphaëlis Itali, picturas repræſentantium.

FRANCISCI ET JOANNIS HOTOMANORUM ET CLARORUM Virorum ad eos Epiſtolæ. Quibus accedit Epiſtolarum Miſcellanearum virorum doctorum Appendix. Ex Bibliotheca JANI GULIELMI MEELII J. C.

Amſtelædami, apud G. Gallet, præfectum typographiæ Huguetanorum, 1700. in 4. Alph. 2. plag. 20.

REm gratiſſimam orbi litterato feciſſe Clariſſimum Virum *Janum Gulielmum Meelium*, haſce Hotomanorum epiſtolas luci publicæ exponendo, nemo dubitaverit, niſi qui plane ignoraverit, quam egregia ad hiſtoriam civilem, eccleſiaſticam, litterariam, ex ejusmodi doctorum virorum epiſtolis redundent commoda. Ad Meelium autem hæ epiſtolæ pervenerunt opera & ſtudio ſummi viri Jo. Georgii Grævii, ad quem a Gallo quodam eruditiſſimo, ut Meelio audit, fuere miſſæ, ea lege, ut omnes una ederentur. Hinc & conqueritur Meelius, negatam ſibi, quam ardenti voto exoptarit, poteſtatem in vulgandis his epiſtolis delectus rationem habendi: haud paucas enim, quæ nullius momenti ſint, omitti potuiſſe. Sed bene factum, quod eas etiam edere maluerit, quam pati, ut totius cimelii jacturam faceret Reſpublica litteraria.

Præmiſſa eſt epiſtolis vita *Franciſci Hotomani* a Petro Neveleto Doſchio JCto conſcripta: quæ tamen cum inter aliorum quorundam JCtorum vitas a Friderico Jacobo Leickhero edita, & Lipſiæ A. 1686

1686 impreſſa in omnium verſetur manibus, ſupervacaneum duximus eam denuo repetere, aut ex ea quicquam excerptum hic inſerere. Proinde ex ipſis ſolum epiſtolis nonnulla, quæ obſervatu digna viſa fuerint, indicabimus. In epiſtola I Franc. Hotomanus ad Henricum Bullingerum de viris quibusdã doctis Baſileæ degentibus hoc fert judicium: *Suicerum & Amerbachium probo imprimis, itemq; Gratarolum noſtrum, neque dubito eſſe alios quam multos, quorum integritas & religio Deo grata ſit. Sed Caſtalionis ita ſunt ſtudioſi & amantes plerique, ut hoc, quaſi Atlante cœlum, fulciri religio & pietas exiſtimetur.* Ep. VII refert, Sorbonicos Doctores a Rege Galliæ petiiſſe, ut in Lutheranos inquiri juberet. Cum Rex reſpondiſſet, *Se eam curam Senatui mandaſſe,* iique regeſſiſſent, *totam Curiam Parlamenti Pariſienſis inquinatam eſſe*, iracunde intuliſſe Regem: *Quid vultis igitur faciam, aut quid conſilii capiam? An ut vos in illorum locum ſubſtituam, & rempublicam meam adminiſtretis?* Velſii cujusdam cum Calvino diſputationem memorat Ep. VIII, in qua ille omnem exiſtimationem ſuam perdiderit, hic maximum apud omnes retulerit adplauſum. Ad Argentoratenſis Eccleſiæ hiſtoriam pertinet, quod epiſt. IX innuit. Nimirum cum narraſſet, Matthiam Farrerum Argentorati propediem Conſulatum initurum, addit: *Is eſt, de quo piæ memoriæ vir D. Sleidanus mihi ſæpenumero affirmavit, ſpem* ejectionis Interim *maximam in illo ſitam.* Ep. X. dicit: *Marpachius Farelli & Bezæ orationem probare videbatur, qui dicebant, ſe non inane ſignum quaſi Chriſti abſentis accipere ſolere. Idem D. Michael Electoris concionator, humaniſſimus vir, faciebat. Itaque ſpes non exigua me tenet, fore ut in colloquio Wormacienſi noſtri audiantur.* Colloquii inter Lutheranos & Reformatos inſtituendi multa in epiſtolis Hotomani eſt mentio. Ea de re dum etiam Johannes Calvinus agit in epiſtola ad Hotomanum, quæ eſt XI, inter alia de Philippo Melanchthone dicit: *Vereor autem ne Philippus, qui nuper ultimo aſtu corrupit, quicquid adeptus erat laudis, reſiliat. Et certe cum in perſona Zuinglii damnaverit Helvetios, aucta jam eſt deſperatio, quæ prius odioſa colloquia reddebat.* Ep. XIV Hotomanus ſcribit, Maximilianum Regem legatos duos Auguſtam, Tubingam, & Heidelbergã miſiſſe, qui rationem eccleſiæ Viennæ conſtituendæ cum Theologis ineant. Ep. XXI Bullingero refert, editum Argentorati libellum eſſe de cœna, additque: *Sturmius præfationem ſcripſit, Cokur*

editur reliquum ſcripſiſſe. Forte hic libellus de Cœna Domini eſt, quem Simlerus in *Ep:t. Biblioth. Geſneri* ipſi Hotomano tribuit. Sed judicent hac de re alii. Ep. XXIV ad eundem Bullingerum ſcribit: *Marpachius noſter numquid Tibi vir egregius videtur? Profecto, inquit, ſi verum eſt, quod ajunt de Gallia, fore ut Evangelium ibi promulgetur, omnes evadent Zuingliani. Utrumne ex Dei an alterius ſpiritu iſta vox manavit?* De Franco-Gallia Hotomani Jacobus Capellus ad illum ſcribit Ep. XXXII, eamque magnopere laudat. Ep. XXXIV Wilhelmus Landgravius Haſliæ, quo pacto Henricus Valeſius Poloniæ Rex a ſe exceptus ſit, refert, & inter alia hæc addit: *M. Johannem Garnerium, Theologum noſtrum opinione religionis & virtutis nobis familiarem & carum, una nobiſcum in Vacbenſe oppidum eo potiſſimum conſilio adduximus, ut oblata forte occaſione a Rege concionem habens audiretur. Sed Rex adeo ſtudioſe præcavit, ut etiam neglecta benedictione & conſecratione menſæ, contra morem omnium Chriſtianorum, cibum ceperit, ne vel hac ratione præfatum Garnerium audiret.* Rurſus de Franco-Gallia Hotomanni Jacobus Capellus Ep. XXXVIII ſcribit: *Quod ſi ad judicem eundum ſit* (in Gallia) *ſcis quam odioſum ſit nomen tuum, vel unius Franco-Galliæ nomine, quæ, quantum video, etiam Sabaudis ipſis exoſa eſt. Cui etiam cur nomen tuum adſcripſeris, non video: certe multi parum conſulte factum a te judicant.* Sed reſpondet ad ea Ep. ſequente XXXIX, quæ huc fere redeunt, nihil ſe ſcripſiſſe quod non rationibus & teſtimoniis confirmatum ſit, adeoque nullam ſe videre rationem, cur nomen diſſimulare debuerit. Ep. XL ad eundem Capellum de eodem libro ita ſcribit: *Henrici Matharelli neſcio cujus ſcriptum vidi contra Franco Galliam noſtram, adeo ſtultum, barbarum, ſtolidum, ut ſatis conſtituere non poſſim, quemadmodum illi reſpondeam. Sed confido Paſſavantium aliquem huic muneri non defuturum.* Idem etiam de hoc Matharelli ſcripto eſt judicium Jacobi Capelli Ep. XLII. Epiſt, XLIV Wilhelmus Landgravius Haſliæ ad Hotomanum multa de Hugonottarum rebus ſcribit, judiciumque ſolidum de propagatione Evangelii interponit, quod alia longe ratione ea peragatur, ac homines velint aut ſibi perſuadeant. Idem Wilhelmus ab Hotomano Ep. LI petit, ut Medicum ſibi commendet, cui ſe tuto committere poſſet; ſed addit: *ante omnia autem videndum, ut iſte ſit Hippocraticus, nam Paracelſiſtas cum ſuis Chymicis ſomniis non admittimus.* Librum

quen-

Digitized by Google

quendam contra Ubiquitarios, ut vocat, a ſe ſcriptum & ſub Jo. Palmerii nomine editum ſignificat Hotomanus Ep. LXIV, quæ eſt ad Rud. Gualtherum. Innuitur ſine dubio *Jo. Palmerii Nullitatis proteſtatio adverſus Formulam Concordiæ*, quam Hotomano jam ex Schlüſſelburgio & Huttero vendicavit Vincentius Placcius in ſuo de Scriptoribus pſeudonymis opere. Sulzeri paſſim mentio fit in his epiſtolis, querelarumque contra eum effunduntur plauſtra, quod Reformatis ſeſe oppoſuerit. *Sulzerus*, inquit Rudolphus Gualtherus Ep. LXIX, *qui fictitia ſua humilitate & monaſtica blandiloquentia quorundam optimatum mentes faſcinavit, ſolus cum paucis omnia agit.* Idem Gualtherus Ep. LXXV ad Hotomanum ſcribit, Jacobum Andreæ Lipſiæ non admodum honorifice exceptum eſſe: *cauſa*, inquit, *indicantur varia & diverſa, ſed non miror, ſi homo levis & ſuperbus, qui ſola loquentia & Principis auctoritate pugnat, multis inviſus ſit.* Quod Formulæ Concordiæ ſubſcribere recuſaverit, Ep. LXXXIV Hotomano narrat Wilhelmus Landgravius Haſſiæ. Idem Ep. LXXXV conqueritur, quod pax eccleſiarum Germanicarum elato quorundam Theologorum ſupercilio magis, quam pio aliquo pietatis zelo, ſpecie novæ alicujus Formulæ Concordiæ invicem conſtituendæ, conturbetur. Narrat porro, miſſos ad ſe fuiſſe Jacobum Andreæ, Chemnitium & Wilhelmum Zimmermannum cum aliis, ut approbationem & ſubſcriptionem Formulæ Concordiæ a ſe impetrarent, ſed nihil eos obtinuiſſe. *Licet enim*, ita loquitur Wilhelmus, *ingenii viribus & ſophiſticis illorum deliriis impares fuiſſe libere nos fateamur, Lydio tamen verbi Dei lapide totam hanc controverſiam diſceptari cupientes, quantum momenti frivola illorum argutiæ habuerint, totius negotii exitus, nec non acta utrimq; exhibita ſatis comprobarunt.* Ab Electore Saxoniæ prohibitum fuiſſe, ne exempla Formulæ Concordiæ jam impreſſa venderentur, idem Wilhelmus refert Ep. LXXXVIII. Sed in epiſtola quoque XCIV nonnulla ad hiſtoriam Formulæ Concordiæ ſpectantia occurrunt. Eo enim Rudolphus Gualtherus omnia conſilia conferenda cenſet, ne infelix Pandora (ita eam vocat) diplomate Imperiali & Comitiorum publico munita publicetur. Antonii Sadeeli diſputatio contra Turrianum Jeſuitam edita laudatur a Wilhelmo Landgravio Haſſiæ Ep. CIII. Petrum Martyrem ſolitum fuiſſe dicere narrat Gualtherus Ep. CXI, in cauſa ſacramentaria privatum affectum concurrere, & Lu-

theranos per Germaniam odio, quod contra Helvetios olim concepe-runt, indulgere; & ſæpe ſubridens, inquit, dicebat: *Profecto iſti Lanzknechti nos non amant.* In eadem epiſtola rurſus acerbe in Jac. Andreæ invehitur. Ep. CXVI refert Wilhelmus Landgravius, quosdam Lutheranorum odio in Calvinianos eousque progreſſos eſſe, ut docerent, panem in ſacra Domini cœna populo non modo oſtendendum & ſublevandum, ſed etiam adorandum eſſe. Ep. CXLII Juſtus Reuberus Hotomanum hortatur, ut Juris Canonici oppugnationem ſuſcipiat, quippe ad quam nemo melius illo ſit inſtructus. Idem Reuberus animum Lutheranis infenſiſſimum prodit Ep. CXLIV. Ludovicum enim Landgravium Haſſiæ Ubiquitarium ſummum vocat, eumque talem factum dicit a dominante conjuge, quæ ab Hunnio Theologo peſſimo nebulone regatur. Ep. CXLVII Hubertus Giphanius docet, non eſſe cauſam, ut Hotomanus in libro ſuo de re nummaria miretur, Neronem tam avide *aſperos nummos* conquiſiviſſe, cum ejus rei cauſa hæc videatur, quod aſperi eſſent magis integri & minus detriti vel circumciſi, quodque in illis effigies magis extarent vel eminerent, & proinde vero magis reſponderent. Ep. CXLVII Danieli Toſſano ſignificat Hotomanus, ſe contra Jus Canonicum habere notas innumerabiles, quas facili negotio edere poſſet, aſt Mecænate ſibi opus eſſe. Titulum operi ſe facturum dicit: *Scarabeus Antichriſti Romani, ſeu Patefactio corruptelarum, falſitatum & impoſturarum Juris Decretaliſtici.* Ep. CLXXIII Reuberus commemorat, Electores Saxonem & Brandenburgicum ſevere exterarum eccleſiarum condemnationes prohibuiſſe, additque: *Wirtenbergicum cum ſuo Pontifice Jacobo Andrea hæc ſpectantem, ad inſaniam redactum iri putant.* Ep. CLXXIV Hubertus Giphanius ſuam de Hotomani obſervationibus ſententiam libere exponit, præclara quidem multa in illis eſſe de Jure & in Ciceronem aſſerens, non tamen omnia ἀνέλεγχτα; ſimul ab eo quærit, quid in Orat. de Provinc. Conſ. ſit, *Cuſtodias ſuſtulit.* In Ep. CLXXVII Juſtus Reuberus narrat, Nuntium Pontificium cum Coloniæ de Ducis Guiſii cæde nuntium accepiſſet, valde fuiſſe perturbatum, & in hæc tandem prorupiſſe verba: *tria fuiſſe, in quibus omnem ſpem poſuerint, nempe in Maximiliano Auſtriaco, ſi ille regnum Poloniæ acquiſiviſſet; in claſſe illa Hiſpanica, quam Angliam certo occupaturam arbitrabantur; & in Guiſio, quem ea omnia effecturum ſperaverant, quæ ani-*

Digitized by Google

animo conceperant, quæque inter ipſum & alios pacta & conventa erant. Denique in Ep. CLXXXI Reuberus Hotomano gratias agit, quod in ſcripto quodam publico ſui mentionem injeciſſet, addit tamen: *vellem etiam de integritate mea animique candore & continentia aliquid additum fuiſſet.*

Sed ex Franciſci Hotomani Epiſtolis hæc ſufficiant. Johannes Hotomanus, Franciſci filius, initio Leiceſtriæ Comiti a ſervitiis, tandemque ſecretioribus litteris fuit, & poſt varia demum fata, Advocatorum ordini Pariſiis adſcriptus eſt. Variæ itaque virorum doctorum, qui Oxonii tum degebant, cum Leiceſtrius Reginæ Eliſabethæ gratia floreret, ad Hotomanum, & hujus ad illos extant epiſtolæ, maximam partem ad benevolentiam mutuam aut captandam aut ſignificandam comparatæ. Ep. XI, quæ eſt ad Zuingerum, Hotomanus conqueritur, Johannis Caymondi doctiſſimi viri ſcholia in Plinii Hiſtoriam Naturalem eſſe deperdita. Ep. XXXVII, quæ Johanni Savillo eſt inſcripta, Auctor epiſtolæ maximopere commendat Aſchamii epiſtolas Latinas. *Incidi*, inquit, *in Aſchamii veſtri Latinas epiſtolas, quẽ hominem ne natum quidem exiſtimabam. Valeant Longoliana ceteraque pueriles omnes epiſtolæ.* Et paucis interjectis: *Aſchamius veſter puritate Latini ſermonis cedere paucis, argumenti gravitate omnes mihi ſuperare viſus eſt.* De Philoſtrato ſententiam ſuam aperit Thomas Savillus in epiſtola ad Hotomannum, quæ eſt quadrageſima. Pudenda *ἀνιςορησίας* exempla in eo ſe deprehendiſſe pronunciat. Cujusmodi illud eſſe dicit, quod innuat, Othonem nondum dejectum ſpe adoptionis, appuliſſe animum ad illud ſcelus, quod omnis poſteritas eſt deteſtata. Deinde *quæ*, inquit, *eſt hæc impudentia, Piſonem impudicitia arguere, quem graviſſimi ſcriptores ſeveritatis priſcæque adeo virtutis exemplum ſtatuere non dubitarunt? Jam quale eſt, quod Vindicem Hiſpanos concitantem narrat, quem pueri norunt, motis Gallis, prope Veſontionem occubuiſſe?* Ep. XLIV Henricus Cuffe acriter perſtringit Alenſonium Ducem, nuptias Eliſabethæ Reginæ ambientem. Ep. LI Hotomanus de ſcripto quodam Gentiliano (forte Alberici Gentilis, quo probare conatus erat, philoſophiam elegantioresque litteras Juriſconſulto non eſſe neceſſarias) ita pronunciat: *Certe ſi quid mei judicii eſt, ridiculum ſtylum, abſurdas opiniones, rationes ipſius nullas, verboſam & inanem orationem, cetera inſulſa, illepida, nullius momenti eſſe arbitror.*

Ita

Ita ſcio exteros omnes judicaturos, & jam hic in Aula noſtra ita judicatum a multis. Ep. CXV Hotomanus teſtatur, ſe Jacobi Angliæ Regis Δῶρον Βασιλικὸν, juſſu Regis & hortatu amicorum, ex Anglico ſermone in Gallicum tranſtuliſſe, ſimulque commemorat, ſæpius hocce opuſculum editum, & in varias linguas translatum fuiſſe. Idem Ep. CXVII cum Jacobo Lectio Juriſconſulto expoſtulat, quod cum antea in ſe ſuſcepiſſet vitam patris ſui Franciſci Hotomani ſcribere, poſtea tamen conſilium ſententiamque ſuam mutaſſet. Epiſt. CXX memorat, Wilhelmum Landgravium Haſſiæ ducentas plus minus epiſtolas ad patrem ſuum Franciſcum Hotomannum dediſſe, interque eas non paucas eſſe propria Principis iſtius manu ſcriptas. Ep. CXXXV Scipio Gentilis commemorat, quod Franciſcus Hotomanus aliquando in portu Baſileæ ſedens, ſe vulgari & inepto iſto, ut loquitur, more interrogantem, *unde Excellentia ejus adveniſſet*, comiter objurgarit, *quam* inquiens *tu Excellentiam mihi nominas? dic potius, tua miſeria, tua calamitas, tuum naufragium.* In Ep. CXXXVII, quæ Hugonis Grotii eſt ad Johannem Hotomanum, ita ille pronunciat: *ita arbitror, ſi Melanchthonis animum Lutherus, Caſſander autem mentem habuiſſet Patriarchæ Occidentis, melius actum iri cum rebus Europæ, quæ nunc miſera, ſub titulo Evangelii pacis, totum jam per ſeculum bellis funeſtiſſimis concutitur.* Idem Grotius tum in hac, tum in ſequenti epiſtola, ab Hotomano commentaria rerum Belgicarum, quæ ſibi confecerat Hotomanus, dum Leiceſtrio a litteris ſecretioribus erat, petit, eaque in Hiſtoria rerum Belgicarum magnopere ſibi profuiſſe, profitetur Ep. CXLI.

Ultimo denique loco ab Editore harum Epiſtolarum Nobiliſſimo ſubjunguntur Epiſtolæ miſcellaneæ virorum doctorum, qui proximis duobus ſeculis claruerunt. In prima epiſtola, quæ Eraſmi eſt ad Richardum Paçæum, ille multum conqueritur, quod a malevolis ſibi Lutheri quædam ſcripta tribuantur, cum Lutheri tamen fervorem neutiquam approbet. Comparent hic quoque aliquot Henrici Ranzovii ad Juſtum Lipſium, & hujus iterum ad illum, epiſtolæ. In quibus tamen nihil, quod memoratu valde dignum, niſi quod Ranzovius ſuam de fato mathematico ſententiam ſubinde tueatur. Epiſt. XIV Juſtus Lipſius ab objecto ſibi crimine, ac ſi de Germanis minus honorifice locutus eſſet, diligenter ſe purgat. Sequuntur Gothofredi

Digitized by Google

di Jungermanni ad Davidem Hœſchelium alioſque, & virorum quorundam doctorum ad Jungermannum epiſtolæ, in quibus critica quædam ſubinde inſperguntur. In epiſt. XXVII Petrus Scriverius ſuam de Græco Julii Cæſaris interprete a Jungermanno edito ita aperit ſententiam: *non eſt quidem contemnendus; ſed tamen haud ita magno litterarum cum emolumento legitur, & absque ulla ſtudioſorum fraude poterat oblitterari, quisquis eſt.* Idem in eadem epiſtola cum Jungermanno expoſtulat, quod Hœſchelio principatum in litteratura Græca tribuiſſet. *Eſt quidem*, inquit, *vir ille induſtrius & eruditionis non vulgaris, optimeque de Græcis litteris meritus, ſed cui profecto nulla vis fit aut injuria, cum eum magnis Heroibus Scaligero & Caſaubono poſtponimus.* Ep. XXXIX Claudius Salmaſius ad Iſaacum Voſſium de Freinshemio ita ſcribit: *Mira ſunt, ſed ſcitu jucunda quæ narras de Freinshemio. Itane a Curtio & Floro ac Tacito digreſſus vaticinari audet de regno Chriſti & ejus adventu? In mea tempora non, ut puto, incidet. Sed vide ne in tua, qui multo me junior es.* Hæc ex hiſce epiſtolis adnotaſſe ſufficiat, etſi non diffitemur, ſupereſſe in iis longe plurima obſervatu digniſſima, ſi prolixioribus nobis eſſe liceret.

AUGUSTINIANA ECCLESIÆ ROMANÆ DOCTRINA A Cardinalis Sfondrati Nodo extricata per varios S. Auguſtini diſcipulos.

Coloniæ apud Hæredes C. ab Egmond, 1700, in 12. Alph. 1.

QUi nodum prædeſtinationis libello edito diſſolvere voluit, celeberrimus Cardinalis Sfondratus, una eademq; opera innumeros contradictionum, pugnarumque nodos ſibi nexuit. Tot enim tamque pertinacibus adverſariis impetitum eſt ſcriptum illud, concordiæ cauſa editum, ut omnino adverſis aſtris natum videatur. Qui hunc librum, vel potius libellorum collectionem edidit, uno volumine præcipuos Sfondrati adverſarios in aciem produxit. Dedicavit autem hunc faſciculum univerſo Clero Gallicano ad Fanum S. Germani tum congregando, vel hac de cauſa, quod ille a tot ſeculis & Pelagianiſmo & Moraliſmo laxiori, quorum uterque in Sfondrati Nodo Diſſoluto triumphet, maſcule ſe oppoſuerit. In præfatione exaggerat periculum ex editione Sfondratiani libri, & dilata ejus condemnatione,

Eccleſiæ Romanæ inſtans, ſimulque F. Joh. Damaſcenum, & Auctorem epiſtolæ parvulorum ſine baptiſmo mortuorum pro defenſione Sfondrati ſcriptæ caſtigat. Continentur autem hoc faſciculo VII ſcripta, quorum *primum* eſt *Archi-Epiſcoporum Rhemenſis & Pariſienſis, Epiſcoporum Meldenſis, Atrebatenſis & Ambianenſis* epiſtola ad Innoc. XII Papam, in quo illi errores Sfondrati denunciant, partim ad doctrinam de *infantium ſine baptiſmo decedentium ſalute* pertinentes, nempe omnes ex parte Dei dilectos & ad bonum deſtinatos eſſe; iſtos quoque parvulos, etſi non ad vitam æternam, tamen ad aliud bonum illa majus creari; eos ipſos immunes eſſe a peccato proprio; non damnari, ſed ad extraordinariam claſſem providentiæ divinæ ſpectare: partim ad doctrinam de *barbarorum ſalute* ſpectantes, nimirum ignorantiam Dei in barbaris eſſe magnam beneficiorum divinorum partem; in iisdem cum nulla ſit notitia Dei, nullam quoque eſſe culpam, nullam pœnam; fidem in Chriſtum explicitam non requiri neceſſario ad acquiſitionem æternæ ſalutis: partim ad dogma de *prædeſtinatione* facientes, quam male a Sfondrato deſcribi opinantur, & naturam peccati originalis illum æque ignoraſſe affirmant. *Secundo* loco occurrit *Archi-Epiſcopi Rhemenſis C. M. Tellerii cenſura de Sfondrati libro*, variis obſervationibus conſtans, inter quas potiores ſunt, duas partes ſcripti Sfondratini ſibi invicem contradicere, cum prima prædeſtinationem extricet, altera intricet; ipſum quoque Cardinalem ſecum pugnare, dum prædeſtinationem interdum gratuitam, interdum intuitu operum factam doceat; gratiam efficacem alio longe ſenſu, quam fieri debeat, a Cardinale accipi, pro ea videlicet, cui etiam reſiſti poſſit; Scripturæ ſacræ dicta male ab illo citari; nova & paradoxa de parvulis ante baptiſmum obeuntibus ab eo doceri; eundem Auguſtino & Thomæ adverſari; myſterium prædeſtinationis extenuare; Noriſium collegam hoc libello aggreſſum eſſe, & peccatum philoſophicum defendere. Sequuntur *tertio* loco *XL Propoſitiones* ex Sfondrati Nodo excerptæ & notis diſpunctæ, quas cum addita reſponſione in Actis hiſce menſe Septembri anni ſuperioris p. 385 ſeqq. prolixe recenſuimus. Has *quarto* excipiunt *Animadverſiones in locos a Sfondrato citatos*, in quibus & S. Literas & Patres, præſertim Auguſtinum, male ab illo in patrocinium ſententiæ ſuæ adductos oſtenditur, & Sfondratum multos ſuppoſitos veteribus, maxime Auguſtino, libros pro genuinis citare,

citare, indicatur. *Quintus* libellus inſcribitur *Reſponſio pro doctrina S. Auguſtini ad Sfondrati Nodum*, totam litem omnium accuratiſſime exponens. Hujus *Cap. I* continet CII propoſitiones erroris accuſatas ex Sfondrati libro excerptas, & in quatuor claſſes, de peccato originali, prædeſtinatione, gratia & peccato philoſophico agentes diſpeſcitur. Cæterum has propoſitiones omnes tertius libellus XL Propoſitionum continet, ſi paucas exceperis, nempe ob peccatum originis neminem damnari poſſe; reprobos etiam eſſe aliquando ad cœlum deſtinatos; doctrinam de prædeſtinatione ex epiſtola Pauli ad Romanos, ut obſcure ſcripta, non probari poſſe; & quamcunque, etiam efficaciſſimam gratiam, a libero hominis arbitrio poſſe eludi, caſſamque reddi. *Caput II* falſas citationes Sfondrati, cumprimis ex Auguſtino, enumerat. *Capite III* Cardinalem ſibi ipſi contradicere, partim prædeſtinationis nodum ſolvere conantem, partim eandem ænigma inſolubile vocando, probatur. *Capite IV* Auguſtinum a Sfondrato abjecte & contumelioſe tractari enarratur, & *Cap. V* Cardinalem, non minus ac Tapperum, Leſſium, & Sirmondum, Fauſti Rejenſis Semipelagiani ſcriptis deceptum, eundemque conſtanter ſecutum eſſe, XLIV exemplis oſtenditur. Quæ *ſexto* loco occurrunt *Obſervationes in excerpta Nodi Diſſoluti*, ex ipſis cauſæ viſceribus rem eruere videntur. In illis enim *Cap. I* quid gratia ſit, generatim exponitur, nempe ſupernaturale donum; ſpeciatim *Cap. II*, quid in controverſia Pelagiana ſignificet, nempe amorem a Deo effuſum. Hinc Auctor *Cap. III* errores veterum recentiorumque circa gratiam, *Cap. IV* notiones Sfondrati de gratia exponit, & *Cap. V* refutat. Porro *Cap. VI* Sfondrati doctrinam de gratia univerſali, *Cap. VII* de infantium ἀβαπτισθέντων ſalute, *Cap. VIII* de Auguſtini auctoritate proponit: primam *Cap. IX, X, XI*, ſecundam *Cap. XII*, tertiam *Cap. XIII* refellit, elegantemque dialogum inter Auguſtinum & Sfondratum ex amborum verbis inſtituit. Sed hunc Scriptorem editor in *præfatione* variorum errorum poſtulat, ſpeciatim, quod doceat, gratiam habitualem jus dare ad actualem, gratiam orandi & actualem juſtis non poſſe denegari, Prædeſtinatianos hæreticos eſſe, omnibus hominibus gratiam dari, Angelos & Adamum majorem gratiam accepiſſe, quam nunc lapſis detur &c. Denique *ſeptimo* loco exhibetur *Excerptum ex nuper edita Hiſtoria Congregationis de Auxi-*

liis gratia, cauſam Sfondrati concernens, quod iterum excerpere noſtri inſtituti non eſt.

JOHANNIS CLERICI EPISTOLÆ CRITICÆ ET Eccleſiaſticæ.

Amſtelædami, apud G. Gallet, 1700. in 12. Alph. 1. Plag. 4.

USum artis Criticæ oſtenſurus, & ejus quaſi volumen tertium iſtius ſtudioſis exhibiturus Eruditiſſimus Clericus, epiſtolas quasdam concinnavit, quibus ſe contra ſuos adverſarios, & celeberrimum imprimis Caveum, defendit, earumque primam & ſecundam Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, tertiam & quartam Epiſcopo Salisburienſi, quintam ſextamque Vigornienſi, & tres reſiduas Pſeudonymo L. Candido Vero inſcripſit. In *prima* graviter violatam eſſe æquitatem adverſus ſe a celeberrimo Caveo, in diſſertaionet de Euſebii Cæſarienſis Arianiſmo, alteri volumini Hiſtoriæ Literariæ ab ipſo concinnatæ ſubjuncta, queritur, quandoquidem utrum Arianis, an potius Photinianis hodiernis accenſere Clericum debeat, neſcire ſe profeſſus fuerit. Originem autem iſtius, quam vocat, acerbitatis in eo quærit, quod perſuaſum ſibi is habuerit, ac ſi Vitas Patrum panegyrice magis quam hiſtorice ſcripſiſſe ipſum Clericus in Bibliotheca Univerſali Tom. X p. 479 affirmaverit. Sed quamvis ſibi iſtud tum quidem in mentem haud veniſſe innuat, oſtenſurũ tamen ſe nunc ait, non aliunde excanduiſſe Caveum ob monita generalia de fide Hiſtoricorum, quam quia ejus violatæ ſibi fuerit conſcius. Nec procul ejus rgumenta ſrei ac petiturũ dicit, atque unice ad Clementis Alexandrini & Euſebii Cæſarienſis vitas ab ipſo concinnatas provocat. Prioris etenim libros hypotypoſeon quod ille ab Arianis præter ejus mentem depravatos fuiſſe aſſeruerit, non alio ex fonte promanare concludit, quam quod diſſimulare Patrum vitia ſtatuerit, cum ſane ab erroribus denſiſſimis liberari Clemens nullo modo poſſit; id quod per integram hanc primam epiſtolam probare argumentis non unis allaborat. De poſteriori vero in epiſtola *ſecunda* agit, Caveumque in Euſebii vita nonnulla, quæ minus honorifica Cæſarienſi Epiſcopo fuerint, & e quibus facile omnibus innotuiſſet, Arianis eum partibus faviſſe, diſſimulaſſe contendit, & poſt plura Euſebii loca cumulat, e quibus, quod omnino Arianorum egerit patronum

tronum

Digitized by Google

tronum, ad oculum patere credit. In epiſtola *tertia* Clerico res amplius eſt cum Caveo, atque iſtud ante omnia in eo taxat, quod Meibomii judicium de liberis, iniquis, & temerariis cenſuris a Clerico potiſſimum Tomo X Bibliothecæ Univerſalis prolatis approbarit. Et heic quidem non Meibomium modo hallucinationis inſimulat, utpote qui Bibliothecæ Univerſalis tomum decimum pro undecimo citarit, ſed & Caveum perperam criminationem ejus falſam pro vera amplexum eſſe, & vix admiſſurum ait, ut quis Hermanni Witſii judicium, quando Cavei de obedientia Evangelica ſententiam parum a Socini verbis abludere cenſuerit, in ejus fraudem adhibeat; unde nec ſibi quicquam Meibomianis verbis imputari debuiſſe colligit. Præterea immerito ſe a Caveo accuſari ait, ac ſi in vitis aliquot Patrum Gallicis, in Bibliotheca Univerſali editis, id ſibi pæne unice propoſuerit, ut ſanctos Patres inter ſe committeret, quaſi nec ſibimetipſis, nec inter ſe invicem convenientes. At enim vero ſolius ſe veritatis rationem in iſtis Vitis habuiſſe regerit, ac demonſtrari ſibi flagitat, ubinam Patres quaſi diſſentientes falſo introduxerit? Similem in modum Patres tanquam obſcuros, perplexos, confuſos, nec eorum, quæ tractarint, ſatis peritos, terminiſque delectatos æquivocis ubi deſcripſerit, nihil horum ſe dixiſſe, quod indubitatis exemplis illico aut paulo poſt vel antea ſatis abundeque non probarit, atque adeo & hanc ob rem nullo Cavei jure ſe redargui contendit. In *quarta* epiſtola recte ſe Dallæi librum de uſu Patrum egregium vocaſſe ſcribit, ſed negat, ideo id factum, quod excuti in eo debitam Patribus reverentiam cognoverit; negat, quod ipſe moliatur omnia, ut ſpernantur Patres, quin ſuam potius de tribuendo his honore ſententiam exponit, eosque nec ſupra merita laudandos, nec infra ea deprimendos eſſe judicat. In *quinta* illicitas eſſe omnes in Hiſtoria Eccleſiaſtica diſſimulationes prolixe oſtendit, eum potiſſimum in finem, ut male ſe a Caveo & aliis corrigi evincat, quando minus laudabilia veterum quorundam dicta aut facta protulerit, eademque, prout merebantur, caſtigarit. In *ſexta* amoliri a ſe ſtudet iſtam Cavei objectionem, quod in Epiſcopos omnemque ordinem Clericalem acrius animadverterit, eosque veluti præjudiciis in conventibus ſuis ſynodalibus mire occœcatos, & hac præ Laicis prærogativa gaudentes, quod ſimul & partes poſſint eſſe & judices, traduxerit, & quod maximis etiam Principibus imponere, iisque tan

quam inſtrumentis abuti ſoleant, affirmarit. Sed negat ſe in ordinem Eccleſiaſticum ipſum quidquam dixiſſe, hoc eſt, in formam regiminis Epiſcopalis, quam minime vituperarit, & pluris etiam fecerit, quam Presbyterialem, ſi modo ea intra limites Evangelicos contineatur; ſed nonnulla ſe dixiſſe tantum in homines dignitate & autoritate ſua abutentes. Recte etiam ſynodorum aliqua delicta abs ſe notata eſſe addit. Principes vero alieni ſæpe affectus inſtrumenta fieri, Conſtantini Magni, & Conſtantii ejusdem filii exemplo, manifeſtum reddere ſatagit. Denique quam neceſſario mali mores Eccleſiaſticorum hominum ſint in Hiſtoria Eccleſiaſtica commemorandi, Lectorem ſuum edocet. In epiſtola *ſeptima* occaſione quarundam objectionum adverſus ſuas ad XVIII priora commata capitis primi Johannis A. 1695 editas notas motarum, id ſibi probandum deligit, quod ex nullo teſte fide digno conſtet, a Platone Prophetarum Hebræorum ſcripta lecta fuiſſe, nec ullo indicio liqueat, eum quidpiam ab iis eſſe mutuatum. Tres imprimis ejus ſummos Deos nec e Veteri Teſtamento petitos, nec e Judæorum ſermonibus vel libris hauſtos eſſe, nec ad Chriſtianorum Trinitatem accedere, ſed rem maxima ex parte Timæo & Platoni acceptam ferri debere aſſerit, aſſertique hujus ſui rationes ex eorum libris ſolicite conquirit. In iisdem animadverſionibus tuendis *octava* epiſtola occupatur. Conjecerat, Johannem Apoſtolum in iis, quæ initio Evangelii ſui de Ratione habeat, non ad Moſen aut alium Veteris Teſtamenti ſcriptorem, ſed ad Philonem Alexandrinum reſpexiſſe, ea vero, quæ de Ratione divina Philo ſcripſerit, ex Philoſophis priſcis, ac præſertim ex Platone hauſta ab eo fuiſſe indicaverat. Sed cum P. Ventidius neget, Philonem ea ex Platone hauſiſſe, contendatque ex Veteris Teſtamenti libris ab eo eſſe derivata, idcirco Philonem in Scriptura quæſiviſſe, quæ antea in Platone legerat, nec de iis unquam cogitaturum fuiſſe, ſi ſolum Vetus Teſtamentum legiſſet, Noſter in contrariam partem affirmat. Pergit in cognato argumento *nona*, quæ docet, Judæos diu ante tempora Johannis ex Philoſophorum lacunis Theologiam ſuam corrupiſſe, quamobrem & Paulus monuerit Chriſtianos, ut ſibi a Philoſophia caverent, quo monito neglecto antiquiſſimi hæretici in turpes errores prolapſi ſint; indeque Johannem prudentiſſime uſu ſuo commonſtraſſe, quomodo adhiberi poſſent voces nonnullæ, præſertim a Philone uſurpatæ, quippe qui ignotus ei eſſe vix potuerit.

tuerit. His epiſtolis alia ad amicum Anglum ſubnectitur, quam cum denario numero haud inſigniverit, reliquis forte appendicis ſolum in vicem adjiciendam duxit Autor. In ea laborem ſuum in transferendas Hammondi annotationes, Novi Teſtamenti libros dilucidantes, collatum defendit, Autorisque iſtius laudes celebrat, ſed & quare in iis illuſtrandis, caſtigandis atque augendis verſari, ſuaque Hammondianis miſcere voluerit, ediſſerit. Anonymo tandem, qui in libello Anglico, cui titulum fecit *liberæ ſed modeſtæ Cenſuræ*, Clericum & in additamentis ad Hammondum, & in arte Critica, Socinianiſmum occultare monuit, pro virili reſpondere laborat. Agmen claudit Ethica (ſic enim nuncupare eam ipſi placet) diſſertatio, ad Virum celeberrimum Phil. Limborchium directa, de problemate: *an ſemper reſpondendum ſit calumniis Theologorum?* Quod ita quidem ſolvit, ut negativam ſibi magis arridere, haud diſſimulet.

WILHELMI CAVE, CANONICI WINDESORIENSIS, EPISTOla Apologetica adverſus iniquas Joannis Clerici criminationes in Epiſtolis Criticis & Eccleſiaſticis nuper editis.

Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1700. in 8.
Plag. 8.

QUi in epiſtolis antea modo recenſitis frequenter occurrere deprehenderunt celeberrimi Cavei nomen, & crebras inſtitui a Clerico adverſus Eruditiſſimi hujus Viri objectiones agnoverunt vindicias, recte omnino factum judicabunt, quod epiſtolis iſtis Apologiam Caveanam nunc ſubjicimus. Equidem ſub placida antiquitatis umbra in hunc usque diem deliteſcentem, atque a contentioſi hujus ſeculi clamoribus & controverſiis longe remotum ſe profeſſus Autor, ad rupes jam & ſcopulos in loca prærupta & confragoſa ſe pertrahi, non parum dolet. Sua tamen maxime intereſſe arbitratus, impactum ſibi atrox & inſigne diſſimulationis crimen amoliri, calamum arripuit, & Clerico reſpondere non dedignatus eſt.

Duo autem præ aliis objici ſibi ab adverſario obſervat: primo, quod citatis aliquot locis ex vitis ab eo Gallice conſcriptis infamiam ipſi creare conatus ſit; & ſecundo, quod in concinnandis Sanctorum

ctorum Patrum vitis,celebratis ubique eorum virtutibus,nævos ac labes ipſe diſſimulaverit.

Antequam vero ad hæc & alia, quæ ad duo iſthæc capita referri poſſe dicit excutienda deveniat,ſequentia in anteceſſum præmittenda ducit: Clericum primo adortum ipſum eſſe,nihilque tale meritum, nihil tale cogitantem duriori, quam par erat, cenſura notaſſe. Etenim non contentum innuiſſe, quod inſano quodam Euſebium vindicandi ſtudio abreptus fuerit, traduxiſſe ſimul velut immodicum veterum encomiaſten, qui vitas eorum panegyrice deſcripſerit. Et quâvis poſtea, ut a crimine hoc ſe expediret, præ ſe tulerit,monita ſua fuiſſe generalia de fide Hiſtoricorum,nec ad Caveum ſigillatim pertinuiſſe, ſed ad alios multos, qui laudes vetuſtatis Eccleſiaſticæ potius, quam hiſtorias ſcripſerint; neutiquam tamen id ſibi perſuaſurum, quenquam dicit Noſter,qui Clerici paragraphum a capite ad calcem perlegerit; peccare Virum Eruditum in Chriſtianæ caritatis legem, dum fraudem,fucum,diſſimulationem,timiditatem, oſcitantiam, invidiam,acerbitatem, confidentiam, iniquitatem,& ſi quæ his ſimilia, immerenti exprobret, totque horrendas innocuo maculas inurat,priusquam facti inſtitutique ab ipſomet ſuſcepti rationes probe cognitas perſpectasque habuerit; nullo certe malo in Clericum animo ad diſſertationem de Euſebii Arianiſmo ſcribendum ſe acceſſiſſe, ſed duntaxat, ut experiretur, quid in Euſebii gratiam vere dici poſſit, utque ſe adverſus Clerici cenſuram defenderet; interea maximam Diſſertationis iſtius partem a Clerico intactam præteriri,eumque ut plurimum hærere in iis, quæ nonniſi per accidens proœmio & calci acceſſerint; denique non ſecuturum ſe ductum adverſarii, qui ex quolibet extundere quidlibet conatus extra oleas ſæpe divagetur, ampliſque excurſibus,inutilibus argumentis, cumulatis veterum citationibus quandoque parum appoſitis paginam ubique ornet; unde ad ea ſolum advertere ſe velle dicit animum, quæ ad ſe proxime & immediate pertinere videat.

His præmiſſis,ad excutiendum primum accuſationis caput ſe accingit, & in præfatione ſuæ diſſertationis ex Vitis a Jo. Clerico Gallice conſcriptis ac poſtea Anglice editis,nonnulla ſe adduxiſſe dicit, quibus de ſanctorum Patrum obſcuritate, ambiguitate & repugnantia egerit, Hac in re injuriam invidiamque Clerico factam negat,quippe

pe

pe cujus verba fideliter, notatis etiam, ubi reperiantur, paginis retulerit, nec in alium ſenſum torſerit, cum nude tantum eadem allegarit, hac unice ratione motus, quod viderit, ad nullum iſta ſcopum collimare alium, quam ad labefactandam ſanctorum Patrum exiſtimationem, & ad eorum reverentiam conculcandam, usque dum ipſorum ſcripta e manibus ſtudioſorum plane excutiantur. Clericum equidem, ne Patres prorſus ſpreviſſe videatur, epiſtola quarta in prolixam delabi diſſertationem de Patribus eorumque uſu, de obſervantia iis debita, & quousque eorum ſe autoritas extendat? Hæc ſane ſibi directe haud adverſari ait, imo pleriſque calculum ſe non invitum addere, etſi in iis non pauca quoque ſint, quæ caſtigari mereantur. Inter alia Dallæum præter rem a Clerico in partes vocari monet, cum primus fere & unicus libri ejus de uſu Patrum ſcopus ſit, Pontificiis circa Patrum infallibilitatem arma eripere, eorumque argumenta proſternere & profligare. At ſi in vivis adhuc eſſet, ægre laturum ipſum, ſi argumentis ſuis aliquos ad labefactandam & ſubvertendam fidem Nicænam abuti deprehenderet. Quicquid vero illius ſit, in hoc omnes ferme Reformatos convenire, ſacram Scripturam primam eſſe & unice infallibilem fidei & morum normam, proximum poſt ſacras literas locum ſanctis dandum eſſe Patribus, quatenus iis conſentiant & veritatem inibi traditam ſuo judicio comprobent & confirment. Venerari ſe Patres non tanquam fidei judices, ſed teſtes, qui quo ſint vetuſtiores, eo validius ferant teſtimonium. Unde viam hanc in defendenda religione Chriſtiana fortiſſimi ejus athletæ olim inierint, *Tertullianus*, *puta*, *Auguſtinus*, aliique ad anteceſſores ſuos perpetuo provocantes; neminem tamen argumentum hoc felicius, diſertius & luculentius tractaſſe Vincentio Lirinenſi, e cujus Commonitorio adverſus hæreſes nonnulla huc pertinentia decerpit. Inde nec efficacem magis hæreſes confutandi rationem dicit, quam ſi poſt allegatam ſacræ Scripturæ autoritatem, conſtantem & univerſalem veterum conſenſum ad partes noſtras advocemus. Expertum id Theodoſium Imperatorem, quando Catholicos Epiſcopos cum Arianis, Macedonianis, Eunomianis coacta ſynodo confligere voluerit, ſuadente vero ad inſtantiam Nectarii Agelliique Siſinnio, ut interrogaret hæreticos iſtos, num admitterent illos doctores atq; interpretes ſacrarum Scripturarum, qui ante diſſidium Eccleſiæ floruiſſent, conſilio hoc

uſum Imperatorem tentare cœpiſſe hæreticorum animos, quidnam ipſi de veterum interpretationibus ſentirent, & percontatum ex iis, qui veteres magnopere laudarent, utrum ex illorum dictis controverſias deciſuri eſſent, & num illos idoneos doctrinæ teſtes judicarent? quo facto mox diſſentientes inter ſe ſectarum principes abierint; unde ſtatim lege lata Theodoſius hæreticos penitus exterminarit. Patribus Synodos adjungere obſervat Clericum, multisque in eas ſarcaſmis atque ſannis depugnare, quando præter alia Reges dicat ignaros, nec inter bonos Principes numerandos, convocaſſe Græculos, qui linguæ acuendæ per totam vitam operam dederint, rerum ipſarum neſcios, contendendi ſtudioſos, perpetuisque rixis inter ſe diviſos, & bardos aliquot homines ex Occidente, rudiores quidem illos, ſed non meliores. At quærit Noſter: num viles etiam ipſi ſint, ignari, nec inter bonos Principes numerandi Conſtantinus M, Theodoſii, ſenior & junior, Marcianus, Juſtinianus, Conſtantinus Pogonatus & alii, qui Græculos ſuos & rudiores Occidentales in Synodum cogere ſoliti ſint? Non mirum ſane ait, ſubditos illum & inferioris ſubſellii viros faſtidioſe traducere, qui maximos univerſi orbis Romani Principes tanto ludibrio & contemtui exponere non erubeſcat. Quod ut ipſi exprobrat ulterius, ſic & mordacem nimis in vitia Eccleſiaſticorum calamum ejusdem merito ſe accuſaſſe dicit, quippe qui eo usque progrediatur, ut, illius quidem judicio ſi ſtet veritas, Theologi, qui hodie vivant, nihil aliud, quam peſſimorum nebulonum nequiſſimorumque & viliſſimi furfuris hominum grex nuncupandi ſint. Contumelioſe imprimis ipſum ac parum verecunde Hammondum tractaſſe, magnoque faſtu nuperrimum illius vindicem in diſſertatione de calumniis Theologorum exagitaſſe, nec minus acriter in P. quem vocat Ventidium, virum & ingenii & eruditionis laude minime fraudandum, invectum eſſe aſſerit, atque in his monitis a primo objectionum capite ſe liberare deſinit.

In altero capite, quo in conſcribendis Sanctorum Patrum Vitis virtutes eorum ſplendide deprædicaſſe, labes vero & nævos vaferrime diſſimulaſſe ab ipſo perhibeatur, exaggerando prolixum eſſe illum ait, ſed & novum maxime cenſorem, cum jam anni plus quam viginti effluxerint, ex quo Vitas iſtas, ſaltem quæ tomo primo continentur, condiderit & in lucem publicam emiſerit, a quo tamen tempore

pore

Digitized by Google

pore nemo hactenus repertus ſit, qui tam turpi eas crimine dehoneſtarit. Ut vero ab hoc ſe abſolvendum eſſe penitus demonſtret, totam inſtituti ſui rationem candide & ingenue ſe aperturum promittit. Multum nempe diuque ſe olim obſervaſſe dicit, eos, qui de ſanctis Patribus Scriptoribusque Eccleſiaſticis agant, ſcripta quidem illorum ſolicite expendere & examinare, opiniones, ſententias, nævos magna cura exquirere & inveſtigare, res vero geſtas omnemque vivendi rationem inſuper habere, & vel nihil dicere, vel ſupremo tantum digito attingere. Hunc defectum ſuppleturum ſe, miſſis quæ alii copioſius tractaverant, hiſtoricam vitæ ſeriem & rerum geſtarum curriculum præcipue ob oculos poſuiſſe, inque eo nec virtutes eorum nec vitia celaſſe; eorum autem dicta ſub examen revocare, ſingularesque opiniones &, prava dogmata ſeu Theologica ſeu Philoſophica anxie excutere & ventilare, ab inſtituto ſuo longiſſime abfuiſſe teſtatur. Ne tamen curioſis & emunctæ naris Criticis ſuſpicandi anſam præberet, diſſimulationis iſthæc ſtudio præteriri, Lectores ſe ubique breviter hac de re monuiſſe addit, ne incauti deciperentur, imo in quibusdam Vitis ſtudioſe illud, diligenter & cumulate ſe præſtitiſſe, quemadmodum in vitis Juſtini Martyris, Origenis, aliisque nonnullis videre ſit, certiſſimo argumento, quod hæc diſſimulare noluerit. Quibus fundamenti velut in locum ſubſtratis, admiſſam ſigillatim circa Clementem Alexandrinum & Euſebium Cæſareenſem diſſimulationem a ſe removet. Iſtius etenim libros ab Arianis fuiſſe adulteratos ubi dixerit, Photium ſe, & Rufinum Photio longe antiquiorem autorem habere innuit quem Clericus quidem indignum pronunciet, qui audiatur; aſt ſatis tamen, quod hæc Arianis non affinxerit, vel ex eo patere ait, quod ideo ab Hieronymo, acerrimo iſtius adverſario, caſtigatus haud legatur. Nec inanem eſſe admittit Photii ea de re conjecturam, cum Arianæ perfidiæ ſemina in libris Hypotypoſeon occurrentia Clementis ipſius opus germanum minime fuiſſe, non veteres modo ſed & recentiores Critici, & in his doctiſſimus quoque Petavius, recte obſervaverint. Dogmata de mundi materia æterna, de ideis Platonicis, aliaque tanquam Philoſophica, utut in Stromatibus Clementis legantur, a fidei articulis probe diſtinguenda venire inculcat. At de errore Clementis circa Chriſti ἀπάθειαν, quem velut longe graviſſimum Clericus eidem imputet, obſervat, etſi is prima quidem facie ſit

graviſſimus magnaque abſurditate laborare videatur, diſpiciendum tamen eſſe, num commoda explicatione in ſaniorem eum ſenſum interpretari liceat. Tria videlicet aſſerere Clementem: primo, Chriſti corpus neceſſariis vitæ præſidiis non indiguiſſe; deinde fuiſſe quosdam, qui Chriſtum ſola ſpecie ſeu viſione apparuiſſe exiſtimarint; denique Chriſtum omnis paſſionis & voluptatis & doloris penitus expertem fuiſſe. Ad primum quod attinet, hoc ſibi Clementem voluiſſe arbitratur: Chriſti corpus non, ut aliorum hominum corpora, communia vitæ miniſteria ad ſui conſervationem neceſſario poſtulaſſe, cum divina ſua potentia ſeipſum etiam ſine his ſuſtentare potuiſſet. Ediſſe quidem ipſum & bibiſſe, non quod aliter ſancta ſua virtute ſe conſervare non potuerit, ſed ne ii, quibuſcum una converſatus eſt, aliter, quam oportuit, de eo ſentirent & pro phantaſmate eum haberent. Ad ſecundum monet, per eos, qui Dominum noſtrum δοκήσει, ſpecie ſola ſeu phantaſmate apparuiſſe putarint, Docetas intelligi, a quibus ſe Clemens non diſtinguat modo, ſed & palam alienum eſſe toties oſtenderit, quoties ſectam Docetarum oppugnarit & exagitarit. Tertium, quod Chriſtus omnis paſſionis & doloris & voluptatis expers fuerit, de affectibus nulla vel originalis vel actualis peccati labe contaminatis accipiendum venire innuit. Pergit ad Euſebium, deque eo oſtendere ſe voluiſſe ſcribit, quod *κυρίαις* Arianorum *δόξαις* minime imbutus fuerit, quin potius in ejusdem ſcriptis plurima ſuperſint, quæ ipſa Arianiſmi fundamenta radicitus evellant. Atque hoc abunde ſe præſtitiſſe ſperat, poſitis quinque theſibus Anti-Arianis de primariis iſtius ſectæ capitibus, quos plurimis iisque diſertiſſimis Euſebii teſtimoniis & argumentis expoſuerit & confirmarit, præmiſſis duabus regulis tum a veteribus, tum a recentioribus conceſſis, ad quas duriora Euſebii dicta illuſtrari atque explicari queant. Quæ quidem omnia ne extremo digito tetigiſſe Clericum queritur, etſi unicum totius diſſertationis fundamentum ſint & baſis. Provocare ipſum potius ad Concilium Nicænum primum, in quo fidei ſuæ formulam Euſebius obtulerit quidem, ſed talem, in qua nihil occurrat, quod Ariani facile non comprobarent. At vero Arianos Jeſum Chriſtum, Deum de Deo lumen de lumine, vitam ex vita, ante omnia ſecula ex Deo Patre genitum dixiſſe, Euſebio in vivis adhuc agente, nusquam ſe legiſſe profitetur, utcunque poſtea ad declinandam invidiam in publicis formulis

mulis has fraudulenter voces uſurparint, Filium ſcilicet non alio ſenſu ex Deo eſſe, quam reliquas creaturas affirmantes, & ſic in cæteris. Dum in epiſtola de fide ſua ad Cæſareenſes refert Euſebius, quod cum quæſtio in Synodo de ὁμοουσίῳ aliiſque vocibus quibusdam verteretur, ipſe nonniſi poſt longum inſtitutum examen, & ſingulas voces accurate excuſſas, Nicæno Symbolo conſenſerit, has omnes voces totamque Euſebii declarationem ad Arianorum ſententiam flecti poſſe contendit Clericus. Enimvero Arianos in dogmatibus ſuis explicandis varias, prout res tulerit, voces & locutiones ſono cum Catholicis convenientes, ſenſu plane diverſas adhibuiſſe, concedit Noſter, iſtudque exemplis non unis probatum dat, Euſebium vero paria cum ipſis feciſſe, totus negat. Diſerte ſane in totius Concilii conſpectu agnoviſſe refert Euſebium, Filium Patri ὁμοούσιον, neque ex alia quadam hypoſtaſi aut ſubſtantia, ſed ex Patre eſſe; & ſub anathemate damnaſſe omnes, qui affirment, fuiſſe aliquando tempus, cum non eſſet, & antequam gigneretur, non fuiſſe; aut qui ex altera ſubſtantia vel eſſentia Filium Dei eſſe dicant, aut creatum, converſioni mutationique obnoxium. Neminem igitur fore cenſet Noſter, qui cum Clerico temere credat, Virum inculpatæ famæ, infucatæ pietatis, totius eruditi orbis veneratione dignum, quem in Sanctorum numerum retulerit Occidentalis Eccleſia, adeo profligata & obdurata fuiſſe conſcientia, tam parum veritatis, juſtitiæ, æquitatis, pudoriſque retinentem, *ut* coram Imperatore & in ſolenni ſanctorum Patrum conſeſſu, in re omnium graviſſima, aliud ore expromeret, *aliud ſub pectore coqueret.* Sanctos etiam Concilii Patres doctrina, judicio, gravitate venerabiles, in hac Euſebii declaratione acquieviſſe, nec litem hac in parte ei intendiſſe addit, aliaque argumentorum pondera accumulat, quibus eum in Concilio Nicæno primo orthodoxum ſe geſſiſſe, contra Clericum demonſtrat. Sed cum idem ad Concilium Nicænum ſecundum provocet, ejusque teſtimonio Euſebium pro Ariano habitum fuiſſe perhibeat, idcirco etiam de hoc Caveus porro diſpicit, certiſſimumque eſſe ait, unicam pæne cauſam, quæ atram Nicænorum in Euſebium bilem commoverit, non fuiſſe hanc, quod Arianiſmo faveret, ſed quod imagines earumque cultum, quem tam inſano ſtudio proſequebantur iſti, invictis rationibus pro-

 fligas

fligaſſet; unde illis curæ nequaquam fuerit, Euſebii rationes refutare, quippe quod in ſua facultate ſitum haud eſſe ſatis intellexerint, ſed infamiam ipſi ob Arianiſmi ſuſpicionem creare, ejusque teſtimonium adverſus imagines hac ratione irritum reddere. Loca, quæ ex Euſebii ſcriptis proferant Nicæni, decurtata & detruncata eſſe, ut de ejus mente, vel qua occaſione, quibusve rationibus nixus ea ſcripſerit, difficillimum ſit tanto temporis intervallo hariolari. Arium porro ejusque aſſeclas conſutis technis & fallaciis Euſebio & aliis quibusdam iſtius temporis Epiſcopis impoſuiſſe, adeo, ut hi benigniorem & favorabiliorem de eo ejusque dogmatibus opinionem tenuerint. Quicquid interim Euſebius, nondum exorta hæreſi Ariana, nondum explicatis vocabulis, nondum facta Nicænæ Synodi definitione, de his incautius ſcripſerit, mutaſſe ipſum poſt, & decretis Synodi Nicænæ liquido ſubſcripſiſſe memorat; quod doloſe ab ipſo factum fuiſſe, nulla demonſtrari ratione poſſit. Quando vero Clericus Caveo objicit, quod ſecundæ hujus Synodi Nicænæ judicium contemptim habeat, lubentem ſane id fateri ſe reſpondet, quandoquidem Patres in ea congregati fingant, refingant, & omnia undique corradant, quæ ad promovendam *εἰκονολατρείας* cauſam quoquo modo quid conferre poſſint. Denique dum a Conciliis ad ſcriptores recentiores Clericus ſe conferat, & ſub præſidio cujusdam Monachi eruditi in vita Athanaſii, noviſſimæ ejus editioni præfixa, Euſebium Arianum fuiſſe diſerte affirmantis, ſe non uno loco tueatur, non videre ſe viciſſim ait Caveus, cur majoris apud ipſum ponderis ſit unius monachi teſtimonium, quam apud alios tot clariſſimorum doctiſſimorumque virorum, Camerarii, Molinæi, Chamieri, Calovii, Montacutii, Valeſii, Bulli, aliorumque plurium judicia, quibus pro Euſebio ſententiam dixerint.

Abſolutis jam duobus primariis accuſationis capitibus, reliqua, quæ in epiſtolis Clerici heic illic diſperſa extent, leviora eſſe dicit, & ex iis paucula ſaltem ſpeciminis in locum breviſſime examinanda decerpit, velut ubi ſibi vitio vertatur, quod Clericum quaſi inter Arianiſmum & Photinianiſmum fluctuantem ſtiterit. Sed eum ſe vel Arianum vel Photinianum dixiſſe nusquam, reſpondet, verum affirmaſſe tantum, inexploratum eſſe ſibi, utrum cum noſtri temporis Arianis vel Photinianis faceret? & hos ideo ſolum ſe nominaſſe, quia ab amicis acceperit, ex iſtius modi hominum grege fuiſſe, qui Clerici Vitas trans-

tranſtulerint & in lucem emiſerint. Non deeſſe nihilominus alios, qui Socinianiſmi dicam ei palam adſcribere non vereantur. Acoptandum ſane, ut fidei ſuæ formulam clare & diſtincte exponeret, ut deinceps de fide ejus nec dubitandi, nec aliter, quam oportet, ſentiendi quis occaſionem ullam captare valeret. Quod vero ad Socinianiſmi notam, Noſtro quoque, ut obſervarat Clericus, impactam attinet, ita ille mentem ſuam exponit, ut teſtetur, quid de ſe dixerit ſcripſeritve Clariſſimus Witſius, ſe plane ignorare, neque multum laborare, cum certus ſit, nihil ſe de juſtificatione dixiſſe vel ſcripſiſſe unquam, quod doctrinæ Apoſtolicæ & Anglicanæ non ſit apprime conſonum. Poſt quæ & paucula adhuc alia breviter ad Clerici objectiones repoſita, de reliquis contendere ſe amplius haud velle innuit, cum ætas grandior & in ſenium provecta, ærumnoſa deploratæ ſuæ valetudinis ratio, hebeſcens indies oculorum acies, & graviſſimi, quibus ſæpius prematur, calculi dolores, a ſtudiis etiam ſuaviſſimis, multo magis ab ingratis & inutilibus hujusmodi, quas vocat, controverſiis impoſterum ut abſtineat, omnino flagitent, moneantque, ut de ſarcinis recolligendis & in tranquilliorem tutioremque portum transvehendis ſerio cogitet. Quamobrem poſt ingenuum pro pace Eccleſiæ votum, in directo ad Illuſtriſſimum Angliæ Præſulem, Reverendosque Antiſtites, quibus ſuas Clericus epiſtolas inſcripſerat, alloquio deſinit.

JACOBI LE MORTII FUNDAMENTA NOV-ANTIQUA THEORIÆ Medicæ ad Naturæ operas revocata, ſuperſtructa fluido corporum exercitio humanam machinam afficienti, Chymiæ nobilioris, id eſt, Phyſicæ antiquæ experientia ſuffulta.

Lugduni Batavorum apud Jordanum Luchtmans, 1700. in 8.
Conſtat $1\frac{1}{2}$ alphab.

QUi variis hactenus tractatibus, in Actis noſtris hinc inde commemoratis, ſuam, qua in Arte Chymica excellit, peritiam manifeſtavit, Medicinæ nunc applicare ſtudet Chymiam Author Clariſſimus, methodum non vulgarem ſecutus, ſed eam, quam ipſa viſa fuit dictare natura. Compendioſe egit, partim ne faſtidium crearet Lectori, nondum ad ſimilia conſueto, partim ut melius retineri poſſent data, po-

poſtulata,& propoſitiones memoriæ & judicio offerenda. In quinque vero tractatus librum hunc diſpeſcit, quorum 1. Chymiam vindicatam, 2. Chymiam comparatam, 3 Philoſophiam Medicam, 4. Theoriam ſanitatis, 5. Theoriam morborum vocat.

In *Vindiciis Chymicis* itaque depellere intendit calumnias miſochymicorum, abutentium ſua authoritate antiqua, vanæ impoſturæ innixa; idque demonſtrat ex ipſis adverſariorum ſcriptis, rei natura,& perChymicorum naſcentem gloriam,meritis,non gratis acquiſitam. Hinc Chymiam artem fluida per miſcelam & motum variorum corporum ponderantem pronuntiat, eamque dum in *ſecundo tractatu* cum aliis Medicinæ fulcris comparat, naturæ opera arte aſſequenda judicioſæ cenſuræ ſubjicit,ut artis Chymicæ honori,ut & aliarum debitis encomiis,quantum poſſibile, nihil deſit. Medicina quid, quid Natura,quid Chymia tentet in ſuis operibus, quid Phyſicæ præſtent contemplationes, quid Anatomia depingat,quid Matheſis ſolidi demonſtret, quid Praxis poſſit, obiter delineat. In *Philoſophia Medica* animum diſponit medicum ad methodicam illius ſtudii perceptionem,ſecundum corporum graviorum leges. Certiſſimam autem ad Medicinam viam ſternere Philoſophiam corpuſcularem exiſtimat, utpote quæ corporum tertii Elementi Carteſianorum naturam per corpora manifeſtet, & corpus ſolidum & fluidum conſideret. Corpora igitur ſimplicia notiſſima tria tradit, ſalia ſc. aquas & terras; quæ quamvis videantur compoſita, in ſuo tamen genere ſummopere a ſe invicem diſtincta ſint, tam ratione figuræ, quam actionis,iiſque exercitia corporum tam in macrocoſmo, quam in microcoſmo,auxiliante motu, deberi docet. In *Sanitatis Theoria* hominem in ſtatu vegeto, qui convenientem involvat corporis,qua fluidi, qua ſolidi figuram, contemplatur. Ubi actiones blandas, motusque propulſivos magis quam inteſtinos conſiderat; modificationes humorum in ſuis elaboratoriis recenſet, horumque miſtiones mutuæ quid proferant, deſcribit; relativas actiones, ex appulſu & aliorum corporum admiſcela oriundas, expendit atque proponit. In *Theoria Morborum* morbum, tanquam læſionem corporis figuræ,quæ actiones quocunque modo in gravitate,levitate,pondere,numero, menſura ſuperficierum invertit, ſiſtit,ejusque differentias deſumit vel ab actione ſenſuum,in calidos & frigidos eos diſpeſcendo, vel a lædendi modo,vel deniq; a parte affe-
cta

Digitized by Google

ﬆa, circa quam lympham potiſſimum accuſat, tanquam plurimorum morborum fomitem. Ut taceamus, quæ de eorum effectis juxta eundem ordinem examinatis ſubjungit; eam enim prolixius rem proſecuturus eſt in opere, quod nunc meditatur: ad quod abſolvendum ut vires Clariſſimo Authori concedat Divinum Numen, animitus precamur.

EL ESPEIO DE LA MUERTE, EN QUE SE NOTAN LOS medios de prepararſe para morir por conſideraciones ſobre la Cena, la Paſſion y la Muerte de Ieſu Chriſto, con muy curioſas empreſas emblematicas explicadas por Don CARLOS BUNDETO Clerigo y Licenciado en Theologia.

i. e.

SPECULUM MORTIS, IN QUO OSTENDUNTUR MEDIA, quibus ad bene moriendum preparamur, addita explicatione ſacræ Cœnæ, Paſſionis & Mortis Jeſu Chriſti, cum elegantibus admodum figuris emblematicis: auctore CAROLO BUNDETO Clerico & Licentiato Theologiæ.

Antverpiæ, 1700. in 4. formæ major. Conſtat plagulis 19, & figuris 42.

EST hic liber nitidiſſimis typis chartisque impreſſus, atque elegantiſſimis ornatus figuris, quarum ſingulæ ægrotum aliquem aut moribundum repræſentant, addita alia figura minori, quæ explicat, quæ vel ad inſtitutionem S. cœnæ, vel paſſionem aut mortem Chriſti ſpectant. In præfatione agitur de origine mortis, quam peccatum introduxit, quodque omnes mortem reformident naturaliter, cum anima & corpus, ſubſtantiæ arctiſſime unitæ, ſeparari nolint. Auget timorem, quod, quamlibet omnes ſciant moriendum eſſe, tempus, locum genusque mortis ſciat nemo. Accedit quod quivis intelligat, ſe corruptum eſſe peccatis, indeque dignum odio divino & pœnis æternis. Fit tamen, ut impii aut plane non, aut non ita, ut par eſt, mortem reformident; pii ſæpe plus, quam eſt neceſſe. Contra hunc timorem mortis in piis ſex exhibentur remedia. Tractatio ipſa abſolvitur tribus

bus partibus. In prima recenſentur, quæ acciderunt, cum diſcipulorum pedes lavare Chriſtus inſtitueret. In altera, quicquid tempore inſtitutionis S. cœnæ usq; ad id tempus accidit, quo cruci affixus fuit Dominus noſter. Tertia denique explicat reliqua, usque ad mortem Chriſti. Omnia hæc illuſtrantur ex dictis Scripturæ S. additis Patrum, Poetarum atque Oratorum ſententiis.

ABRAHAMI CYPRIANI M. D. ANAT. ET CHIR. IN ACADEMIA Franequerana nuper Profeſſoris Epiſtola, Hiſtoriam exhibens fœtus humani poſt 21 menſes ex Uteri Tuba, matre ſalva ac ſuperſtite, exciſi, ad D. Thom. Millington, Equitem Auratum, Medicum Regium Ordinarium, & Collegii Medicorum Londinenſium Præſidem.

Lugduni Batavorum apud Jordanum Luchtmans, 1700. in 8. plag. 6. cum fig. æneis.

QUanquam juxta tritum proverbium incurabiles morbi non ſint attingendi, ne ars diffametur; dubium tamen nullum eſt, multos, qui incurabiles credebantur, funditus extirpatum iri, modo animoſius rem aggrederentur illis præpoſiti. Id quod vel unicus hic caſus, quem Author Clariſſimus in Epiſtola hac recenſet atque examinat, palam facit.

Militis ſcilicet uxor 32 annorum tertium imprægnata, lac tamen geſtationis tempore in mammis nullum obſervavit, fœtusque ſitum in loco juſto altiori deprehendit. Novem præterlapſis menſibus fœtus ſe movet, ac ſi exitum moliatur, irrito tamen conatu atque ſucceſſu. Decimo menſe fluxus menſtruus redit, nec ullus porro fœtus motus percipitur. De dolore interim conqueritur miſera acuto circa umbilicum, quem ulcus fungoſum in regione umbilicali ſequitur. Vigeſimo primo demum a conceptione menſe advocatus Author noſter, mortuum fœtum a muliere geſtari, reliquis licet in contrarias ſententias abeuntibus Medicis pariter ac Chirurgis, pronuntiat, immiſſo per ulcus ſtilo atque digito in opinione ſua confirmatus. Inſtituta itaque Cæſarea operatione, cum in modum ſanitati reſtituit ægram, ut tertio menſe præterlapſo domo exire potuerit, imo proximo anno poſt filiam, ſequente gemellos, filium & filiam, fuerit enixa.

nixa. Singula quidem caſus hujus phænomena ulteriori ſubjicit Author Clariſſimus examini, quorum tantum notatu maxime digna referemus. Rationem nempe redditurus, cur mammæ gravidæ lac non ſtillaverint, ſupponit, intimam intercedere uterum inter atque mammas connexionem ac ſympathiam, eo potiſſimum tempore, quo uterus in majorem molem extenditur, vaſa tum ſanguifera verſus inferiora deſcendentia comprimi, & ſanguinis fluxum verſus ſuperiora magis dirigi, & plus pinguedinis in mammarum glandulis exprimi & ſecerni; hoc autem in præſenti caſu non contigiſſe docet, cum fœtus in latere ſeu tuba Fallopiana reconditus vaſa deſcendentia nec comprimere, nec ſanguinis curſum verſus ſuperiora urgere potuerit. Quod fœtus in tuba quandoque hæreat, duplicem conſtituit cauſam, naturalem aliam, dum ex conformationis vitio illa nimis anguſta eſt, aliam accidentalem, ubi poſt partum difficilem, e. g. a violenta placentæ avulſione tuba inflammata fuit, ejusque in uterum inſertio coaluit. Capacem autem eſſe tubam alendi embryonem, deducit ex conformatione tubæ glanduloſa, cui placenta fœtus commode connecti valet; ex cavitate exili, cui accedente mutuo contactu coaleſcentia debetur; & ex vaſorum textura, quæ licet non æque magna ac in utero, patentia tamen pro tubæ dilatatione aperiuntur, & ſanguinem recipiunt. Notatu pariter dignum eſt, quod recenſet exemplum de muliere, quæ gravida ſibi viſa usque adeo tumidum geſſit abdomen, ut partes corporis tam ſuperiores quam inferiores conſpici vix potuerint. Aperto cadavere tubæ tumor in conſpectum prodiit, quæ ultra 150 libras aquæ in cavitate ſua continebat, qua exhauſta moles ipſa ultra 30 libras pendebat; putatque Noſter, imprægnatam omnino fuiſſe mulierem, fœtum autem brevi poſt conceptionē in tuba eſſe mortuum, ita ut propter exilitatem ſui & ſubſtantiæ tubæ perturbatum chaos conſpici hic poſt diſſectionem haud potuerit; eo vero mortuo, vaſisque tubæ dilatatis, lympham continuo in ea fuiſſe ſecretam, indeque hunc tubæ hydropem eſſe deducendum. Tandem rationem adjungit, cur fœtus mortuus in utero, non autem in tuba corrumpatur, putatque aëris acceſſui ad uterum per hujus orificium interius faciliori, ad tubam vero denegato id eſſe tribuendum. De cætero monet, inciſionem, ſi qua facienda, magnam fieri debere, ut operatio felicius ſuccedat, ac partium con-

contuſiones præcaveantur. Reliquas obſervationes, exempla & monita, quæ hinc inde inſpergit, prætermittimus.

ALOYSII FERDINANDI COMITIS MARSIGLI DANUBIALIS Operis Prodromus. Ad Regiam Societatem Anglicanam.

A. 1700. Conſtat plagulis 15, in fol. chartæ auguſtæ.

QUam dudum Literatus Orbis votis expetiit ardentiſſimis, Hiſtoriam Naturalem Hungariæ, ab Excellentiſſimo Illuſtriſſimoque Comite *Marſilio* ſumma induſtria compoſitam, luci tandem publicæ certo expoſitum iri, ex præſenti Prodromo, Inclutæ Regiæ Societati Anglicanæ dicato ejusque cenſuræ ſubmiſſo, non ſine tripudio accepimus. Quotusquisque enim ad rem tanti momenti ex dignitate & uſu publico perficiendam æque idoneus eſſe potuiſſet, quam Vir hic ſummus? cui præter ingenium curioſarum rerum quarumcunque cupidiſſimum, perſpicaciſſimum longoque uſu conſummatum judicium, rerum mathematicarum phyſicarumque exactam orbique erudito dudum comprobatam ſcientiam, vim animi roburque infatigabile, corpus etiam laboris ſine exemplo patiens; occaſio quoque ſingula ad Naturalem Hungariæ Hiſtoriam ſpectantia ad minutias usque conſectandi, accuratiſſimeque perveſtigandi, plane inuſitata obtigit. Nam quod neminem, niſi rerum, quæ publice in conſpectu totius orbis geruntur, plane ignarum latere poteſt, & toto belli nuperi Turcici tempore in Hungaria Auguſtiſſimo Cæſari Leopoldo militavit, provinciamque illam univerſam peragravit longe lateque; & inter pacis cum Turcis ſancitæ conciliatores fuit; & poſt eam feliciter confectam, controverſiæ, quæ de finibus ſupererat, dirimendæ, & accuratis undiquaq; limitibus conſtituendis a Cæſare ſumma cum auctoritate fuit præfectus; nunquam non, ubi ab expeditionibus bellicis, curisque & negotiationibus aliis utcunque vacuo animo eſſe licuit, rerum naturalium perſcrutationi intentus, ac mathematicis mechanicisque inſtrumentis, alioque apparatu omni, eam in rem abunde inſtructus. Ut dubium plane nullum ſit, inter eos, quibus optimarum pulcherrimarumque ſcientiarum profectus curæ cordique eſt, fore neminem, qui non & in ſinu gaudeat, huc usque jam productum Opus deſideratiſſimum eſſe, ut præ-

lo

lo paretur, & ad illud feliciter omnibusque numeris abſolvendum, vitam ac valetudinem integram Excellentiſſimo Auctori ex animo apprecetur.

Opus univerſum ſub auſpiciis Invictiſſimi Cæſaris proditurum eſt, ejusque Auguſtiſſimo dicabitur Nomini. Sex vero tomos complectetur, grandes illos majoreque forma, quorum argumenta in hoc Prodromo uberius indicantur, a quovis harum rerum ſtudioſo facile perluſtrando. Nobis enim, cum ſciagraphiæ ſciagraphiam dare ſupervacaneum videatur, integrum operis titulum, ex quo Illuſtriſſimi Auctoris inſtitutum ſic ſatis intelligetur, Benevoli Lectoris oculis hic ſubjeciſſe ſuffecerit. Is vero hic eſt:

Regius Pannonico-Myſius Danubius ex Cetio monte in Auſtria ad flumen Jantra usque in Bulgaria, confluentium aquarum agmine decurrens: Geographice, Hydrographice, Hiſtorice & Phyſice deſcriptus: Regionum qualitatibus, Aquarum decurſibus, Romanorum Antiquitatibus, Mineralium, Vegetabilium & Animantium nativis productionibus delineatus & explanatus; Aſtronomicis, Mathematicis, Eruditis & Naturalibus principiis illuſtratus. Opus ab ALOYS. FERDIN. COM. MARSIGLI, S. C. R. Majeſtat. Actuali Camerario, Excubitor. Campi Præfecto Generali, fervente noviſſimo Turcico bello in caſtris collectum, in VI tomos digeſtum, ac LEOPOLDO Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Pio ac Reſtitutori, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Regi conſecratum.

D. AUGUSTI QUIRINI RIVINI ORDO Plantarum, quæ ſunt flore irregulari Pentapetalo.

Lipſiæ, typis Joh. Heinr. Richteri, 1699. in fol. chartæ auguſtæ. Conſtat plagulis 10, & tabulis æri inciſis 135.

Hæc tertia pars eſt Operis Botanici, quod ſuis ſumptibus, iisque non levibus, Autor celeberrimus parat. Continet ea Umbelliferas præcipue plantas, in quibus ordinandis ac diſcernendis quanta ſubſit difficultas, poſt alios exercitatisſimos celeberrimosque Viros, expertus quoque Noſter eſt. Interim de eo lætatur maxime, quod putet

ſe jam ſatis demonſtraſſe utilitatem Tabularum ſuarum ænearum, utpote ad vivum ſtirpes exprimentium; ubi enim floſculi ſeminaque minora, uti pleraque ſunt hujus ordinis, delineare oportet, nihil valet artifex ligno effigiem illorum inciſurus, ac ne cupro quidem, niſi magnitudinem naturalem imitetur. Botanophilis autem non ingratum erit reſcire, quod in Præfatione Autor ulterius promittat Supplementum Irregularibus Hexapetalis annectendum, in quo ſibi propoſitum ait partim emendare, ſicubi erraverit, partim ſuppeditare, quæ in ordinibus irregularium omiſſa ſunt, plerumque rariora.

SALOMONIS CELLARII ORIGINES ET ANTIQUITATES Medicæ, poſt præmaturum illius exceſſum emendatiores auctioresque editæ a CHRISTOPHORO CELLARIO, Patre.

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1701. in 8. plag. 5.

QUam Vir Ampliſſimus, Chriſtophorus Cellarius, Illuſtris Academiæ Fridericianæ Profeſſor celeberrimus, extare voluit Filii dilectiſſimi, Salomonis Cellarii, Medicinæ Licentiati, præmaturo fato Nonis Novembribus A. C. cIɔ Iɔcc Parenti optimo erepti, inter eruditos memoriam; eam pro cultu, quo dudum proſequimur Virum Clariſſimum, & pro rei dignitate, merito in his etiam Actis conſervatam volumus. Servabunt autem illam *Origines & Antiquitates Medicæ*, a beate defuncto pridem concinnatæ, poſt ejus autem exceſſu emendatiores auctioresque a Patre ipſius editæ. In iis Auctor tum e Gentilium Mythologia, tum ex aliis rei literariæ monumentis docte illuſtrat rem Medicam. Et primo quidem Apollini ac Minervæ artis Medicæ inventionem tribui ab antiquis, illumque propterea *Medicum*, hanc *Pæoniam* i. e. *Medicam* κατ᾽ ἐξοχὴν dici, ſelectioribus quibusdam teſtimoniis probat. Secundo loco Æſculapii & Chironis fabulas explicat: quorum ille Apollinis filius acceptam a patre, vel a nutritore Chirone Centauro medendi artem feliciter exercuit; ideoque non a Græcis magis quam Romanis, ob artis claritatem, (mortuos quippe reſuſcitaſſe, i. e. letaliter afflictos reſtituiſſe dicitur,) cultus, ac tandem poſt certiſſimum humanitatis argumentum, mortem, Deus creditus, & inter ſidera *Ophiuchus* dictus eſt. Quam ejus Divinitatem

e mul-

è multis inſcriptionibus, pluribusque ipſi templis extructis demonſtrat. Inter cultores ejus, celeberrimarum urbium, Epidauri, Smyrnæ, Pergami &c. incolas referendos, ex ipſis Æſculapii cognominibus conficit. Imaginem, qua cultus fuerit, hominem cum prolixa valde barba, alibi tamen, ut ex nummo apud Illuſtr. Ezech. Spanheimium de Præſt. Num. p. 181. probat, etiam imberbem: ſignum vero ejus draconem vel ſerpentem, baculum nexibus ambientem, ex nummis & antiquis ſcriptoribus fuiſſe oſtendit; hujusque ſigni originem ad ipſum Moſis æneum ſerpentem refert, plura etiam alia de templis & cultu ejus commemorans. Æſculapio ſuum præceptorem Chironem jungit, Saturni & Philyræ filium, cujus fabulam & fatum ex probatiſſimis autoribus explicat. Poſt enarratam Æſculapii originem, ejus etiam filii Podalirius & Machaon, & filiæ ſex, Hygeia, Panacea, Jaſo, Aceſo, Ægle, & Roma ſeu Valentia recenſentur, illarumque nomina, artes, & ἀποθέωσις e re nummaria & præſtantiſſimis antiquæ hiſtoriæ conditoribus illuſtrantur. Liberis Æſculapii ob temporis æqualitatem, artisque ſimilitudinem, Pæona & Melampodem ex Homero & Virgilio additos videas. Explicata origine Medicinæ fabuloſa, veriora e Plinio Lib. XXIX c. I de generibus & ſectis Medicorum proponuntur. Alios enim *Clinicos*, qui lecto affixis præſto erant, alios *Vulnerarios* ſive *Chirurgos*, *Ocularios* alios, aliud demum eorum genus fuiſſe, qui *paraliptice*, i. e. per unguenta & olea curabant, docetur. Qua occaſione multa egregia de olei apud veteres variis ſpeciebus & uſu, ex antiquitate afferuntur. His ex Mercuriali l. VI, c. 1 quædam de *inſolatione*, qua vel uncti vel non uncti ad Solem ſedere, jacere, ſtare vel ambulare jubebantur; item de victus ratione, Xerophagio imprimis, adjecta ſunt. Illa excipit de motu ſeu mutato aere tractatio. Quo poſt ambulationem ſedentariæ vitæ ſaluberrimam, omnis veterum gymnaſtica modica, *geſtatio*, *pila*, *venatio*, *peregrinatio* etiam refertur; ultimaque Ciceronis potiſſimum exemplo, de CL. Orat. c. 91, commendatur, moneturque illam olim ab ægrotis ita fuiſſe inſtitutam, ut itinera certis morbis profutura ſuſciperentur; & Romani Phthiſici vel propter navigandi longinquitatem, vel propter Ægyptiaci cœli ſalubritatem, Medicorumque Alexandriæ copiam & peritiam, Ægyptum; alii eodem morbo laborantes Forum Julium Umbriæ; comitiali lue afflicti Anticyram, alii alia loca peterent. Poſt artem Medicorum, illo-

illorum etiam conditionem ac dignitatem tradit Autor. Ac primi quidem Medicæ artis inventores inter Deos apud Mythologos relati: poſt fabularum nebulas Medicina penes Sapientes, i. e. Philoſophos fuit, inq; ſummo honore habita: indeque apud Athenienſes lex condita dicitur, *ne quis ſervus aut femina medicinam diſceret*, Hygino Fab. 274. teſte; quamvis aliqua exempla feminarum & ſervorum medicam artem callentium Autor adferat. Quod tamen cum CL. Viro Jacobo Sponio Miſcell. erud. antiqu. p. 144, contra Robortellum, non eo pertinere vult Cellarius, ut poſtea apud Romanos, ſervos tantum exercuiſſe medicinam credatur; cum adſint clariſſima argumenta, Medicos, vel nullos omnino, vel ocularios ſolũ ac chirurgos, & ne hos quidem omnes, ſervos fuiſſe. Conſtitiſſe itaque & Medicis dignitatem ſuam, quæ a Cæſaribus, inſtituto ampliſſimo Æſculapii & Hygiæ LX virorum collegio, dataque ab Antonino, Diocletiano, Maximiano, Conſtantino M. & aliis immunitate, aucta maximopere fuerit. Huic illorum dignitati neque Medicorum Græcorum taxata a Catone apud Plin. L. 29 ſub initium fides, neque Plinii de medicina infra gravitatem poſita Romanorum, judicium quicquam derogare poſſe evincitur. Tandem quod οἰώνισμα τῆς ὑγιείας quidam ita explicant, ut per ὑγιείαν Æſculapii filiam intelligant, quædam etiam de hoc ſalutis augurio adjicit Autor: ac ipſe quidem cum Iſaaco Caſaubono ὑγίειαν hoc loco idem eſſe ac σωτηρίαν, adeoq; non augurium ſalutis ſive ſanitatis, ſed felicitatis publicæ dicendum cenſet: ritum vero ipſum ejusque formam ac raritatem e Dione Caſſio l. XXXVII. p. 40. deſcribit, adeoq; tria ſolum aut quatuor hujus celebrationis in hiſtoriis exempla, primum Cicerone Conſule, ſecundum Auguſto V Conſule, tertium imperatore Tiberio, & quartum Claudio imperante occurrere, ex Dione, Suetonio ac Tacito probat. An vero hoc ſalutis augurium in Æſculapii templo, quod Meibomius aſſerit, peractum ſit, atque propterea ad antiquitates medicas pertineat, dubium omnino relinquit.

MICHAELIS CAPELLARII CHRISTINAS.
ſive
CHRISTINA LUSTRATA.

Venetiis ex typographia Andreæ Poleti, 1700, in 4. Conſtat circiter 2 alphabetis.

Haud

HAud dubie ita cum poemate Heroico comparatum eſt, ut ſupra vulgus ſapere illos neceſſe ſit, qui ad illud ſcribendum animum applicare velint. Quo pauciores itaque inventi ſunt hactenus, qui hoc genus carminis Latina dictione exornare auſi ſint, (plerique enim vernacula ſibi lingua ſcripſerunt, qualia Camoëſi, Taſſi, Marini, Capellani, Miltoni poemata,) eo majori merito plauſu excipere decet hoc eruditiſſimi Abbatis Michaelis Capellarii opus, in quo *CHRISTINÆ* Reginæ Suecicæ geſta non tam hiſtorice deſcribuntur ad genium Lucani, quam ad Homeri Virgiliive exemplum frequenti fictione neque inamœna intexuntur, Latini vero ſermonis majeſtas ac ubertas ubique refulget. Quid vero propoſitum Auctori ſit, haud obſcure ex ipſo poematis exordio patebit:

Fœmineæ Laurus dextræ: Sexumque minorem
Transgreſſum Virtute Mares: terraque marique
Victos Marte Duces: Herebique hinc inde doloſi
Sæpius eluſas artes: ſuſceptaque Regna
Aucta manu, tandemque animo majore relicta
(Magnum Opus, & gratum Superis, Cœloque repenſum)
Ordiri, & ſæclis amor eſt mandare futuris.
    Muſa pares animos manſuro ſume labori,
Et patrio confide Polo. &c.

Nimirum eo omnia redeunt, ut quanto animo, ingenio, virtute *Chriſtina* fuerit, appareat, quamque laudando conſilio abdicarit ſe Regno, Romamque ſeſe contulerit, in Eccleſiæ ſinum, ejurata, quam Auctor putat, hæreſi recepta. Proinde quo majorem acta ejus admirationem pariant, congreſſibus, pugnis, obſidionibus Heroinam ſuam omnibus interfuiſſe, Poeta comminiſcitur; quanquam antea pedem regno haud extuliſſe, quam Romam diſcederet, nemo alioquin ignoret. Utrum vero fœmina non minus, atque vir, poemati epico argumentum præbere queat, de eo non diſceptabimus; quandoquidem fatentur id & alii, & exemplo præivit doctiſſimus Gallus Capellanus, cujus poema Heroicum *Virgo Aurelianenſis* (la Pucelle d' Orleans) nemini eſt ignotum. Abſolvitur hoc opus libris XII, dedicatum Innocentio XII Pontifici, quem dum alloquitur Auctor, in ipſo limine geſta ejus breviter neque ineleganter percenſet. At ne crudum opus aggredi videatur, L. I Germaniæ ſub Ferdinando II faciem delineat;

tum Guſtavi Adolphi facta quædam illuſtriora refert, quem celebrem etiam in diſſitis oris ſagam de belli exitu conſuluiſſe, inter alia memorat, nec fingere id videri vult, adſcripta ad marginem notula teſtatus, belli exitum utrinq; per Magiam etiam exploratum vero verius. Tum vero ut rationes oſtendat varias, quæ vel abſterrere a conjugio *Chriſtinam*, vel ad ineundum illud incitare poſſint, Plutonis ab altera parte in eam inſidias fingit, inaneſque nutricis ſuaſus, ab altera S. Birgittam repræſentat e cœlo miſſam, quæ Reginam ad virginitatem perpetuam ſedulo hortetur. Neque enim Gentilium ſolum Deos, ſine quibus poemati Heroico omnis gratia perire creditur, ſed Chriſtianorum etiam ex ſenſu Romanæ Eccleſiæ Divos, velut S. Birgittam, S. Ericum, S. Henricum introducit; etſi neſciamus, num in eodem carmine ſeveriores id probaturi ſint cenſores. *Chriſtina* deinde L. II aſſiduam Matris & Procerum, ut conjugio ſe addiceret, ſollicitationē indignata, ipſo natali die ſuſceptique imperii anniverſario, nunquam ſe de matrimonio cogitaturam publice profitetur, atque protinus inde in armamentarium aſcendens diu hæret in S. Erici Regis clypeo (in quo Reges & colonias e Scandinavia ductas, ipſamque in medio *Chriſtinam* miro artificio celatam, egregie repræſentat Capellarius,) atque ejusdem poſtea arma induit

> Nullius auxilio; nutum namque arma ſecuta
> Prævenere manus, ſeque induxere per artus.

Utque laudandæ amplius Reginæ occaſionem habeat Auctor, Moſcorum Legatos, qui ut illius virtutes explorarent, miſſi feruntur, Chriſtinam Duci ſuo, qui nuptias ejus dudum optaverat, impenſe commendantes deſcribit. Poſtea omnem apparatum belli, Ducesque in aciem ituros enarrat, qui fictis plerumque nominibus teguntur, ita tamen, ut qui ſint, divinare non adeo difficile futurum videatur. Etſi enim fabula dici poſſit hoc poema, quæ nec nodo pulcre perplexo extricatoque, neque machinis, quas Epici vocant, deſtituitur, ubivis tamen hiſtoricæ nonnihil veritatis optimo conſilio admiſcetur. Certe nec L. III, qui plane confictus videri poteſt, vera hiſtoria plane deſtituitur. *Chriſtinam* enim viarum ignaram, poſtquam cervo in venatione pertinacius inſiſtentem nox oppreſſerat, apud Myſtam quendam in abditis ſylvis divertiſſe fingit, qui cum in ſermonem de vana Regum fiducia univerſalis Monarchiæ ſtabiliendæ incidiſſet, ipſa po-

poſtulante IV ſummorum Imperiorum hiſtoriam longa ſerie explicaverit. Ubi vero ventum ad Alexandrum eſt, tum inquit Poeta:

Nomen Alexandri pectus perſtrinxit amicum,
Effulſitque oculis lux improviſa ſerenis
Perfuditque genas,& ſe prope prodidit Hoſpes.

Nimirum,ut apte hic Auctor ad marginem, Regina erga Alexandrum & Cæſarem, quorum ſimulacra ex marmore domi habebat,mirum in modum affecta erat. Injicit poſtea Myſta Hierarchiæ quoque mentionem,Imperiique Turcarum, ſeu Antichriſti, quod vocat: verum illam altioris ordinis,hoc ob ſcelerum immanitatem atque periodi brevitatem ceteris nequaquam accenſendam eſſe judicat. L. IV ſollicitam de locupletandis civibus *Chriſtinam* repræſentat Auctor, ideoque claſſem ad auſpicanda cum Indis commercia inſtruentem.Quamvis autem peſſimis Plutonis artibus tempeſtatem experiretur claſſis haud parvam, Divini tamen Numinis ope factum fingit, ut in tria agmina divulſa claſſis, per ultimas Orientis, Meridiei atque Occidentis oras nomen *Chriſtinæ* circumferret, cujus amicitiam cum alii Reges,tum ipſa potiſſimum Amazonum Regina avidiſſime, ut fabula eſt, ſibi comparavit. Eadem occaſione,quicquid ubique memoratu dignum, non ingrata excurſione delibatur, multumque imprimis artis typographicæ inventum, cum de Sinenſibus ſermo eſt, extollitur. Sed ad *Chriſtinam* ipſam redit Auctor L. V, quam Virtus ancipitem ſolatur, deſcripta in pariete juſti regiminis præcepta recenſens; quin memor identidem Auctor præcepti illius, quo ipſe poeta multa loqui in poemate Epico prohibetur,Oxſternum fingit cum Regina diu multumque diſputantem, utrum præſtet Principes bella per ſe gerere,an per vicarios. Vincit Chriſtina,& ingreditur fauſto omine Germaniam,quippe quæ ipſi obviam proceſſiſſe fingitur

Humana major ſpecie,turritaque frontem
Viſa prius nulli Mulier;

motusque veteranorum militum, quibus Guſtavi Adolphi late virtus laudatur, faſtiditur imperium fœminæ, haud magno negotio compeſcit. Cum deinde Danus L. VI cum ob alias cauſas, tum ob ſpretas nuptias, maxime uſus opportunitate temporis, hoſtilia clam agitaret conſilia,miſſo parumper Cæſare,Regina Daniam invadit, Danumque terra facile oppreſſum maritimo etiam luculento prælio ſuperat.

Quam navalem pugnam deſcripturus Capellarius, male conſultum Lectorum curioſitati putavit, ni prodigium quoddam præmitteret. Itaque in medio utriusque claſſis exortum ſubito orcarum certamen fingit, cujus deſcriptio adeo elegans eſt & concinna, ut totam huc transſcribere luberet, modo id inſtituti noſtri ratio pateretur: ſed en exitum:

Diſſiliunt ſquamæ, conſertisque oribus ora
Diſcerpunt. Nunc ſubter aquas &c.
Proximior Dano ſed quæ pugnabat in hoſtem
Bellua, nequicquam dudum luctata remitti
Cœpit, & adverſo ſegnis concurrere monſtro.
Mox minus atque minus proferri, & tendere contra;
Donec inæquali congreſſu territa lapſu
Subducta eſt tacito, nec ſe amplius extulit undis.
Auguriumque rates Martis traxere ſecundi
Vandalicæ, & læto ſtrepuerunt claſſica plauſu.

Poſtea Poetam, quem Nantem appellat Noſter, quemque Chriſtinæ ait ubique adhæſiſſe, ut ejus facta digno olim verſu deſcriberet, ſub pugnæ exordium a delphino fingit ad proximum littus delatum, unde ordinem pugnæ omnem luſtraret. An ipſum ſe ea fictione Capellarius innuerit, alii viderint: longior deſcriptio, principium hoc eſt:

Auricomus Nantes Veneta de ſtirpe Latinis
Jam notus Muſis & Apolline clarus Etruſco &c.

Victoria demum penes Chriſtinam eſt, poſtquam illa ſe eripuerat undis, quibus prope merſa fingitur. In ſomnum e labore prolapſo Dano e Superis adeſt Henricus Divus Daniæ Rex, atque ibi, ut pacem imploret a Chriſtina, ſuaſor & auctor eſt. Converſa inde ad Cæſarem Regina L. VII, cum nulla ratione abſtrahi ab armis domumque revocari a Matre poſſet (quæ ideo indignabunda exceſſerat aula) prope Lipſiam noſtram caſtra metatur, de qua urbe ſic canit Poeta:

Lipſia jam pridem largo ſaturata cruore
Orbis Hyperborei; Germani Martis arena,
Vandalicique ſimul; ſpacio protenditur æquo
Camporum, tractuque ſedet porrecta patenti:
Amnibus irrigua haud parvis; ſed latius Albis

Fun-

Funditur, & lævam numeroſis irrigat undis,
Ditiaque exercet commercia; namque propinquam
Hac Saxon confinis adit, ſed Miſnius illac:
Palladis alternæ ſtudiis celebrata; ſed olim
Fama minor pacis, poſtquam Bellona vocari
Prætulit, & trepidæ lituos fugere Camœnæ.

Bella eſt hæc quidem deſcriptio; verum fluminibus nos paulo largius irrigavit optimus Poeta, quippe quæ ſunt nobis tria quidem, ſed haud multo majora, quam quæ hic illic agilior canis tranſilierit, quæque videri poſſint non niſi Poetis noſtris Aganippes, Hippocrenes, & Pimplæ ſimiliumque vicem præſtare; Albis vero ubi proxime urbem hanc contingit, abeſt ab ea ad minimum ſex milliaribus Germanicis. Paulo poſt, quæ plena horroris prodigia utramq; aciem cohibuerint, quo minus pugnam capeſſerent, tum quid illa portenderint (nam altero Cometa Regicidium Anglorum ſignificatum memoratur,) eleganter exſequitur. Poſtquam animos reſumſerunt milites, itur in pugnam, cujus varia momenta evolvuntur L. VIII, neque minus egregia tum Cæſaris, tum Reginæ facinora, quorum ille in caſside aquilam, hæc leonem oſtentabat. Sed en omen, quod paulo ante, quam inclinaret Cæſaris acies, accidiſſe non inepte Poeta fingit: ita enim de illo primum, mox de *Chriſtina:*

dum ſuperare laborat
Objectos cuneos, Aquilæ defecit imago,
Deſtituitque decus galeæ nullo hoſtis ab ictu
Stricta. Minor cono vertex ſubſedit ademto:
Altius inque vicem ſe ſuſtulit æmula caſsis,
Erectusque Leo diductum viſus hiatum
Tendere, & horrendum trepidas rugire per auras.

Quin & Guſtavi Manes, quo facilior Suecorum victoria redderetur, reducit in campum Poeta, & ægre excedentem pugna Cæſarem laudatamque in hoſte virtutem, pulcre delineat. L. IX Reginæ in Bohemiam iter belliqueſucceſſum proſequitur. Itaque dum ad Hercyniam ſylvam urſos venatur, in horrendum monſtrum incidiſſe fertur, quod poſtquam hominem eſſe in ſylvis educatum intellexit, humani generis feritatem pluribus execratur; mox par belli Ducum ad duellum ſeſe invicem provocantium, quod ſevere Guſtavus, ſeverius

rius *Chriſtina* interdixerat, ſingulari ratione ab inſtituto avocat. Pragam deinde occupat,& fortiter pugnantibus virtutis præmia porrigit. At ejus arcem cum ingreſſa eſt L. X, miratur imprimis ſplendida aulæa ex Mantuanis ſpoliis eo quondam advecta, quibus præſaga futuri Manto Chriſtinæ habitum omnem, virtutes & acta intexuerat. Stabat inter alias figuras Virgilius, ſeque haud reſervari in illa tempora dolebat:

> Ipſe æger, viſusque ſacro defixus in ore
> Dilatos queritur quod non indulſerit ortus
> Atropos; & primæ ſordent jam præmia laurus.

Sed cetera referre longum foret. Incidit non multo poſt in morbum Regina ex veneno fraude propinato, jamque lugente univerſo exercitu cum Divino quaſi radio monita votum feciſſet, præter ſpem omnium convaleſcit. L. XI Veneti pacem inter utramque partem conciliant, ideo potisſimum, ne Germania attrita ipſi Germano milite adverſus Turcas, quibuſcum moleſtum diu bellum geſſerant, deſtituantur. Ea vero occaſione Legatus Venetus Petrus Baſadonna, nutu Chriſtinæ, Othomannæ Domus originem, potentiam, geſtorumque & ſucceſſuum ſeriem ita enarrat, ut Cæſaris ſe memorem Patriæque & Religioni addictum præſtet. Diſcedit hinc in Sueciam ovans victoria Regina, deque abdicando Regno ſecum exigit & deliberat. Poſtremum L. XII Plutonem ſub ſpecie Guſtavi fingit Capellarius, qui Reginam de abdicatione nondum plane certam, multis rationibus prorſus abſtrahere a propoſito conatur. Ac ut multum ubique S. Birgittæ datur, ita nunc quoque conſilium ejus ſequitur demum Chriſtina, ſceptrum deponit, ter irritis votis, ut reciperet, revocata. Tum iter ingreditur, & poſtquam magnifica in fano Lauretano donaria ſuſpenderat,

> Romam contendit, in aſtra
> Unde viæ faciles & per compendia curſus.

Urbem ipſam invehitur, veluti per triumphum:

> Niveo comitata Sororum
> Agmine: præibat Pietas, Aſtræa, Fideſque,
> Caſtaque Virginitas, atque una, & plurima Virtus,
> Pone catenatæ Peſtes, Vis, Luxus & exlex
> Aulai Ambitio, vetitoque incenſa Libido &c.

Cir-

Circumducitur deinde in templo Apoſtolico a Diva Birgitta ædituum mentita, & hiſtoriam cathedræ Divi Petri ab eadem docetur. Pontificem ipſum adit, alloquitur, & ab ipſo excipitur prolixo affectu, verbis paucis. Concludit itaque univerſum opus Poeta:

Dixerat, & teſtis propenſi Numinis Æther
Intonuit lævum; radiisque refulſit Olympus
Aureus, & niveo Chriſtinam circuit igne.
Ingeminant Terræ plauſus; ſed triſte remugit
Orcus, & excusſis ſonuerunt antra catenis.

Atque hæc de egregio opere dixiſſe ſuffecerit, quod inventionis æque ac auguſtæ dictionis laudem apud omnes conſequetur. Non mirabuntur vero Evangelica ſacra profesſi, ubi religionem orthodoxam ubique ſub Hæreſeos nomine traduci & proſcindi viderint: cum a Viro Pontificiæ addicto religioni, & cui Heroinæ ſuæ laudes vel maxime ex eo, quod fidem, pro qua aſſerenda Pater glorioſe occubuerat, deſeruiſſet, arceſſendæ erant, expectari alia non potuerint. Etſi mallemus inter alia, Plutonem ſub Guſtavi ſpecie introductum non fuiſſe; quam fictionem Chriſtinam ipſam, ſi ſuperſtes eſſet, magno applauſu excepturam fuiſſe, multi forte dubitabunt.

LIBRI NOVI.

Mantiſſa Codicis Juris Gentium Diplomatici. Ex recenſione G. G. L. Hanoveræ, ſumptibus Gotfridi Freytagii, 1700. fol.

Campegii Vitringa Sacrarum Obſervationum Libri IV. Franequeræ apud Jo. Gyzelaer, 1700. 4.

Veterum Scriptorum & Monumentorum Moralium, Hiſtoricorum, Dogmaticorum, ad res eccleſiaſticas, monaſticas, & politicas illuſtrandas, Collectio nova. Tomus I, opera & ſtudio Domni Edmundi Martene. Rotomagi, apud Ant. Maurry, 1700. 4.

Vita Laurentii Chadertoni, una cum Vita Jacobi Uſſerii. Cantabrigiæ typis Academicis, 1700. in 8.

La Paix de Clement IX. Ou Demonſtration des deux Fauſſete's capitales avancées dans l' Hiſtoire des V Propoſitions. A Chamberri, chez Jean Batiſte Giraux, 1700. 12.

De

De l' Ancienne Coutume de prier & d' adorer debout le Jour du Dimanche, & de Fête, & durant le tems de Pâque. Ou Abregé Hiſtorique des Ceremonies. A Delft, chez Henry van Rhyn, 1700. 12.

Michaëlis Etmülleri Opera omnia in compendium redacta. Londini impenſis Rich. Wellington, 1701. 8.

Traité des Pierres qui s' engendrent dans les Terres & dans les Animaux. Par Nicolas Venette. A Paris chez J. B. Cuſſon &c. 1701. 12.

Apologetique de Tertullien, de la traduction de Mr. Giry. Nouvelle edition augmentée d' une Diſſertation Critique touchand Tertullien & ſes Ouvrages. A Amſterdam, chez Thomas Lombrail, 1701. 8.

Saint-Evremoniana, ou Receuil de diverſes Pieces curieuſes de Monſieur de Saint-Evremont. A Amſterdam, chez Pierre Mortier, 1701. 8.

Les Monumens de Rome, ou Deſcriptions des plus beaux Ouvrages de Peinture, de Sculpture & d' Architecture, qui ſe voyent à Rome. A Amſterdam chez Eſt. Roger, 1701. 12.

Hiſtoria Vitæ Simonis Epiſcopii, ſcripta a Philippo a Limborgh. Amſtel. 1701. 8.

Hiſtoire Generale du Janſeniſme. A Amſterdam chez J. L. de Lorme, 1700. 12. Tomes 3.

Memoires de Mr. d' Ablancourt, contenant l' Hiſtoire de Portugal depuis 1659 jusqu' à 1668. A Paris, chez les Heretiers de la veuve de Mabre- Cramoiſi, 1701. 12.

D. Chriſtiani Kortholti de Tribus Impoſtoribus Magnis Liber, denuo editus cura Sebaſtiani Kortholti. Hamburgi literis & ſumptibus Reumanni, 1700. 4.

Critique de l' Hiſtorie des Chanoines, ou Apologie de l' Etat des Chanoines Proprietaires. A Luxembourg, chez André Chevalier, 1700. 8.

Herm. Alexandri Roël Diſſertationes Philoſophicæ de Theologia Naturali duæ: de Ideis innatis una. Franeckeræ apud Jo. Gyſelaar, 1700. 8.

Pomponii Melæ Libri III de Situ Orbis, cum obſervationibus Iſaaci Voſſii. Editio ſecunda, in qua Obſervationes textui ſubjectæ ſunt, quæ in prima editione in fine operis apparebant. Franeckeræ apud Leonhardum Strickium, 1700. 8.

* * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Martii, Anno M DCCI.

CAMPEGII VITRINGA SACRARUM OBSERVATIONUM Libri quatuor.

Franequeræ, apud Jo. Gyzelaar, 1700. in 4. Alphab. 6. plag. 6.

JAm aliquoties diligentiam noſtram exercuerunt Doctiſſimi Vitringa Obſervationes perquam elegantes, quandoquidem in tribus earundem libris pro inſtituto noſtro recenſendis antidhac nos occupatos geſſimus. (Vide Acta noſtra A. 1689, p. 588, 609, & A. 1692, p. 382.) Sed tantum abeſt, ut laboris iſtius quoddam tædium nos ceperit, ut potius de data nobis nunc occaſione ulterius illum continuandi, quam inde ab anno 1692 jam ſumus præſtolati, majorem in modum gaudeamus, poſteaquam recudi Obſervationes iſtas & quarto libro auctas prodire Maxime Reverendus Autor paſſus eſt.

In quarto autem libro hoc, quem ſolum hac vice percurrendum nobis ſumimus, initium facit Autor a Cherubum & Rotarum Ezechielis, ſive quatuor novæ & admirandæ formæ animantium totidem rotis junctarum, divinæ Majeſtatis thronum vehentium & ſuſtinentium contemplatione, cui duo deſtinavit capita, ac ſpeciem auguſtæ illius viſionis deſumtam fuiſſe exiſtimat aut a baſibus Luterum, qui in atrio Templi inſervierunt luſtrationibus Sacerdotum & Levitarum, quæ baſes ſumma arte confectæ Cherubinis & rotis innixæ fuerint; aut ab Arca, divinæ Majeſtatis ſede, quam rotis ſuffultam fuiſſe ſtatuat Hieronymus Pradus, quemadmodum prioris ſententiæ inventorem Hectorem Pintum celebrat. Ipſum autem myſterium, quod Deus ſub

emblemate iſto intellectum voluerit, indagaturus, colligit, quod, cum animantes & rotæ occurrant ut inſtrumenta throno Dei ſuppoſita, cumque fulcientia & quaqua verſum circumferentia, iis præcipue deſignentur Miniſtri, quorum opera in regno gratiæ, fundato in ſanguine mediatoris Chriſti, ſtabiliendo & promovendo, ſub novi fœderis œconomia Deus uti ſoleat. Sicut autem hos ab Angelis diſtinguit, & nonniſi de iis, qui Deo in ipſius regno promovendo his in terris ſubſerviant, Miniſtris agere ſe velle teſtatur: ita horum alios extraordinarios facit, aliosque ordinarios. Iſtos appellat Apoſtolos, Evangeliſtas, Prophetas & Doctores ſub Chriſtianiſmi initium claros: hos vero Paſtores, Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Chriſtianæ, officio ſuo per omnia novæ œconomiæ tempora feliciter fungentes. Priores animantium, poſteriores rotarum ſymbolo fuiſſe deſignatos exiſtimat.

In Cap. III phraſin, *ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας*, in ſcriptis Novi Teſtamenti uſitatiſſimam exponit, ac minime quidem reſuſcitaturum ſe eſſe ait lites de beneficiis gratiæ, quæ dicantur *πάρεσις* & *ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν*, inter Doctores Belgas olim excitatas; quanquam ſe hactenus nondum perſpicere potuiſſe fateatur, quod Coccejus in explicando diſcrimine condonationis delictorum, quemadmodum olim obtinuerit ſub vetere & nunc obtineat ſub nova œconomia, minimum divortium fecerit, vel facere etiam voluerit, a communi fide totius Eccleſiæ, quodque adeo diverſum ſenſerit docueritve ab iis, quibus *ὀρθοδοξία* ejus hac in parte ſuſpecta fuerit. Se vero unice in phraſi hac notare iſtud velle innuit, veram & germanam illius exponendæ rationem petendam eſſe ex metaphora Creditorum & Debitorum, atque adeo per eam in œconomia gratiæ hoc ſignificari beneficium, quo Deus, qui in hac metaphora cum Creditore comparetur, hominibus miſeris pœnam, quam propter delicta ſua ipſius juſtitiæ debeant, clementer remittat. Qua in re nullo ſeſe modo errare poſſe innuit, cum ipſe Chriſtus materiam hanc condonationis delictorum, adducta crediti & debiti ſimilitudine illuſtratam atque explicatam dederit, Matth. XVIII, 24. ſeq. Pergit dehinc in C. IV ad phraſeos illius reſtrictiorem & magis emphaticum ſenſum, juxta quem eandem ſumi reputat pro illo modo condonandorum delictorum, qui ſub œconomia nova, poſt *λύτρον* divinæ juſtitiæ pro electorum peccatis debitum a Chri-

Chriſto ſponſore ſolutum obtineat; quem quidem modum ab illo, quo remiſſa fuerint peccata ſub œconomia vetere, in eo differre, commonente Hebr. X, 3, 17, 18 Paulo, inquit, quod Deus peccata ſic remittat, ut eorum non amplius recordetur. Recordari autem dici Deum peccatorum in ipſa Eccleſia & apud ipſum ſuum populum, latiori ſenſu, quando Eccleſiam ſuam eum in modum regat, ut exinde manifeſtum evadat, divinæ gratiæ pro peccatis electorum nondum eſſe ſatisfactum; dum nimirum Eccleſiæ haud concedat *illa* bona, quæ ipſi negare non poſſet ullo jure, ſi ſatisfactio a Chriſto ſponſore juſtitiæ ipſius præſtita fuiſſet. Atque hæc bona vocat omnia illa beneficia, quæ τελείωσιν credentium ſub œconomia nova faciant, utpote Spiritum cognitionis viarum Dei, ſanctificationis & υἱοθεσίας; quo modo Deus dici poſſit peccatorum eſſe recordatus toto illo intervallo temporis, quod nos vocemus Promiſſionis ab Adamo usque ad Chriſtum. Strictiore tamen ſenſu Deum perhiberi peccatorum in ipſa Eccleſia ſua recordari, quando petulantiam populi ſui eum in modum caſtiget, ut in ipſo religionis exercitio publicum extare velit teſtimonium de reatu nondum ſublato; cujusmodi populus Dei ſub veteri œconomia habuerit tum in ſua a Gentilibus ſeparatione ſanctis haud dubie moleſtiſſima, tum præcipue in tota lege Moſaica, & omnibus ceremoniis ſecundum illam legem in religionem invectis, una cum diriſſimis execrationibus legis iſtius ſanctionem comitantibus. Ἄφεσιν igitur ἁμαρτιῶν, Eccleſiæ ſub vetere œconomia promiſſam & ſub nova præſtitam, ſecum tuliſſe cenſet beneficia clarioris cognitionis Dei & majoris gradus ſanctificationis, ſublati jugi totius legis Moſaicæ, liberationis a ſervitute & metu jugum iſtud ſtipantibus, ac denique hæreditatis mundi, diſſoluto pariete intergerino, qui per Moſen inter Judæos & Gentes extructus fuerat. Peculiari autem iſthac uſurpatione vocis ἄφεσις, alluſiſſe conjicit Scriptores ſacros, tum ad Hebræum vocabulum שמטה, quam LXX Interpretes paſſim transponant per ἄφεσιν, tum ad ipſam illam rem, quæ per τὸ שמטה apud Judæos deſignetur, hoc eſt, remiſſionem debitorum, quam Judæi creditores præſtare debuerint ſuis debitoribus anno quoque ſeptimo, qui Sabbathicus iisdem fuerit.

In Cap. V novum thema pertractandum ſuſcipit, & ad ſenſum loci illuſtris Gen. XLIX, 10. accuratius noſcendum neceſſe ſibi vi-

deri innuit, ut ſtatuatur, ſceptrum tempore nati Chriſti nondum a Juda ablatum, ſed omnino adhuc ſuperſtes fuiſſe in Herode Magno. Hunc etenim Judæorum utique Regem appellandum venire contendit, & qui ad Regem proprie ſic dictum iſtud requiri arbitrentur, ut nulli alii Principi aut populo potentiori quoquo modo obnoxius, atque adeo alterius populi tributarius non ſit, eos absque ulla neceſſitate nodos nectere haud facile ſolvendos cenſet; etiamſi ne Herodem quidem Romanorum tributarium fuiſſe concedat. Nec obſtare in Cap. VI addit, quod Herodem alienigenam noverimus, & ſaltem Idumæum, cum tamen Sceptrum promittatur tribui Judæ. Enimvero tribum hanc habere potuiſſe ſceptrum affirmat, etiamſi ab alio geſtaretur, quam a Judæo, modo, qui illud gereret, nomine populi tribum Judam conſtituentis id adminiſtraret.

Caput VII in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ campum exſpatiatur, Eccleſiamque Chriſtianam illo intervallo temporis, quod lapſum eſt a Nerone ad Trajanum, admodum languiſſe, ac de zelo & fervore ſuo non parum remiſiſſe docet, tum etiam decrementum notabile feciſſe, multis ſocietatem Chriſtianam deſerentibus, aliis turbantibus, aliis vero ſuis ſententiis moribusque eam dehoneſtantibus, oſtendit, idque non argumentis modo ex antiquitate hiſtorica depromtis, ſed iis etiam Scripturæ teſtimoniis, quibus conditionem Eccleſiæ illius temporis depingi ſecum reputat, evictum dare in Cap. VIII nititur.

Caput IX hæreſes in Eccleſia Apoſtolica exortas enarrat, iſtoque pacto variis locis Paulinarum ad Corinthios & ad Timotheum, poſterioris item Petri & Judæ Epiſtolarum clariorem lucem affundit. Sigillatim de Nicolaitarum hæreſi diſſerit, multumque recedit ab iis, qui eandem nuncupatam putant a Nicolao, Proſelyto Antiocheno, qui ſeptem œconomorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ unus fuerit; quin potius cum ſecta Bileamitarum eam putat coincidere, Nicolaitarum nomine non proprie accepto, ſed *αἰνιγματωδῶς*, cum reſpectu ad Hebræum בלעם, *dominus populi*, quod cum nomine Νικόλαος, *victor populi*, plane idem ſit. Ita vero dictos eos innuit, quod populum Chriſtianum per doctrinam vagarum libidinum carnalium Chriſti ſubtraxerint imperio, ſibique ſubjecerint. Petrum inſuper, Bileamum, qui in Veteri Teſtamento audiat בן בעור, Filius Beoris, dixiſſe filium τοῦ Βοσὸρ obſervat, ut ad Hebræum בשר, quod carnem notat, allu-

alluderet, elegantique hoc luſu ſignificaret, Bileamum ſuadendo voluptatum carnalium exercitium reapſe filium *Βεσὸρ*, id eſt, כשר, carnis evaſiſſe.

In Cap. X de præcipua Pauli in epiſtola ad Romanos hypotheſi quærit, & eam facit hanc, quod homo coram Deo ex operibus juſtificari non poſſit; qua de re ipſe Paulus hunc in modum pronunciet: *διότι ἐξ ἔργων νόμυ ὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον ἀυτῦ*, Rom. III, 20. Cujus effati ſenſum paulo dilucidius demonſtrat, & in Cap. XI non id negaſſe Paulum ſtatuit, quod Iſräelitæ ex obſervantia legis Moſaicæ ſalvari potuiſſent, ſed diſputaſſe ipſum cum Judæis ſecundum eorum hypotheſin, & talem ex lege juſtificationem rejeciſſe, qualem illi vulgo conceperint, exiſtimantes, Deum fœdere Sinaitico poſtulaſſe perfectam & exactam obſervantiam omnium ſuorum præceptorum, atque ab illa, ut ab opere quodam operato, ſuſpendiſſe juſtitiam & vitam, abſque reſpectu ad quid aliud: hominem vero natura non eſſe ita depravatum, ut ad hanc conditionem implendam ſit ineptus; quin illum, ſi ad ſeipſum attendat, diligentemque operam adhibeat, per conditionem iſtam præſtitam ad vitam promiſſam utique pertingere valere. Quas Judæorum hypotheſes latius declarat, argumentorumque Pauli vim ad eas infringendas affatim idoneam demonſtrat.

In Cap. XII de arbore ſcientiæ boni & mali agit Autor, Hebræamque appellationem עץ הדעת טוב ורע ſecundum linguæ uſum dicendique conſuetudinem, id ipſum eſſe docet, quod nos appellaremus arborem prudentiæ; dictamque eam talem ideo, quod ex inſtituto divino eſſet prudentiæ magiſtra, & illius tam cauſa moralis, quam objectum. Prudentiæ enim eſſe סור מרע recedere a malo. Eam ut homines diſcerent, produxiſſe Deum hanc ipſam arborem, quæ fructum tulerit homini ſive ex divino inſtituto noxium, qui ipſi cauſa mortis eſſet; quamobrem prudentiæ omnino hominis fuerit, ſibi ab hoc fructu cavere. Qua autem ratione interdicto eſus de fructibus iſtius arboris ſupremum Numen & affectum hominis obedientiamque explorare, & varias cum utiliſſimasque veritates edocere, & objectum concupiſcentiæ inordinatæ præfigurare voluerit, in Cap. XIII. ulterius probat.

Cap. XIV cum XV duas ex libro Judicum hiſtorias, in quibus mentio occurrit Angeli Sacerdotis, conſiderat, ipſumque illum, qui Duum-

Viris illis celebrioribus, Gideoni & Manoæ, apparuit, Angelum Jehovæ verum fuiſſe Jehovam, Dei Filium hoc nomine *κυρίως* in hiſtoria populi Hebræi inſignitum evincit. Victimas vero ab eo oblatas figuram facit perfecti illius ſacrificii, quod Filius Dei, inter homines aliquando apparituras, Deo Patri pro humani generis ſalute oblaturus, & poſt in flamma hujus hoſtiæ, hoc eſt, virtute ſacrificii ſui Deo placituri, ad occupandam gloriam a Patre ſibi decretam, in cœlum aſcenſurus eſſet.

Caput denique XVI, idque ultimum, effatum Petrinum ex II Epiſt. III, 10. vindicat, in quo ille meminit cujusdam adventus Domini ad puniendos homines impios, & totam cœleſtem ac terreſtrem machinam ingenti cum fragore concutiendam, opeque ignis deſtruendam. Id a nonnullis accipi obſervat de judicio particulari a Deo exercendo in Judæos incredulos & impios, deque Domini adventu ad eorum rempublicam ſive politiam eccleſiaſticam ſubvertendam, quod a Romanis factum fuerit. Viciſſim vero Noſter de adventu Chriſti noviſſimo ad mortales ſingulos & univerſos judicandos, & de conflagratione hujus mundi aſpectabilis eum conſecutura, locum illum potius exponendum eſſe, ſolidis argumentis adſtruit.

Philipp Jacob Speners / D. Theologiſche Bedencken und Briefliche Antworten.

h. e.

PHILIPPI JACOBI SPENERI, D. RESPONSA Theologica.

Halæ Magdeburgicæ, ſumtibus orphanotrophii, 1700. 4. Alphab. 6.

QUi Reſponſorum Juridicorum Syllogas aliquot in Actis noſtris recenſeri hactenus intellexerunt, iis nec Theologicorum hoc Syſtema paucis deſcriptum legere, ingratum fore arbitramur. Natum illud eſt ex variis quæſtionibus, quas olim per epiſtolam Autori Maxime Reverendo plurimi propoſuerunt, qui, ſicubi in vivis adhuc degunt, non habebunt, cur de propalatis, quæ occultari maluiſſent, deſideriis ſuis conquerantur, quandoquidem nuſpiam eorum adjiciuntur literæ, nec

nec, pauciſſimorum ac dudum vita functorum mentionem ſi exceperis, nomina ullius indicantur, & præterea de ſingulis fere thematibus ſic diſſeritur, ut theſin potius quam hypotheſin pertractari appareat. Quamvis vero magna utique ſit rerum in Reſponſis hiſce excuſſarum multitudo & varietas, ad duo tamen capita tractationem univerſam revocare placuit, in quorum priori ea occurrunt, quæ aut ad Scripturæ ſacræ loca quædam illuſtranda, aut ad confirmandos fidei articulos controverſiasque religionis decidendas pertinent; & in poſteriori de iis diſſeritur, quæ Miniſterium Eccleſiaſticum propius attingunt. Ex utroque ſpeciminis in locum nonnihil allegare, fortaſſis haud inconſultum fuerit. Inter illuſtrata Scripturæ Sacræ dicta primum eſt, quod Act. X, 35. legitur, de timore Domini rectoque ſtudio cultores ſuos Deo acceptos reddente, quo ſalutem absque Chriſti Jeſu cognitione adipiſci quenquam poſſe, neutiquam probari, Sect. I oſtenditur. Sect. III de ficu, cui maledixit Chriſtus Marc. XI, 21; Sect. V, de capite in Eccleſia tegendo aut nudando ex 1. Cor. XI. 4, & ſubſequente ſexta de patribus & pædagogis ex 1. Cor. IV, 15; Sect. IX. occaſione locorum 1. Tim. II, 9. 1. Pet. III, 3. de fœminarum honeſtarum obſervandis in veſtitu & ornatu exteriori officiis agitur. Sect. XI & XII converſioni eorum, qui in atheiſmum prolapſi fuerunt, promovendæ deſtinata eſt; XV P. Dez tractatum de reunione Eccleſiarum Romanæ & Proteſtantium examinat; XX diſcrimen, quod interſit inter peccata habere & peccata facere, exponit; XXI peccata mortalia & infirmitatis a ſeinvicem diſtinguit; XLVIII de ſomniis; LI de infantibus Baptiſmi lavacro *ante obitum haud ablutis*; LV de bonorum operum exercitio in Eccleſia Lutherana diligenter inculcato; LVII de Luthero ejusq; ſcriptis; LXVII de ſcriptis Tauleri; LXVIII de Schwenckfeldianis; LXIX de Antonia Burignonia; LXX de P. Molinoſo; LXXII de Separatiſmo & Jacobo Böhmio; LXXV de epiſtola Clementis agit, ut alia taceamus. Alterum caput ſex conſtat articulis, quorum primus de ſtudiis Academicis conſilia ſuppeditat, & quid in erigendis viſitandisque ac reformandis Academiis facto opus ſit, quomodo informanda veniant juvenum in iis degentium ſtudia, exponit. Utrum is, qui per longum ſatis tempus mercaturæ operam dedit, hac relicta ad ſtudium Theologicum licite ſe conferre queat, diſpicit, & affirmativam omnino tuetur. Secundus vocationem ad officium conſiderans, primo loco, an, qui vitia-

tiatam antea in matrimonium duxit, miniſterio Eccleſiaſtico indignus ideo reputari debeat, diſquirit, negantibusque accedit. Varia deinde monita in migrationibus Clericorum probe tenenda accumulat, & ſcholarum quoque magiſtris regulas ſalutares præſcribit. Tertius officia miniſtrorum Eccleſiæ generatim ſpectanda dirigit, Paſtoribusque & Diaconis viam, quam inire teneantur, monſtrat, atque inter alia medicam artem ab Eccleſiaſte exerceri commode poſſe, haud inficiatur. Quartus ad officia ſpecialiora progreditur, quidque in ſtringendo uſu elenchtico & epanorthotico prudentia ſacra requirat, innuit. Circa examina porro Catechetica privata æque ac publica, domeſticam auditorum viſitationem, ægrorum conſolationem, neogamorum copulationem, aliaque id genus Lectorem noſſe talia cupientem abunde informat. Quintus adminiſtrationem Sacramentorum contemplatur, & exorciſmi in Baptiſmo libertatem præter alia adſtruit; privatam vero communionem citra urgentem neceſſitatem petitam improbat. Sextus denique in caſibus nonnullis confeſſionem atque abſolutionem auricularem, admiſſionem ad S. Cœnæ uſum, pœnitentiam publicam & excommunicationem concernentibus verſatur. Atque hactenus recenſita primum modo Tomum conficiunt, quem aliquando inſequetur alter, in quo officia Chriſtianorum, juxta utramque tabulam, & caſus imprimis matrimoniales ſiſtentur, epiſtolæque Auctoris Celeberrimi variæ paræneticæ, paracleticæ & hiſtoricæ exhibebuntur.

D. CHRISTIANI KROTHOLTI, PRO-CANCELLARII ET PROfeſſoris Academiæ Kilonienſis, dum viveret, Primarii, de Tribus Impoſtoribus Magnis Liber, denuo editus cura Sebaſtiani Kortholti.

Hamburgi ſumptibus J. Redmanni, 1700. in 4. Alph. 1.

CUm non ſolum bene de republica litteraria mereantur, qui doctos labores cum erudito orbe ipſi communicant, ſed ii etiam, qui aliorum doctorum monumenta poſteritati conſervare nituntur, laudari certe meretur Clariſſimus Sebaſtianus Korthplt a Sereniſſimo Cimbrorum Duce nuper ex merito conſtitutus Profeſſor Poeſeos Publicus, id agens, ut de integro lucem adſpiciant paterna ſcripta, quorum

rum in tabernis librariis amplius copia non eſt. Poſtquam enim publicavit *Paganum Obtrectatorem, ſive de Calumniis Paganorum in veteres Chriſtianos tres libros*, haut ita pridem quorundam litteratorum deſiderio ſatisfacturus auctiorem edidit B. Patris ſui *de Tribus Impoſtoribus Magnis* librum, qui Kilonii Anno 1680, adeoque poſt Morini de Tribus Impoſtoribus librum, ſecus ac Bailletus putavit, emiſſus Herberti, Hobbii & Spinoſæ technas, quibus Chriſtianiſmum penitus evertere viſi ſunt, ob oculos clare ponit. Cujus libri titulum cum vellicet Galliæ Polyhiſtor Adrianus Baillet, atque illum deteſtabilem appellet, nec in memoriam revocandum cenſeat in *Judiciis de viris doctis*; editor & autor præfationis inſcriptionem argumento apprime convenire contendit, atque inſuper urget, ſi illius tituli memoriam B. Parenti refricare non licuerit, Bailleto quoq; prohibitum fuiſſe, in ſuo Opere ejus meminiſſe. Qua occaſione ex Celeb. Petri Bayle litteris Roterodamo ad ſe datis probat, omnes vel nomine fidei, vel nomine diligentiæ ſuſpectos eſſe debere, quicunque jactant ſe librum infamem de Tribus Impoſtoribus manibus triviſſe, ac Bailleto mentionem libri exſecrabilis de laudibus Sodomiæ objicit, monetque ab illo hunc abortum Johanni Caſæ, Archiepiſcopo Beneventano, injuſte tribui, ut in *Diſſertatione de Poetis Epiſcopis* demonſtrarit. Porro cum aliorum etiam B. Kortholti librorum titulos impetat Bailletus, affirmans, illum, cum obſervaſſet in Baronio locum, qui non placebat, de pane Euchariſtico, ſtatim adornaſſe aliquem Anti-Baronium; Kortholti Filius Clariſſimus adducto libri paterni titulo (*C. Kortholti Diſquiſitiones Anti-Baroniana. Accedit Ejusdem Exercitatio Anti-Salmaſiana de Pane ἐπιουσίῳ, quem in Oratione Dominica petimus. Kilonii 1677*) obſervat, Bailletum forte feſtino oculo titulum illum adſpexiſſe, atque inde finxiſſe, a Patre ſuo Anti-Baronium de Pane Euchariſtico contextum fuiſſe, quod tamen argumentum Disquiſitiones Anti-Baronianæ nequaquam tangant. Notat etiam, Patrem ſuum nunquam Anti-Salmaſium contexuiſſe, ſecus ac Bailletus in libro, qui inſcribitur *des Satyres perſonelles*, aſſerat. Cæterum idem doctiſſimus Vir Poetriis puellis diſſertatione quadam expoſitis Centuriam puerorum doctorum a Bailleto non memoratorum ſe adjuncturum, & præterea Poetas non paucos, eosque præſtantiſſimos, quorum ille in quinque iis conſecratis voluminibus non meminit, propediem indicaturum

rum pollicetur. Tandem poſt Celeb. Petrum Bayle & editorem operum poſthumorum Spinoſæ, quædam nota parum & litteris nondum prodita de vitæ ejus ratione ſubjungit. Accepit enim Hagæ Comitum a Viris eruditis & Spinoſæ domeſticis, hunc impoſtorem patre mercatore Judæo Amſtelodami natum & Paulum appellatum fuiſſe, Latinamque linguam ductu virginis arripuiſſe; Hagæ, ubi vitam egit ſolitariam, templa Reformatorum Lutheranorumque frequentaſſe, & domi duriter vixiſſe, uſque dum animam die 21 Febr. A. 1677, præſente ſolo Medicinæ doctore, efflavit: eo defuncto paucos ejus libros magno ſibi pretio comparaviſſe eruditos, neque tamen inter eos tractatum de iride offendiſſe; quem fortaſſis nunc uſpiam deliteſcere putat operum Spinoſæ poſthumorum editor. Pro certo autem ſe habere ait Kortholtus, flammis eum hunc librum conſecraviſſe eodem die, quo Hagenſes viæ flammis elucebant; quocirca domi ſeſe ſolennes faces imitari jocatus eſt, & domeſticis dixit multum ſe temporis libro illi excogitando & deſcribendo impendiſſe. Vacavit inſuper, Kortholto referente, Scripturæ ſacræ Latine vertendæ, ſed penſum non abſolvit. Nunc non nihil de ipſo libro trium Impoſtorum tacitas fraudes detegente dicendum ſupereſſet, niſi id inſtituto noſtro adverſaretur, cum illud ſcriptum, antequam Acta colligi cœpiſſent, lucem publicam adſpexerit. Quare id ſolum nunc addere ſufficiat, coronidis loco libro Kortholtiano ſubjunctam eſſe *de Animalitate Hominis* Hieronymo Cardano & Eduardo Herberto Jenæ quondam oppoſitam disquiſitionem.

VITA LAURENTII CHADERTONI S. T. P. ET COLLEGII Emmanuelis apud Cantabrigienſes Magiſtri primi; una cum Vita Jacobi Uſſerii Archiepiſcopi Armachani, tertia fere parte aucta, a WILHELMO DILLINGHAM S. T. P. una cum duabus ejusdem Concionibus pro Baccal. & Doctoratus in Theologia gradu habitis.

Cantabrigiæ apud Th. Dauſon, 1700. 8. Plag. 9.

HUjus Vitæ deſcriptionem, & ipſius Chadertoni virtute ac eruditione, & quod Collegii Emmanuelis Cantabrigienſis primus Magiſter fuiſſet, & Superiorum juſſu, commotum ſe ſuſcepiſſe, perhibet Cl. Au-

Autor. Ipſum autem Laurentium Chadertonum Oldhami non procul a Mancunio in Comitatu Lancaſtrenſi, patre Edmundo Chadertono, nobili & antiquo genere, anno, quantum e Chadertoni ſermone conjici potuerit, 1536 d. 14 Septembris natum dicit. Cæterum prima pueritia infelici præceptore uſus, literas fere abjecerat Noſter. Poſtea provectior jam rediit, ad ſumma quæque natus, in Muſarum amplexus. Tum viro docto, Pontificio quidem, *Vauxio* præceptore uſus, brevique tempore inferiorum diſciplinarum ſtadium emenſus, A. 1562 in Collegium Chriſti Cantabrigiæ, quod olim *Domus Dei* appellabatur, felici omine adſcriptus eſt: ubi non in literis ſolum egregios progreſſus fecit, ſed Reformatæ etiam fidei doctrinam, Papiſmi olim innutritus erroribus, Patre licet renitente eumque prorſus abdicante, animo complexus, anno 1567 Baccalaureus factus, in Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudio ſtrenue perrexit, atque in Sociorum Collegii ſui numerum gubernandique ſocietatem pervenit. Anno 1568 ſacris etiam ordinibus initiatus, A. 1571 Magiſtralem lauream accepit: multiſque dehinc in Collegio Chriſti docendi muneribus, Decanatu etiam tam egregie functus eſt, ut ex ejus diſciplina poſt *Perkinſium*, magnum inter Anglos nomen, plures viri graviſſimi prodierint. Neque aliud expectandum a Viro linguæ Latinæ, Græcæ, Hebrææ, Rabbinicæ Hiſpanicæ, Gallicæ & Italicæ, Philoſophiæ item ac Theologiæ doctiſſimo; quod & prælectiones in Collegio publicæ, & controverſia adverſus Petrum Baronem de fide juſtifica pie ac ſolide tractata, Baccalaureatus etiam in Theologia ultro ipſi ab Academia delata dignitas abunde comprobant. Quare cum ab Illuſtri Viro, *Gvaltbero Mildmajo* novum Collegium Prædicatorum Evangelii inſtitueretur, Chadertonus, ducta jam pia & honeſta uxore, præ aliis Magiſter ejus electus eſt; quam ille ſpartam ob Collegii utilitatem, repudiata, quæ aliunde offerebatur, pinguiori, promptus A. 1584 accepit, tantaque fide, induſtria tanta ornavit, ut ex eo Collegio & Chadertoni domo meri Heroes, interque eos Richius Hollandiæ Comes, Finchius magni ſigilli Cuſtos, Mildmajus Fanus Weſtmorlandiæ Comes, aliique plures prodierint. Qua quidem re meruit Chadertonus ut Regi Angliæ Jacobo, cui in colloquio celeberrimo in ejus ædibus Hamptonianis cognitus integritate ſua & fide erat, eſſet cariſſimus, maximaque Regiæ gratiæ documenta acciperet; quale fuit, quod ab eo

Bibliorum ſacrorum verſio Anglicana ipſi cum aliis committeretur, quodque Regis gener *Fridericus Comes Palatinus* Cantabrigiam cum Carolo Principe inviſens, ipſi grandævo jam, diuque ſummos in Theologia honores averſato, purpuram tandem invito etiam tribui curaret; quæ ſane ipſi non induſtriæ calcar, ſed gratum duplicis muneris, concionandi nimirum in oppido, & Collegii res omnes adminiſtrandi, ſumma laude exacti præmium fuiſſe videtur. Quare is ætate confectus, primum concionandi munere, in quo maxima Scripturæ explicandæ ſolertia, maſculi ſtyli concinnitate atque elegantia, divinaque animi pietate plurimis profuerat; deinde etiam Collegii ſui florentiſſimi Magiſterio, flentibus licet, atque ne id faceret, per ſalutem ſuam obteſtantibus Sociis, A. 1622, ætatis ſuæ 87, ſe abdicavit, illaque ſparta, publicæ ſalutis ſtudio, alii cui vires per ætatem firmiores eſſent, relicta, rebus ampliſſimis perfunctus, in otii honeſti atque literati portum confugit; Deoque, ſibi, ac Muſis ſuis ita vacavit, ut illi pietate & ſacris ſtudiis, ſibi frugalitate, temperantia, omniumque virtutum laude, his denique ruminatione Botanices dulciſſimarumque literarum, beatiſſime vixerit. In felici illo extremæ ſenectutis ſtatu, poſt animi ſummam tranquillitatem, maximi etiam honoris ab Hollandiæ Comite Richio, & Finchio magni Angliæ ſigilli Cuſtode, ſuis olim diſcipulis, ſibi delati fructum centenario jam major tulit: tandemque lapſu aliquo ſubito concuſſus, ingraveſcente ἀῤῥωστίᾳ, maturam cœlo animam, famæ ſatur ſaturque dierum, anno 1640, ætatis ſupra centeſimum quinto, efflavit. Cujus corporis animique habitum, virtutisque ſolidæ, ac raræ eruditionis præſtantiam, dignis laudibus ornat Autor: & quamvis pauca ejus documenta literaria, ſcripta nempe quædam Theologica, *de Juſtificatione*, *Cœna Domini*, *Oratione Domin.* &c. extent, æternum tamen ac vivum virtutis monumentum Emmanuelis Collegium perennare ait.

Jacobi Uſſerii vitam, quæ ab eodem Autore huic annectitur, intactam plane relinquimus, cum quæcunque de celeberrimo illo Viro pro inſtituti noſtri ratione dici poſſunt, dicta jam in Actis his A. 1687 p. 113 ſeqq. fuerint, cum Vitam ejus a Richardo Parr una cum epiſtolis tum editam recenſeremus.

Concionibus tandem duabus ab Auctore noſtro pro gradu Baccalaureatus & Doctoratus in S. Theologia habitis, bina Apoſtoli loca

1. Tim.

1. Tim. IV. 16. & 1. Cor. III. 9. more ſacris Oratoribus recepto explicantur.

HISTOIRE DE FRANCE &c.

i. e.

HISTORIA FRANCIÆ, REGUM EX DUABUS PRIMIS STIRpibus imperium complexa, auctore LUDOVICO LE GENDRE, Eccleſiæ Pariſienſis Canonico.

Pariſiis ad Jo. & Mich. Guignard, 1700. 12. Alph. $2\frac{1}{2}$ chartæ auguſtæ.

QUem Ludovici Magni, hodierni Galliarum Monarchæ, Hiſtoriam magno ingenio, nec minori ſtyli elegantia compoſuiſſe, in Actis anni ſuperioris menſe Martio p. 141 indicavimus, Vir Celeberrimus *Ludovicus le Gendre*, applauſu, quo iſtud opus exceptum fuerat, excitatus univerſam non ita pridem Regni Francici Hiſtoriam, a primis illius incunabulis ad hæc usque tempora pertexendam, aggreſſus eſt, atque ita quidem, ut non more multorum exſcribat recentiores Hiſtoriographos alios, ſed antiquiora monumenta excutiat, ſcriptoresq; Regibus, quorum geſta enarrantur, coævos, aut certe iis non multo poſteriores, quales Andreas & Franciſcus Du Chesne in inſigni illo vaſtoque quinque voluminum opere collegerunt, nunquam non evolvat, atque in ſubſidium advocet. Jamque Regum primæ & ſecundæ ſtirpis, Merovingorum puta & Carolingorum, res geſtas tribus modicis tomis luci publicæ expoſuit, quorum primus a Pharamundo usque ad Dagobertum, alter a Dagoberto ad Ludovicum Pium, tertius a Ludovico Pio ad Hugonem usque Capetum extenditur. Nobis Hiſtoriam univerſam in compendio exhibere, pro inſtituti noſtri ratione, non licet: foret enim prolixum hoc nimis, & exigui uſus. Ne tamen nihil ex elegantiſſimo opere decerpamus, juvat notare nonnulla, in quibus Auctor Nobiliſſimus, antiquorum Scriptorum fidem ſecutus, a recentioribus diſſentire non dubitat.

Vulgatiſſima opinio eſt, fœminas a ſucceſſione Regni Francici Tom. I. pag. 93.

expreſſa quadam legis Salicæ ſanctione excludi. Auctor monet, in univerſa Lege Salica, qualis quidem hodie exſtat (nam hanc non niſi epitomen eſſe multo majoris olim codicis, fatetur) ſolum paucas has reperiri lineolas, quæ huc videantur trahi poſſe: *de Terra vero Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat; ſed ad virilem ſexum tota terra hereditas perveniat.* Ubi per Terram Salicam innui ait Terras Nobiles aut bello potius quæſitas. Populare vero præjudicium ex eo natum cenſet, quod poſtquam Carolus Pulcher nullis relictis liberis deceſſiſſet, non illius ex ſorore nepoti Eduardo III Angliæ Regi, ſed patrueli Philippo Valeſio regnum fuiſſet adjudicatum.

p. 255. Famoſum eſt in Hiſtoria Francica Fredegundis, quæ Chilperici I conjux fuit, nomen. A duobus vero criminibus, quorum inter alia accuſari conſuevit, abſolvere eam Auctor nititur. Primum enim negat, Fredegundis privignum Meroveum ipſius ſecretis juſſis trucidatum fuiſſe, ut quidem ab aliis proditum fuerat. Altum enim de eo facinore apud antiquiſſimos Scriptores eſſe ſilentium, etiam eos, p. 287. qui alioquin in Fredegundem ſatis iniquos ſe exhibuerint. Alterum crimen tanto majore ſtudio amoliri ab ea nititur, quanto confidentius tantum non ab omnibus recentioribus rea illius peragitur. Secretos illi amores, ut breviſſimis rem omnem prolixius a Joanne de Buſſieres aliisque expoſitam complectamur, narrant cum Landrico, Magiſtro Palatii, interceſſiſſe: quos cum improviſo caſu Regi marito innotuiſſe noſſet, veritam ne vindictam ille atrocem pararet, maluiſſe eam prævertere, & Chilpericum ex venatione reducem confodi per ſicarios curaſſe. Aſt nihil tale a Gregorio Turonenſi literis proditum Auctor regerit, qui, cum cætera Fredegundis facinora acerbe ſatis perſtrinxerit, infandum hoc ſcelus diſſimulaturus nequaquam fuiſſet. Neque ullum uſpiam Landricum a Gregorio memorari, qui Aulam tamen univerſam habuerit apprime cognitam, aliorumque alicujus dignitatis Aulicorum mentionem ſubinde faciat. Fredegarium contra, antiquiſſimum, poſt Gregorium, inter Scriptores rerum Francicarum, diſerte tradere, Chilpericum a Falcone quodam inſtinctu Brunechildis, quæ Sigeberti Auſtraſiæ Regis conjux fuerat, æque ac Fredegundis famoſa, trucidatum. Primum, qui Fredegundem tanti ſceleris inſimularit, anonymum *Geſtorum Francorum Auctorem* fuiſſe, qui centum & triginta annis poſt, ſine teſte, talia ex incertis rumori-

moribus hauſta tradiderit, ſcriptor incognitus, dubiæ fidei, & in cujus toto opere non niſi confuſio regnet, fabulis etiam aliis repleto. Tacemus brevitatis ſtudio alia, quæ a Noſtro pro innocentia Fredegundis adducuntur.

Idem vero & Brunechildis agere videtur patronum, quam expertem graviſſimorum criminum fuiſſe non affirmat quidem, aſt tam atrox ſupplicium meruiſſe, quo affectam eam vulgo traditur (accuſatore nempe Clotario II Rege, Franciæ Proceribus judicibus, equi indomiti caudæ alligatam, inque partes diſcerptam, ac reliquias mutilati cadaveris igne exuſtas fuiſſe) adeo negat, ut vix credi poſſe exiſtimet, Reginam tanta olim veneratione cultam, tam miſerando mortis genere periiſſe; aut certe, ſi vera ſint, quæ omnium conſenſu traduntur, Clotario II valde indignetur. Nec enim Reginam, quam ſummis laudibus Gregorius Turonenſis paſſim proſequatur, præſumi poſſe Furiam fuiſſe, qualem quidem Hiſtorici etiam illorum temporum, forte ut Clotario II blandirentur, exercitæque ab eo crudelitatis invidiam emollirent, deſcripſerunt. p. 387.

Inter alias Dagoberti uxores Nanthildis quoque fuit, quam ex monaſterio in thronum a Dagoberto adſcitam, & quidem ſuaſu Aulicorum, vulgo tradunt. Erroris fontem Auctor aperit. Sic enim hactenus in excuſis Fredegariani Chronici codicibus lectum fuit: *cum conſilio Francorum Nanthildem unam ex puellis de monaſterio in matrimonium accipiens, Reginam ſublimavit.* Aſt non de *monaſterio*, ſed *de miniſterio*, nempe Reginæ, quam Dagobertus repudiaverat, legendum erat. Quis enim crediderit, Proceres Regi auctores fuiſſe, ut Virginem ſacram ſeu monialem duceret? In codicibus etiam manuſcriptis non paucis *de miniſterio* legi, Noſter teſtatur. Quin Theodericus Ruinart, in noviſſima Gregorii Turonenſis & Fredegarii editione, quam in Actis anni ſuperioris p. 437 indicavimus, aſſeverat, neminem hactenus codicem manuſcriptum vidiſſe, ubi non legeretur *de miniſterio*: unde & is genuinam hanc lectionem reſtituit. Tom. II. p. 7.

Carolum Martellum Pipini majoris ex pellice Alpheida filium ſpurium fuiſſe, plerique literis prodidere. Vindicat legitimos ejus natales Noſter, teſtimonio imprimis Auctoris Geſtorum Francorum ſuffultus, qui expreſſe Alpheidam Pipini uxorem appellet; etſi non in- p. 91.

inficietur, Alpheidam, pro licentia divortiorum illo ævo, a Pipino ductam fuiſſe, prima ejus conjuge adhuc ſuperſtite.

p. 154. Veterum æque ac recentiorum quidam narrant, Epiſcopos Principesque Franciæ, cum conſtituiſſent Pipino Caroli Martelli filio regnum deferre, legatos antea miſiſſe Romam, Burckardum Epiſcopum Herbipolitanum & Fulradum Abbatem cœnobii S. Dionyſii, qui Zachariæ Pontificis ea de re ſententiam exquirerent: cum is inſtitutum probaſſet, tum vero Pipinum Regem publice renuntiatum, Childerico III in monaſterium detruſo, & a S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino ſolenni ceremonia inunctum coronatumque fuiſſe. Auctori noſtro veriſimile non eſt, interceſſiſſe aliquam hic Zachariæ auctoritatem, & de unctione etiã illa a S. Bonifacio peracta dubitari poſſe docet. Certe Willibaldum, S. Bonifacii diſcipulum, in Vita Bonifacii nullam ejus rei mentionem feciſſe ait, qui tamen tam illuſtre tantique momenti factum, ſi verum eſſet, minime prætermiſſurus fuiſſet ſilentio. De ſplendida item illa ad Zachariam legatione altum eſſe & in ipſius Zachariæ ad Pipinum & Bonifacium epiſtolis, & apud Anaſtaſium Bibliothecarium, nihil eorum, quæ ad Pontificum Romanorum gloriam quocunque modo ſpectant, omittere ſolitum, in Vita Zachariæ ſilentium. Quin a Stephano III Pontifice demum, cum is in Gallia eſſet, Pipinum a juramento fidelitatis, quod Childerico Regi olim præſtiterat, abſolutum fuiſſe: id quod fuiſſet ſupervacaneum, ſiquidem Zachariæ jam auſpiciis regnum capeſſiviſſet. Pertinere ergo hanc narrationem ad vagos illos rumores, quales poſt rem jam confectam, ad diminuendam illius injuſtitiam, ſpargi in vulgus conſueverunt.

p. 236. Carolum Magnum, Pipini filium & in regno ſucceſſorem, poſtquam Ticinum expugnaſſet, Romam denuo veniſſe, & ab Adriano Papa, in conſeſſu centum & quinquaginta Epiſcoporum, titulum Patricii, jus eligendi Papam, & poteſtatem inveſtituræ Epiſcopis conferendæ impetraſſe, confidenter recentiorum plerique memorant. Aſt monet Auctor noſter, neminem coævorum itineris illus meminiſſe: titulum Patricii jam antea Pipino ejusque filiis, & ſpeciatim Carolo Magno ante Ticini obſidionem, fuiſſe tributum: nomen inveſtituræ tribus poſt ſeculis demum uſu receptum: tantum vero abeſſe, ut jus nominandi Papam Carolus ejusve filii affectarint, ut publicis potius conſtitutionibus prohibuerint, ne quisquam quocunque prætextu Clerum Popu-

Populumque Romanum in electione Pontificum turbaret; tametſi electionem confirmandi, aut pro re nata infirmandi facultatem obtinuerint. Sed hæc ſpeciminis loco ſuffecerint.

NUMISMATA IMPERATORUM, AUGUSTARUM ET CÆSArum, a Populis Romanæ ditionis Græce loquentibus ex omni modulo percuſſa: quibus Urbium nomina, dignitates &c. conſignantur. Per JOAN. *VAILLANT Bellovacum, Doctorem Medicum & Sereniſſimi Ducis Cenomanenſium Antiquarium.*

Amſtelædami, apud G. Gallet, præfectum typographiæ Huguetanorum, 1700. in fol.

Conſtant alphab. 4. plag. 3. & figurarum æncarum, præter eas, quæ textui inſertæ ſunt, plagulis $8\frac{1}{2}$.

PRodiit hoc Vaillantii opus jam A. 1698 Lutetiæ Pariſiorum ex officina Andreæ Cramoiſy, ſed forma minore, & ſine nummorum iconibus. Pari itaque, quo reliqua celeberrimi Viri ſcripta, applauſu & hoc exceptum, a rei nummariæ præcipue cultoribus fuiſſe, vel ex eo palam eſt, quod nondum elapſo poſt primam editionem biennio, altera hæc, quam nunc ſiſtimus, fuerit adornanda. Nimirum fuere bene multi, qui Latina Imperatorum Romanorum numiſmata producere in lucem, atque commentariis ſuis illuſtrare ſuſtinuerunt: qui Græcis parem operam impendere ſeu cuperent, ſeu poſſent, inventi hactenus ſunt pauciſſimi. Propoſitum quidem illud & *Franciſco Mediobarbo Birago* S. R. I. Comiti fuerat, tamque ſerio, ut cum A. 1683 Imperatorum Romanorum numiſmata, ab Adolfo Occone olim congeſta, ſed Imperatorum iconibus ſuisque notis & pluribus additamentis aliis illuſtrata auctaque, Mediolani ederet, aliud volumen Græcos nummos complexurum, ac intra biennii ſpatium abſolvendum, luci publicæ ſe expoſiturum, in Præfatione polliceretur. Nec a tanto tamen tempore id comparuit, ſeu quod Vir cetera doctiſſimus & rei literariæ promovendæ cupidiſſimus, difficultate operis abſterreri ſe paſſus eſt; ſeu quod alia eum negotia diſtraxerunt; ſeu quod mutavit ipſe ſententiam, cum ſimile quid moliri Vaillantium noſſet, illique mallet laborem hunc gloriamque relinquere. Itaque cum Biragiani

illius operis ſpes omnis per Illuſtriſſimi Viri obitum erepta nobis ſit, fruamur Vaillantii induſtria, qui poſtquam quinquaginta jam annis nummariæ rei ſtudium excoluiſſet, ſuamque inſignem ejus peritiam dudum, editis in lucem operibus aliis, erudito Orbi comprobaſſet, tandem & hoc Græcorum nummorum ſyntagma, tam avide tantoque tempore deſideratum, publico omnium uſui expoſuit.

Ac de ipſis quidem numiſmatibus non eſt ut plura dicamus. Primum Pompeji Magni eſt, ultimum Claudii Gotthici. Immenſum vero eorum eſſe numerum, facili conjectura aſſequitur, qui vel leviter in hiſce literis verſatus eſt: etſi obteſtatur Auctor, nullum a ſe productum, quod non ipſe uſurpaverit oculis, manibusque ſuis contrectaverit. Aſt admiranda prorſus Viri induſtria eſt, quam in concinnandis ordine alphabetico Urbium, quarum in nummis Græcis conſervatur memoria, indicibus adhibuit, ut inſignem, quem in Geographia antiqua illuſtranda Græci nummi præſtant, uſum luculento exemplo omnibus oſtenderet. Præmiſſo nempe generali Urbium Populorumque catalogo, ſigillatim dein & ſeparatis indicibus ſiſtuntur provinciarum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΣ, ampliores nempe aut antiquiores urbes, in quibus ad deliberandum de rebus provinciæ, civitates aliæ conveniebant: ΠΡΩΤΑΙ, urbes Primatu inſignes, quæ Imperatorum beneficio Prætores ad jus dicendum in alias urbes mittendi jus obtinebant, aut ad quarum forum provocare ab inferioribus judiciis fas erat: ΙΕΡΑΙ, ſacræ, quibus a Regibus aut Imperatoribus immunitas ab omni periculo ac bello conceſſa erat: ΑΣΥΛΟΙ, aſyli jure gaudentes, unde nemini quemquam per vim abducere licebat: ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ, quibus Romani victores patriis legibus uti permiſerant: ΕΛΕΥΘΕΡΑΙ, a vectigalibus ac tributis quibuscunq; aliis immunes: ΝΑΥΑΡΧΙΔΕΣ, claſſicæ maritimæq; rei, claſſibusq; comparandis aut excipiendis deſtinatæ: ΝΕΩΚΟΡΟΙ, in quibus dicata Diis aut Imperatoribus feſta publica, ludi, ſacrificia, aut certamina ſolennia celebrabantur: deniq; urbes concordia ſeu ΟΜΟΝΟΙΑ junctæ, per quam ſolennibus pactis ſocietatem inter ſe adverſus communes hoſtes, nonnunquam & communionem ſacrorum ſancire conſueverant. Neq; hic ſubſtitit Auctoris noſtri diligentia. Ne quid enim omitteret eorum, quæ ad antiquitates etiam alias illuſtrandas ex Græcis nummis peti poſſunt, in urbium porro epochas, quæ aliis aliæ fuerunt, ſeu ab urbe condita, ſeu a parta liberta-

te,

te, ſeu ab acquiſita autonomia aut immunitate a tributis, ſeu a memorabilibus aliis ductæ, & magnas ſæpe difficultates nummariæ rei ſtudioſis objiciunt, incredibili ſtudio inquirit, novumque adeo & accuratum earum urbium, quæ ſuis uſæ epochis fuere, catalogum, ordine alphabetico ubivis ſervato, contexit, ſingularumque epocham eruit, eaque occaſione nummos perquam multos ex Hiſtoria illuſtrat. Atque hunc catalogum porro excipiunt alii, quibus urbium Numina, Conditores, Viri inſignes, Magiſtratus, Feſta, Ludi, Certamina, Fluvii denique exhibentur. Ex quo, quantam ſibi ex opere adeo diffuſo utilitatem non illi tantum, qui numiſmatum ſtudio operantur, ſed quivis alii antiquitatum quarumcunque cupidi polliceri poſſint, abunde intelligi arbitramur.

Nihil itaque ſupereſt, quam ut vel tribus verbis, quid novæ præſtantiſſimi libri editioni acceſſerit, indicemus. Aucta eſt ſeptingentis nummis: Auguſtorum Auguſtarumque icones ſingulorum nummis præmiſſæ: Vaillantii de notis Græcorum numiſmatum literalibus atque numeralibus explanatio reliquis adjecta: addita denique appendix, nummorum quamplurimorum, quorum ſola deſcriptio in textu reperitur, icones complexa.

JOHANNIS REISKII COMMENTATIO PHYSICA æque ac Hiſtorica de Acidulis Piermontanis,

Francof. & Lipſiæ apud Gottfr. Freitagium, 1700. in 8. plag. 7.

DUplex hujus libelli argumentum eſt, quod pertractare viſum fuit Autori Clariſſimo, (cujus Exercitationes Hiſtoricas de Imaginibus Chriſti, in Actis noſtris A. 1686 p. 461, & Supplementum Chronici Saracenici & Turcici Drechsleri, ut & Exercitationes de Vaticiniis Sibyllinis anno 1688 p. 376 & 137 recenſuimus) alterum Philoſophicum, demonſtrationem Phyſicam acidularum Piermontanarum e principiis naturalibus deducens; alterum Medicum, uſum ſalutarem acidulis vendicans. Præmiſſo igitur de Comitatu Piermontano diſcurſu, allegatisque variorum Autorum circa fontium ſimplicium æque ac acidorum originem opinionibus, propriam exhibet Noſter de aquarum miſtura ſententiam, atque Agricolam & Bauhinum ſecutus

tus, quinque rerum miſcibilium conſtituit claſſes, & primæ terras varias aut terrenæ materiæ glebas, alteri cunctas ſalium ſpecies, tertiæ ſuccos tum liquidos tum concretos alios, quartæ metalla, quintæ lapides & ſaxa inſerit. Hinc omnes aquarum differentias ita digerit, ut acidæ aquæ ad primam, ſalſæ ad alteram, nitroſæ, aluminoſæ, ſulphureæ, ſuccidæque aliæ ad tertiam, metallicæ, quotquot fuerint, ad quartam, lapidoſæ aut λιθοποιητικαὶ ad ultimam revocentur claſſem; quam tamen mixturam duplicem ſupponit, uniformem aliam, quæ uno mineralium aut metallorum genere, alteram multiformem, quæ multis generibus & formis abſolvitur. Num arte vero idem effici poſſit, quod natura per fontem perpetuum præſtat, Kirchero licet annuente, ambigit Noſter, cum diffuſo nimium aut exhalante ſpiritu vix aqua medicata generetur, nec hæc virtutes metallicas & minerales imbibere valeat. Tum ad Piermontanas acidulas revertitur, quas non ſimplices, ſed mixtas, qualitatibus & viribus medicatis imbutas eſſe dicit, atque Georg. Bolmanno, & Andreæ Cunæo, qui de iisdem aquis ſcripta ſua quondam promulgarunt, ſubſcribens, quinque mineralia, diverſa tamen ſub proportione invicem miſta, earum ponit principia, ochram ſcil. ferroſam, vitriolum Martis, nitrum, alumen, & ſal gemmæ; illisque deberi monſtrat, quod aquæ hæ calefaciant & refrigerent, humectent exſiccentque, dilatent reſtringantq;, obſtruant & obſtructiones etiam reſerent, laxent & roborent, alvum aperiant & conſtipent, abſtergant ulcera conſolidentque. Refutata tum Theodori Tabernæmontani, acidulas Spiegelbergenſes ſeu Piermontanas virulentas, noxias & corroſivas, nec interno uſui potuique aptas, in Hydrotheſauri Germanici Parte II cap. 5 pronunciantis ſententia, legitimum earum uſum tam internum quam externum exponit.

LETTRES CHOISIES DE M. SIMON &c.

h. e.

RICH. SIMONII LITTERÆ SELECTÆ, ANECDOTA Litteraria oppido multa complexa.

Amſtelædami apud Ludov. de Lormes, 1700. plag. $10\frac{1}{2}$, in 12.

Opuſ-

Opuſculo iſti commendationis prolixiſſimæ loco eſſe poteſt, quod in ipſo titulo habet Richardi Simonii nomen, a cujus eruditione præclara omnia ſibi non polliceri non poteſt, quisquis Viri ingenium ex aliis ſcriptis perſpectum habuerit. Nec fallet expectationẽ libellus, argumentorum & varietate & raritate,& ea tractandi elegantia,neſcio an utilis magis an jucundus. Prima ſtatim epiſtola de Armandi Richelii, cui non invita forſan partem hodierni ſui ſplendoris minime poſtremam ſe debere Gallia profitetur,agit ſtudiis,quibus Proteſtantes Gallos cum Romana Eccleſia reconciliare aggreſſus eſt,de quibus ſimilia in Ep. V etiam leguntur. Non vi & armis, ſed mitiori via id obtinendum eſſe, Armandum exiſtimaſſe ait; colloquium proinde molitum, quo Proteſtantibus reconciliatio iſta perſuaderetur. In partes conſilii admiſiſſe Laurentium quendam apoſtatam, ordinis Oratorii Presbyterum,a quo poſtquam ex ſolis Scripturis revincendam eſſe partem adverſam didiciſſet, ipſi illam curam penitus demandare voluiſſe. Illum tamen onus graviſſimum ſolum ferre nolentem, ſocios ſibi Doctorem Sorbonicum, Jeſuitam, & Presbyterum Oratorii expetiiſſe; aſt renuente Cardinale,verbisque diſertis ad eum ſcribente,Sorbonicos Doctores hæreſibus obſoletis conficiendis eſſe magis idoneos, Jeſuitis uti ſe nolle, Presbyteros vero Oratorii myſtagogos eſſe. Solum itaq; Laurentium digeſſiſſe, quæ opponenda adverſariis exiſtimaret. Hoc facto conſilium initum fuiſſe, ut ipſe Cardinalis cum Proteſtantium Miniſtris diſputaret;ad manum ipſi eſſet Laurentius. Antequam tamen colloquium inſtitueretur, variis artibus demulcere, & *ut victas manus darent*,adducere Miniſtros Proteſtantes,conſultum viſum fuiſſe. Sufficere exiſtimaſſe Laurentium, ſi inducerentur ii,qui ad colloquium eſſent ab Eccleſiis ſuis ablegandi;ſed prævaluiſſe Cardinalis conſilium,qui omnes tentandos eſſe arbitrabatur. Nec rem omni ſucceſſu caruiſſe; pleroſque enim Miniſtros Languedocenſes & Normannos manus dediſſe, quamvis Sedanenſes & aliorum quorundam locorum Miniſtri magno animo emiſſariorum Cardinalis inſidias contempſerint. Longius nihilominus rem provehendam fuiſſe, niſi mors Cardinalis, aut potius providentia divina interveniens humana conſilia irrita feciſſet. Quamvis enim Laurentius a Petro de Marca quoq; adjutus,poſthæc Mazarinum ſæpe, ut a Richelio cœpta perficeret, oraverit, illum tamen, Marcæ imprimis ſemper ſuſpectum haben-

tem zelum, (quem purpuram potius quam religionis incrementa intendere judicabat,) alia negotia, ut de hoc Regem admonere non poſſet, impedire dixiſſe. Ceterum ex iis, quæ Simonius de ſuis cum Laurentio diſputationibus monet, ſatis liquet, viam quam ille cum Cardinale inivit, parum ipſi probatam, qui multa fidei Romanæ capita ex alio quam traditionis principio probari omnino haud poſſe agnoſcit: illam quoque methodum, qua ex obvio maxime verſionis S. Litterarum Calvini ſenſu diſputare Laurentius inſtituit, veritati parum inſervire exiſtimans. In II epiſtola de Morini anecdotis nonnulla habet, quorum præcipua ſunt tractatus de Baptiſmo, de Matrimonio, de Baſilicis, de Paſchalibus, & de Expiatione Catechumenorum, qui poſtremus partem operis de Pœnitentia conſtituens, Cenſorum juſſu, quod contra Confeſſionis ſacramentum nonnulla continere crederetur, fuit ſuppreſſus. Provocaſſe illos hoc ipſo ait acerbiſſimum ejus ſcriptum contra Theologos Pariſienſes, in quo haud dubie egregiam operam ipſi adverſaria ejus præſtiterint, in quæ quicquid Satyrici ſalis, & Archilochii fellis veterum ſcripta habent, digeſſerit. Nec eſt, quod de illa narratione dubitemus, cui fidem ea, quæ contra Taylorum & Bootium ſcripſit Morinus, abunde adſtruunt. Forteque eam confirmaret quoque Satyra contra Presbyteros Oratorii, anno 1653 excuſa, niſi eorum, ad quos iſta pertinebant, cura penitus ſuffocata atque extincta illa fuiſſet. In epiſtola III notatu imprimis dignum, quod occaſione libelli Rigaltiani *de communione Laicorum, ubi Clerici non ſunt*, cujus retractationem Albaſpinæus ſpe purpuræ multum urſiſſe dicitur, Grotium quotidie inter cœnandum pani appoſito benedixiſſe, atq; ſic Euchariſtiam eſſe a ſe præſentibus exhibitam exiſtimaſſe narret: quod item Petavium, a Grotio inductum, Arianis in libris de Trinitate plus æquo quandoque favere, ex ſententia nonnullorum dicat, quamvis ipſe Petavium ſui animi ſenſa potius expoſuiſſe exiſtimet. In IV oſtendit, quanto in Criticæ S. ſtudio Capello Buxtorfioque bonorum codicum & antiquiorum Grammaticorum Hebræorum defectus impedimento fuerit. In V prolixe de libello Gallico, cujus titulus *La Politique du Clergé de France*, diſputat, cujus autorem malæ fidei hominem eſſe evincere conatur; paſſim dum adverſarium confutare cupit videri, ex obliquo Clerum Romanum, imprimis vero Jeſuitas perſtringens, & quod notatu maxime dignum eſt, fucos, quos ſua *doctri-*

næ

na Catholica expoſitione fecit Epiſcopus Meldenſis, Brevi eam approbante Curia Romana, tecte, ſed elegantiſſime falſiſſimeque, dum defenſorem ſe ſimulat, deridens. In Epiſtola VII de Gerſonis libro contra Judæos ſententiam dicens, ut doctum laudat, ſed in quo plus critici acuminis adhibitum cuperet: fabulas enim Talmudicas in opprobrium religionis vertendas non eſſe, ut pote quas Judæi prudentiores (de imperito enim vulgo ſermo non eſt) juxta litteram non accipiant. Eadem occaſione in Caraitarum Cabbaliſtarumque mentionem incidit, ex quorum poſterioribus nonnullos in iſta ſententia eſſe obſervat, quod nulli dentur Angeli lapſi, aut quod Angeli mali nil aliud ſint quã illi, quibus Deus ad inferenda hominibus mala utatur; quod ex hiſtoria Jobi imprimis probare nitantur. In VIII & IX Epiſtola de variis Græcis pariter ac Latinis operum D. Chryſoſtomi agit editionibus; ubi imprimis notari meretur, quod Anianum Pelagii partes eſſe ſecutum, nec priores VIII tantum in Matthæum homilias, ſed plures eum vertiſſe, fide manuſcripti Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis tradat. In X varias operum Origenis editiones recenſet, in XI vero Genevenſes contra Genebrardi, Grotii & Voſſii accuſationem defendit, qui mala fide ab ipſis editionem commentariorum Buceri in N.T. adornatam fuiſſe, erant conqueſti. Epiſtola XII cauſam ediſſerit, ob quam Jo. Feri in Joannem commentarii Romanis quibusdam doctoribus, inter quos Dominicus Soto præcipuus fuit, adeo redditi ſint ſuſpecti, ut Michaeli de Medina apologia quoque pro Fero ſcribenda fuerit. Nimirũ, quod ipſe fatetur Ferus in præfatione editioni Moguntiæ A. 1559 procuſæ præmiſſa, purum putum in iſto opere egit compilatorem, qui Reformatorum non minus, Brentii imprimis atque Oecolampadii, quam ſuæ Eccleſiæ Doctorum ſcrinia compilavit. Epiſtola XIII rariſſimum Richardi Radulphi, Archiepiſcopi Armachani librum, qui inſcribitur *Summa in quæſtionibus Armenorum*, Pariſiis A. 1511 editum recenſet, qui Proteſtantibꝰ eo maxime præluſiſſe videtur, quod unicam Scripturæ normam in capitibus fidei controverſis decidendis ſequendã eſſe exiſtimaret. Epiſtola XIV de Sadoleti epiſtolis ad Calvinum & Sturmium diſſerit, in quibus Apoſtoli perſona ſe ornans reconciliare eos Romanæ Eccleſiæ nititur. Ea occaſione etiam cauſam edit, cur Sadoletus non minus quam reliqui, qui ejus ætate in Italia florebant, viri docti, Patrum Græcorum doctrinam, de gratia imprimis & libero

libero arbitrio, reſtaurare conati fuerint; quam eam eſſe dicit, quod Proteſtantes Auguſtini nomine in ſuas partes tracto, alias autoritates circumſpicere eos coegerint. Maldonati omnino eſſe diſputationes de Sacramentis, quod in Scriptorum ſuorum catalogis negant Jeſuitæ αὐτογράφῳ Yvelini cujusdam, qui ex ore Maldonati, in Collegio Pariſienſi diſputationes illas dictantis, eas exceperat, quodq; in manibus ſuis eſſe ait, evincit Ep. XV. Eadem de aliis quoque Maldonati ſcriptis ſermonem inſtituit, imprimis vero ineditum ejus tractatum de Trinitate commendat. Opuſculorum ejus Pariſiis non ita pridem una editorum diu intermiſſam fuiſſe dicit impreſſionem, approbatorum defectu, penitus forſan intermittendam, niſi Archiepiſcopus Rhemenſis ſuam apud parentem ſuum, qui Franciæ tum erat Cancellarius, autoritatem interpoſuiſſet. Præfationis præmiſſæ autorem eſſe *Dubois*, qui nomen ſuum prodere ob Doctorum Pariſienſium in Maldonatum odium haud fuerit auſus. Acta diſputationis de conceptione B. Virginis cum Theologis Pariſienſibus ſe legiſſe ait, victoriamque haud dubiam Maldonati fuiſſe, quem tamen iſtud bellum adverſariorum iræ cedentem, Burgos concedere adegerit. In XVI Epiſtola librum de tribus Impoſtoribus nuſpiam proſtare, ſed figmentum eſſe, quo homines quosdam exoſos reddere conati fuerint eorum adverſarii, docet. Hujusmodi fictitios libros optimos quoque catalogos paſſim exhibere, ſolumque Poſſevini Apparatum plusquam quingentos inanes titulos continere monet. In Epiſtola XVII de famoſiſſimo libro, qui inſcribitur *Ingenium Arnaldi*, agit, ejusque non tam autorem quam cenſorem & correctorem P. J. eſſe indicat, facto quoque quorundam mendaciorum illius libri indicio. De Oleaſtri in Pentateuchum commentariis Ep. XVIII quædam obſervat, atque hoc imprimis, quod non Ulyſſiponenſis tantum anni 1556, ſed Antverpienſis quoque editio anni 1569, Inquiſitorum Hiſpanorum manus effugerit; quodq; in Lugdunenſi etiam anni 1589, licet id ſimulet titulus, immutatum nihil, niſi quod locus ſatis prolixus in Præfatione deletus fuerit. Epiſtola XIX & XX de opere Thomaſſini de Conciliis, impreſſo quidem, ſed autoritate publica mox ſuppreſſo, nonnulla refert. Occaſionem nimirum ejus fuiſſe Patrum Congregationis Oratorii ſtudium Curiæ Romanæ ſeſe probandi: apud eam enim ſuſpectos variarum novitatum redditos, coram Nuntio Apoſtolico ſe excuſantes,

tes,nullum aliud reſponſum tuliſſe,quam verbis non opus eſſe,ſed re; teſtari itaque Patres debere, ſi ſerio rem agant,ſuam adverſus Romanam Curiam reverentiam publico aliquo ſcripto. Id igitur mandati Thomaſſino dediſſe Superiores, ut notas in Concilia ederet, quæ eſſent ad Curiæ Romanæ palatum, cumque impatientes moræ eſſent,voluiſſe, ut eos ſaltem canones,qui ad Papæ poteſtatem pertinerent,ante alios ſumeret illuſtrandos.Hoc igitur opus ab eo confectum fuiſſe, quod Gallis ſeſe probare non potuit, Eccleſiæ ſuæ libertati ſumma cum cura invigilantibus,ab iisque adeo ſuppreſſum fuit. Quamvis ne Romanæ quidem Curiæ per omnia placere librum Simonius poſſe exiſtimet, qui de quæſtionibus juris & facti aliisque ſimilibus a Romanenſium placitis paſſim diſſentiat. At licet publica autoritate liber iſte ſuppreſſus, & in ædibus Patrum Congregationis Oratorii æternæ captivitati addictus fuerit, carceris tamen claves nactus P. Bordeſius,Thomaſſini diſcipulus,bibliopolis exemplarium copiam fecit, connivente,ut quidam ſuſpicabantur,Pariſienſi Archiepiſcopo, quod purpuræ inhiaret: coram quo tamen cauſa Patribus Oratorii dicenda fuit; quod ſi ſufficit liberando a ſuſpicione iſta Archiepiſcopo,præclare egiſſe cauſam ejus Simonium,qui hoc fideliter refert,negari non poterit. Epiſtola XXI de Gulielmo Poſtello, maxime ex Apologia ejus, quæ MS. extat in bibliotheca Regia nonnulla refert. Inquiſitionem Venetam eum amentem eſſe judicaſſe: perſuaſum ipſi fuiſſe,naturalem ſuam rationem longiſſime ſuperare omnium reliquorum mortalium, etiam Apoſtolorum,qui homines ſimplices fuerint & indocti, ſapientiam, & hanc fore inſigne convertendarum gentium inſtrumentum: hunc ſcopum ut obtineret,ordinem Equitum Chriſti eum eſſe meditatum; Jeſuitam etiam propterea factum eſſe: & utut magna ejus fuerit de propria ſua ratione naturali opinio, ea tamen ſe ſuperari a moniali Veronenſi,Venetiis oriunda,de qua mirabilia jactet in libro *de Virgine Veneta*, ipſi perſuaſum fuiſſe: falſo tamen nonnullos ei tribuere, quod redemtionem ſexus ſequioris ab ea expectandam eſſe ſomniaverit, ad quem ſcilicet Chriſti redemtio neutiquam pertineat. Philoſophiam ejus fuiſſe Ariſtotelico-Averroiſticam,Platonicis & Cabbaliſticis interpolatam doctrinis: infra Trinitatem eum ſtatuiſſe Intelligentiam, quæ omnes ſive humanas ſive angelicas intelligentias contineat,quæ ſit Trinitatis prima emanatio, & præcipue ſe-

Digitized by Google

cundæ Trinitatis perſonæ, utpote paſſibili, unita fuerit: ut alia mentis parum ſanæ deliramenta, quæ hominem iſtum propalaſſe docet, taceamus. Interea tamen ejus etiam in rempublicam litterariam merita, inter quæ navata in codicibus manuſcriptis ex Oriente advehendis opera eminet, ſilentio non prætermiſit. Epiſtola XX de Plutarchi interpretibus nonnullis, maxime de Amioto agit, quem ex ipſis Græci fontibus, & quidem critico uſum naſo, quicquid contra calumnientur nonnulli, verſionem ſuam adornaſſe, & textum Græcum paſſim ſive ex manuſcriptis codicibus, ſive ex ingenio reſtituiſſe, patere ait ex eo, quo uſus ſit, exemplari, in bibliotheca Patrum Congregationis Oratorii aſſervato. Ea occaſione etiam eorum, quæ egregius criticus Meziriacus in Plutarchum commentatus eſt, meminit, dignorum ſane quæ lucem adſpiciant, licet minimam operum ejus partem illuſtrent. Merentur etiam obſervari regulæ quædam ad judicium de codicibus Græcis manu exaratis ferendum pertinentes, quas ſub finem hujus epiſtolæ ſuppeditat. In ætate nempe eorum diſcernenda, eo ſæpe falli viros doctos obſervat, quod cum litteris uncialibus confundant eas, quibus Copti manuſcripta ſua exarare ſolent. Codices ex Oriente allatos majori eſſe in pretio habendos, quam illos, qui ex Calabria advehuntur, ut pote quos Monachi Græci, Curiæ Romanæ autoritatem ſuſpicientes, paſſim corruperint. Copticos quoq; codices minus eſſe quam cæteros accuratos; qua ipſa obſervatione imminui celeberrimi codicis Alexandrini, qui in Anglia eſt, pretium exiſtimat, cujus ſumma ſit antiquitas, ſed natales Ægyptii. Epiſtola XXIII verſionis Italicæ librorum V. T. a Leone Mutinenſi confectæ, ſed ab Inquiſitionis tribunali ſuppreſſæ, mentionem facit; Lexici item Ebraici ejusdem autoris, Venetiis anno 1612 in 4 editi, quo difficillima quævis antiqui Fœderis loca puriſſima lingua Hetruſca interpretatus Leo, obtinere conatus fuerit, quod integra verſione conſequi prohibebatur. Quantivis pretii librum Lexicon iſtud eſſe, ex methodo qua uſum in eo eſſe Judæum Simonius oſtendit, patet, quem proinde ad plurium manus perveniſſe optaremus. Franciſci Vavaſſoris in Jobum commentarium indignum eſſe Viri in humanioribus litteris verſatiſſimi fama, erroribus quippe refertiſſimum, linguæ Ebraicæ ignorantiam ubique ſpirantem, Epiſtola XXIV prodit. Iſta occaſione, quod a Vavaſſore ſe accepiſſe ait, commemorat,

in

in Maldonati ad IV Evangelia commentariis præcipua, quæ ad criticam ſpectabant, deleta fuiſſe a Jeſuitis, qui editioni hujus operis præfuerunt. Quod tanto magis dolendum, quod Græci bibliothecæ Vaticanæ codices diligenter ab eo fuerint collati, Romæ, ut Græcæ LXX Interpretum Bibliorum translationi operam navaret, eo tempore, quo in Evangelia commentabatur, commorante. Epiſtola XXV de Breviario Romano ſub nomine Cardinalis Quignoni in lucem edito nonnulla habet, contra quod concinnatā a Theologis Pariſienſibus A. 1535, ob fabulas nonnullas aliasq; ſuperſtitiones omiſſas, cenſuram una cum cauſis ejus ſatis prolixe recenſet. Simul tamen obſervat, & Facultatem Theol. Pariſ. A. 1552 librum publice approbaſſe, & ſupereſſe adhuc in eo fabulas ineptas, quæ prudentioribus lectoribus non diſplicere non posſint: quæ cauſa etiam fuerit, quod Maldonatus, de immaculata B. Virginis conceptione cum Theologis Pariſinis diſputans, parum de eo ſenſerit honorifice: quo imprimis tempore, h. e. A. 1574, Theologi illi ſtrenue hujus Breviarii, quod a Facultate eorum A. 1535 fuerat damnatum, cauſam contra Maldonatum egerint. Scripſit Simonius hanc epiſtolam ad Puritanorum Anglicorum nonneminem, quibus parum curæ Liturgias & Breviaria eſſe queritur, ipſisque merito hoc exprobratum eſſe a Salmaſio ait, qui Peyrerio, ipſi objicienti quod multos Romanæ Eccleſiæ ritus in ſuo de tranſubſtantiatione libro ſtabiliverit, reſponderit: *Noſtri reſecuerunt religionem usque ad vivum.* Anglicam epiſtolarum Morini editionem, ut valde corruptam, imo & integris quibusdam epiſtolis, data opera ſuppreſſis, mutilam taxat Ep. XXVI, atque proinde Juſtellum, qui tum in vivis adhuc erat, rogaſſe ſe memorat, ut operam daret impetrandis a Max. Ven. Stillingfleeto, a quo aſſervabantur, ἀυτογράφοις. Inter epiſtolas ſuppreſſas habetur una, in qua Morinus Concilium Tridentinum in Gallia quoad doctrinam receptum fuiſſe ait; quod quatenus veritati ſit conſentiens, nec ne, oſtendit Simonius, non obſcure docens, publica autoritate nunquam id, ſive quoad doctrinam, ſive quoad diſciplinam, receptum fuiſſe. Fatetur tamen, dogmata ipſa, quæ in Concilio ſtabilita ſunt, in Gallia probari, non ex autoritate Concilii, ſed quod recepta jam per totum Regnum fuiſſent, antequam Patres Tridenti congregarentur. Id quod ideo monere ſe ait, ne Proteſtantes de eo, quod Tridentinum Concilium in Gallia receptum non ſit,

adverſus Romanam Eccleſiam gloriandi cauſam ſe habere arbitrentur. Epiſtola XXVII de rariſſimo libro, cujus titulus, *Optatus Gallus de cavendo Schiſmate*, multa vulgo parum cognita docet. Autorem ejus eſſe Carolum Herſan, Pariſienſem, Monachorum infenſiſſimum hoſtem, quos convitiis paſſim pro concione laceſſens effecerit, ut excedere ædibus ſuis Patres Congregationis Oratorii, inter quos agebat, eum juſſerint. Quatuor extare ad librum hunc reſponſiones, Cardinalis Richelii juſſu confectas omnes, non quod tanti eſſet liber iſte, ſed quod Cardinalis exiſtimaret, re quantum fieri poſſet exaggerata, Romanam Curiam, quam ipſius ſibi opus ſit favore atque ope, rectius agnituram. Inter illas maxime Curiam Romanam territam fuiſſe ea, cujus autor erat Jeſuita *Rabardeau*, qui omnia Gallorum facta ex Optati Galli ſententia ad ſchiſma tendentia defendebat, Patriarcham quoque, non expectato Pontificis R. conſenſu, in Gallia poſſe conſtitui exiſtimans. Improbaſſe hoc duabus, quæ publice proſtent, ad Cardinalem Barberinum litteris Morinum, multaque in Jeſuitarum & Rabardelli odium congeſſiſſe: verum quod non ita ex animo ſenſerit, patere ex iis, quæ privatim ad P. Tierſaltum, a quo ea de re conſultus fuerat, ſcripſerit, & quæ cum conſultatione ipſa aliisque quibusdam Morini ſchedis P. Amelotus aſſervet. Ep. XXVIII ingenioſe pudenda Theologorum Pariſienſium, & præcipitem cenſuram revelat. Ad Proteſtantium enim nonneminem ſe ſcribere ſimulans, male ex eo, quod iisdem Miſſæ ceremoniis cum Romana priſcæ Eccleſiæ uſæ non fuerint, nos argumentari ait, quod non adoratum olim fuerit in S. Euchariſtia corpus Chriſti. Eadem enim ratione concludi quoque poſſe, Canonicos Lugdunenſes, qui nunquam ad elevationem hoſtiæ utrumque genu usque ad terram flectunt, illud non adorare: cum tamen Regii Senatus auctoritate, Cardinale Lotharingo & Turnonio cauſæ patronis, hunc morem ſuum tuiti fuerint, licet Theologi Pariſienſes cenſura eum condemnasſent, qui eodem Senatus Regii judicio, ut cenſuram ſuam abolerent, fuerint juſſi. Epiſtola XXIX prolixam controverſiarum Reuchlino ob librum, quem *Speculum oculare* inſcripſit, motarum hiſtoriam complectitur, Facultatisque Pariſienſis de eo cenſuram verbotenus exhibet, quam multis rationibus adductis improbat, aliaque temerariarum iſtius Facultatis cenſurarum exempla ex Actis ejus commemorat. Ep.

XXX

XXX duo libri laudantur, quos reconciliandis Proteſtantibus cum Eccleſia Romana cumprimis putat eſſe idoneos. Prior Rothomagi prodiit A. 1648, autore Epiſcopo Bellicenſi, inſcriptus *L' Avoiſinement des Proteſtans à l' Egliſe Romaine.* Alter eſt Jeſuitæ Veroni, qui ſub titulo, *Regle generale de la Foy Catholique &c.* anno 1645 lucem adſpexit. Epiſtola XXXI exponit, quanta acerbitate Launoyus Auguſtini de gratia doctrinam impugnaverit, in opuſculo inedito ſeu Diſſertatione *de Prædeſtinatione & Gratia*, cujus præfatio integra huic epiſtolæ inſerta legitur; defectus vero nonnulli, qualis eſt, quod inter teſtes contra Auguſtinum ex primo ſeculo Dionyſium & Pſeudo-Clementem adducat, in ſequentibus annotantur. Epiſtola XXXII taxat Pariſienſes operum D. Hieronymi editores, quos in Prodromo operum illorum multifariam peccaſſe arguit. Primo in eo, quod Eraſmum & Marianum Victorium ſolos accuſent, ob eas, quæ Patris iſtius ſcripta occuparunt, corruptelas. Ipſe earum origines altius repetendas eſſe docet. Fateri enim eum, qui editioni Epiſtolarum Hieronymi Romanæ, anno 1468 autoritate Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis adornatæ, præfuit, in præfatione operi præmiſſa, *ſe mendas ſuſtuliſſe, ſi qua vertenda eſſent effeciſſe Latina, nimis obſoleta ad uſum noſtrumque ſermonem redegiſſe.* Præterea ipſum Epiſcopum in præfatione ſecundi voluminis ad Paulum II Papam non diſſimulare, *quod miſſa Hebraica fecerit, recogitans in ſuo quemque volumine illa eſſe, ſi licuerit & voluerit, ſuppleturum; Græca ſi qua occurrebant, Theodoro Gaza in auxilium vocato ſe Latina feciſſe;* ut alia, quibus iſta editio deformata potius quam ornata fuit, taceamus. Sed ut ad Pariſienſes editores redeamus, illos in Prodromo ſuo male Eraſmum accuſare arguit, ob Græcas lectiones, quæ tamen vel ex editionibus prioribus deſumtæ, vel a Conone ei ſuppeditatæ ſint: male item Capnionem & Cononem confundere, quaſi uterque Ebræas, quæ occurrunt apud Hieronymum, voces ad Maſoreticorum codicum fidem reformaverit, cum tamen Conon, religione Dominicanus, in Græcis tantum vocibus corrigendis occupatus fuerit: male denique pro veris corruptas lectiones ſubſtituere. Hujus rei exemplum affert, quod in epiſtola Hieronymi ad Principiam vocem ἔσωθεν, in loco Pſalmi 44, 14 ibi allegato, mutent in ἔξωθεν, reclamantibus non tantum omnibus Hieronymi, ſed & Græcæ LXX Interpretum verſionis editionibus, Baſilio item, Chryſo-

ſtomo, aliisque ex Græcis Patribus. Nec eſſe, cur tropologiam Hieronymi cum voce ἔσωθεν conſiſtere non poſſe dicant; aliter enim perſuaſum iri eis, qui ipſum locum conſuluerint. Idem argumentum eſt Epiſtolæ XXXIII, in qua editores iſtos reprehendit, quod epiſtolam Ephemeridibus Gallicis inſeri voluerint, qua doceant, Hieronymum Ebraica Latinis expreſſiſſe litteris, cum dudum id Druſio, Riberæ, Frontoni Ducæo, aliisq; fuerit obſervatum, editoribus Hieronymi indignatis, quod Hebraicas litteras cum punctis vocalibus pro Latinis ſubſtituerint. Reprehendit item, quod, ut id ipſum probarent, male explicaverint locum Hieronymi in ep. 145, ubi per *Latinum* non, quod illi volunt, Hebraica litteris latinis expreſſa, ſed verſionem Latinam intelligi, contextus manifeſtum reddat: tacemus reliqua, quæ reprehenſione digna ipſi viſa fuere. Deniq; Ep. XXXIV Antonii Agellii Epiſcopi Acerrani commentarium in Pſalmos in Critica V. T. prætermiſſum recenſet, eumque præcipue ob collatos aſſidue codices Bibliorum Græcos commendat. Elogium Autoris in Petri Morini epiſtolis haberi dicit, quas hac occaſione laudat, earumque autorem, cujus alia quædam in Rempublicam litterariam merita quoque commemorat, Scholia Græca editionis Bibliorum Sixtinæ compilaſſe teſtatur.

Der Neu-eröfneten Ottomanniſchen Pforten Fortſetzung.

i. e.

PORTÆ OTTOMANNICÆ RECENS APERTÆ Continuatio.

Auguſtæ Vindelicorum, apud Laur. Kronigerum & Gotl. Gôbelii Hæredes, 1700. fol. Alph. 11. plag. 8.

POrtæ Ottomannicæ recens apertæ Tomus primus, quem in Actis hiſce A. 1694, p. 185 ſq. recenſuimus, eo applauſu exceptus per Germaniam univerſam fuit, ut maxima exemplarium parte dudum diſtracta, cauſam Editores habuerint, continuationem illius ſeu Tomum ſecundum maturandi. Is vero, pace tandem inter Turcas & confœderatos eorum hoſtes ſancita, in lucem prodiit, tantoque majore cum voluptate a Chriſtianis omnibus perluſtrabitur, quod belli inprimis nuperrimi, quo de feroci Turcarum barbaraque gente multoties Chriſti-

Chriſtiani Principes Statusque triumpharunt, ſeu cæſis hoſtilibus exercitibus, ſeu munitiſſimis urbibus, imo regnis integris & provinciis in poteſtatem redactis, Hiſtoriam complectitur. Itaque uti ex primo operis elegantiſſimi tomo cognoſci luculente poteſt, quæ primæ fuerint Imperii Ottomannici origines, & quibus velut gradibus illud ad tantum faſtigium, in quo ante nuperum bellum erat conſtitutum, ſenſim fuerit evectum: ita in altero hoc tomo uberrime expoſitum videas, quantum decrementum Porta, quam vocant, Ottomannica ſub quatuor noviſſimis Imperatoribus, Mahomete IV, Solymanno III, Achmete II, & qui hodie rerum potitur, Muſtapha II fuerit paſſa. Equidem cum Hiſtoriæ in eo conditæ Auctor ab anno 1664 initium duxerit, non potuit non ſimul in eo ediſſerere, ut Mahometes IV bello adverſus Cæſarem in Hungaria hactenus geſto defunctus iſto anno feliciter fuerit; ut converſis in Venetos armis, Candiam denique A. 1669, poſt diuturnam cruentamq; obſidionem, ad deditionem adegerit, pace ſimul cum Seren. Republica ſancita; ut A. 1672 Caminecium eripuerit Polonis: ſed hanc felicitatem, qua erga hoſtes ſingulos uſi Turcæ fuerant, corrupit vehementer ſecutorum temporum calamitas, poſtquam Vienna temere ac infeliciter obſeſſa, non cum Cæſare tantum Auguſtiſſimo, ſed & cum Polonis, Moſcis, Venetisq;, funeſtum atroxque bellum Barbari contraxiſſent. Cujus damnoſiſſimum Turcis progreſſum exitumque probroſum cum tomi hujus ſecundi pars longe maxima complectatur, quotusquisque Chriſtianorum futurus eſt, qui non cum gaudio, & *Divini Numinis*, cui merito tanta rerum converſio accepta fertur, celebratione lecturus in eo ſit Viennam, a cujus ſalute Germaniæ Italiæque ſalus pendebat, obſidione feliciter liberatam, Barbaroſque de ſpe Europæ devorandæ, quam inflatis animis conceperant, tam facili negotio depulſos; translatam inde in Hungariam, qua Turcis parebat, belli ſedem, ipſamque ejus metropolin Budam A. 1686, in conſpectu validiſſimi Turcarum exercitus, ſtrenua aggreſſione expugnatam: urbes Hungariæ munitiſſimas alias, quarum occupatio olim innumerorum hominum ſanguine Turcis ſteterat, Agriam A. 1687, Albam Regalem A. 1688, Sigethum A. 1689, Caniſiam A. 1690, Varadinum Tranſylvaniæ A 1692, ſine cæde prope ac ſanguinis diſpendio, lentis obſidionibus fameque ad deditionem compulſas: occupatam Slavoniæ etiam partem maximam, & trajecto Savo

Serviæ

Serviæ metropolim ipſam Albam Græcam vi expugnatam, latiusque per eam ditionem ad Scopiam usque promota victricia Cæſaris arma, Conſtantinopolin usque progreſſura, niſi erumpente præter expectationem novo ad Rhenum bello, Auguſtiſſimi Cæſaris vires diſtractæ fuiſſent, Turcisque colligendi ſe & partem amiſſorum recuperandi ſpatium procuratum: tot porro victorias, quando collatis ſignis dimicatum eſt, ab hoſte vinci olim neſcio reportatas, inprimis quas A. 1687 ad Mohazium Dux Lotharingiæ ac Elector Bavarus, ad Salankementum in Slavonia A. 1691 Ludovicus Badenſis Marchio, & A. 1697 ad Zentam prope Tibiſcum Eugenius Sabaudiæ Princeps, Turcis prope jam victoribus præſentiſſimo Numinis auxilio extorſerunt, omni ævo memorandas: pacem denique cum Turcis ſancitam, eaque firmatam Cæſari tot urbium ac munimentorum poſſeſſionem, quibus olim occupandis duo ſecula Turcis fuerant impendenda? Neque minus admirandi & cum voluptate legendi Venetorum adverſus communem hoſtem progreſſus, quorum ſummam complexi jam ſumus, cum in Actis A. 1699 p. 97 ſeq. Franciſci Mauroceni Peloponneſiaci, Venetiarum Principis, geſta a Jo. Gratiano deſcripta recenſeremus, hoc loco non repetendam. Univerſam Peloponneſum a Sereniſſima Republica bello acquiſitam, quamque olim Candia amiſſa jacturam paſſa erat, abunde compenſatam, nemo ignorat. Polonis denique Caminecium, Moſcis Tanaim (Aſoph) Barbarorum manibus extorta quis non æquo animo gratuletur?

Itaque jam ſatis ab ipſo argumento, circa quod occupatur, commendatum præſens opus arbitramur. Nam ut ad ſpecialiora descendamus, inſtituti noſtri ratio non patitur, nec quisquam forte a nobis poſtulabit. Eſt tamen & aliud, quod lectionem libri non poteſt non jucundam reddere, omneque abſtergere tædium: icones nempe frequentisſimæ, & tantum non innumeræ, æri artificioſe incisæ, contextuique hiſtoriæ pasſim inſertæ, & nunc virorum illuſtrium, quorum mentio incidit, effigies, nunc urbium ſcenographiam, nunc præliorum aut aliorum quorumcunque memorabilium delineationem exhibentes.

Denique nec id prætereundum, ſubjectam eſſe operi Appendicem, eamque tripartitam. Primo enim loco Eccleſiarum Græcarum & Armenicarum ſub jugo Turcico gementium præſens ſtatus ex

Ri-

Ricalto deſcribitur. Dein quæ Dn. De la Croix in Geographia ſua de Maronitarum Eccleſia obſervavit, ex Gallico Germanice verſa exhibentur. Denique de martyrio & conſtantia Græci cujusdam adoleſcentis Nicolai relatio, Gallico edita ſermone, ſed hic in linguam Germanicam itidem translata, ſubnectitur.

ADAMI BALTHASARIS WERNERI, JCTI, SERENISS. DUCIS Saxo-Weiſſenfelſenſis Conſiliarii, ac Pandect. Prof. Publ. in Univerſitate Norico-Altdorffina, Specimen Compendii Juris, ordine Digeſtorum, methodoque Compendii Lauterbachio-Schüziani, neceſſarias Juris divini & humani hodieque obtinentis doctrinas, reſciſſis tamen inutilibus & a foro alienis titulis & legibus, exhibentis &c.

Altdorffi apud Jodocum Wilhelmum Kohles, 1701. in 8. plag. 13.

CUm ea ſit librorum Juris, quo in Germania utimur, conditio, ut morali æſtimatione tironibus impoſſibile videatur, labyrinthum iſtum evadere, niſi fida manuductio viam præmonſtret, ideo provida docentium cura omni tempore in id incubuit, ut ſolidis legum principiis, in juſta compendia vel ſyſtemata redactis, diſcentium animi imbuerentur, quo iſtis ſuffulti adminiculis, prolixa illa variarum legum volumina minori cum tædio ac majori fructu deinceps verſare, ac in culmen propoſitum feliciter eniti poſſent. Inclaruerunt hoc nomine Viri Conſultiſſimi, Weſenbecii, Treutleri, Schotani, Eckolti, Ludwelli, Struvii, Huberi, Schilteri, Lauterbachii pluresque alii. Horum veſtigia preſſurus Excellentiſſimus Autor, Compendium Juris molitur, quod, ſi methodum ſpectes, Compendio Lauterbachio-Schützianovalde ſimile videri queat, aſt ſi rem ipſam, ab eo plane diverſum ſit. Uti autem nihil, niſi quod, ſtilo Juſtiniani, in ipſis rerum argumentis obtineat, tradere ipſi propoſitum eſt: ita primarius, niſi fallimur, ejus ſcopus eſt, Jurisprudentiam Divinã, ac præcipue naturalem, vel iniquitate temporum, vel imprudentia docentium nonnullorum propemodum oppreſſam, ſedi ſuæ reſtituere, ſecuti, ut videtur, Perilluſtrem Pufendorfium, cui in dedicatione celeberrimi operis de Jure Naturali & Gentium, indignũ videtur, Ulpiani ac Papiniani decretis omnia pulpita reſonare, Creatoris O. M. leges, per congenitæ rationis lumen mortalibus

libus inſinuatas, incultu velut obſoleſcere. Quo autem & intentio Autoris, & doctrinæ genus Orbi erudito eo citius innoteſceret, ſpecimen hoc, quinque Diſputationibus Academicis, ad priores quinque Pandectarum titulos habitis conſtans, velut Prodromum præmittere idem voluit. In eo autem, Autore ipſomet indicium faciente, legum in Germania vigentium hiſtoriam & uſum exponit, ac utilitatem Juris Divini, præcipue naturalis, qua in foro pollet, exemplis paſſim demonſtrat. Ad explicationem juris, obligationis, legis, conſuetudinis, privilegii, ſtatus aliarumque rerum moralium delatus, de iis conceptus ac diviſiones aliter, quam vulgo fieri ſolet, formari præcipit. Ipſam Jurisprudentiam, nec non prudentiam interpretandi ac applicandi leges, perfectius curatiusque definit ac delineat, inſperſis ſubinde ſpecialibus iisque genuinis, interpretandi fundamentis, & ſpuriis rejectis. His acceſſit nova, aliisque nondum viſa, juris univerſi docendi methodus ac diſpoſitio, qua rectius, quam methodo Tribonianea, artem juris tradi poſſe, Noſter exiſtimat. Inde ad conflictum legum, in diverſis Rebuspublicis latarum, explicandum & dirimendum digreditur, antiquata vero, quatenus ad intellectum legum in praxi neceſſarium faciunt, attingit, lectoresque ad Autores proprios remittit. In quorum illuſtrationem, diſquiſitionem de temporibus legitimæ nativitatis varioque hominum ſtatu non proletariam ſubjecit. Ne etiam præfatio operis ſuo careret uſu, in eadem cauſas, ob quas plura ſcripta edere hactenus prætermiſerit, Nobiliſſimus Autor refert, in oratione vero auſpicatoria, eidemque præmiſſo programmate, quæ tractatui huic addere viſum eſt, defectus in omni jure Romano docendo committi vulgo ſolitos commemorat, ſimulque optimam ejus tractandi methodum oſtendit.

DE L' ANCIENNE COUTUME DE PRIER debout &c.

i. e.

DE ANTIQUO RITU PRECANDI STANDO DIEBUS DOMInicis, Feſtis, & durante Paſchate. Vel Compendium Ceremoniarum veterum & recentiorum. Tomi II.

Delphis apud Henr. van Rhyn, 1700. in 8. Alph. 1. plag. 18.

Facile

Facile prævidit doctiſſimus Auctor, quem in Rothomagenſi Eccleſia vivere ex ipſius teſtimonio cognoſcimus, jejunam omnino & ſterilem materiam, quam in hoc opere tractat, multis apparituram; unde laudabili conſilio multa ad diſciplinam & ritus eccleſiaſticos facientia, ex Liturgiis, Ritualibus, Ceremonialibus, Regulis, Statutis, Capitularibus, optimisque Scriptoribus, adeoque ex ipſis fontibus hauſta, in hoc volumen contulit; quod eapropter Clavem Rituum Eccleſiaſticorum, aut Locos eorundem Communes appellari poſſe, in *Præfatione* affirmat, atque eodem loco controverſiæ hujus utilitatem exponit. Scopus, in quem Auctor omnes nervos intendit, eſt ut probet, Chriſtianos diebus feſtis & Dominicis, nec non a Paſchate usque ad Pentecoſten, ſtantes precari debere, ſtantes officio Miſſæ adeſſe, ſtantes Evangelii lectionem auſcultare, & benedictionem Sacerdotis recipere. Eſſe hanc traditionem Apoſtolicam, omnibus ſeculis in Eccleſia, cumprimis Orientali ſervatam, nec adeo pridem in Eccleſia Latina immutatam, meritoque ab Epiſcopis reſtaurandam. Rationes has affert: quod dictis temporibus Chriſtiani gaudio vacare, & ſe in gratia Dei ſtare profiteri debeant, cum genuflexio triſtitiæ & lapſus ſignum ſit; quod memoria reſurrectionis Chriſti hoc imperet; quod ſtare in veteri Eccleſia reverentius habitum ſit, quam procumbere. Itaque *Tomo I* cap. I in S. Scriptura ſitum precantium definitum non eſſe, Judæos autem diebus feſtis & ſabbathis ſtantes adoraſſe, nec non primos Chriſtianos, ediſſerit, & quid traditio vere Apoſtolica ſit, declarat. Cap. *II* usq; ad XI & ultimum, teſtimonia auctorum a primo usque ad duodecimum ſeculum exhibet. *Tomo II* cap. I verſatur in recenſendis ſeculi XIII teſtimoniis; cap. II Conciliorum Canones, quibus hic ritus ſancitus eſt, enarrat; cap. III ſolos Pœnitentes, Catechumenos & Energumenos, dictis diebus, flexis genubus in veteri Eccleſia adoraſſe evincit; cap. IV Euchariſtiam prioribus XIII ſeculis ſtando celebratam, a Sacerdote æque ac communicantibus & ſpectantibus, probat; cap. V in Eccleſiis cathedralibus & monaſteriis antiquis idem ſancte obſervatum eſſe, aſſerit; cap. VI & VII Auctorum ſeculi XIV, XV, XVI, & XVII teſtimonia pro ſua ſententia affert; denique cap. VIII de quibusdam genuflexionibus in Eccleſia ſemper uſitatis, nec non de ſitu privatim precantium agit, & ad argumenta adverſariorum reſpondet. Cæterum memorabilia quævis, quæ in

hoc opere continentur, recenſere, eſſet univerſum librum exſcribere. Igitur potiora quædã ſolum enotabimus. *Tomo I* de Therapeutis Philonis agit, quos Epiphanius, Hieronymus, Picus Mirandulanus, Bellarminus, Godellus, Fleurius & Tillemontius pro Chriſtianis habent, Caſſianus pro Monachis, pro Eſſæis vero Scaliger & Blondellus; Auctor rem in medio relinquit p. 20 ſeqq. Epiphanium non ſatis accurate ſcripſiſſe, & Clementis Romani Conſtitutiones ſeculo demum III ſcriptas, cum P. Marca ſuſpicatur p. 26. Quæſtiones ad Orthodoxos, quæ Juſtino Martyri tribuuntur, ſeculo V aut VI ſcriptas ait p. 32. Canonem Miſſæ olim ſimpliciſſimum fuiſſe, crebris vero additionibus tandem ad eam, qua nunc eſt, formam excreviſſe, fatetur p. 42. Veteres Chriſtianos nonnunquam inter orandum pedibus terram pulſaſſe, ait p. 43. Macarii Ægyptii Homilias pleraſq; diverſorum auctorum eſſe, p. 53: in primæva Eccleſia Laicos nunquam, ſed ſolos Epiſcopos ac Presbyteros in cultu divino conſediſſe, p. 54 obſervat. Hinc Chriſtianos veteres non per univerſam Paſchatis Quinquageſimam a labore abſtinuiſſe, ſed quarto ſeculo per quindecim dies, ſeculo nono per ſeptem vel octo dies; Conſtantienſe vero Concilium trium ſolum dierum feriationem conſtituiſſe, probat p. 66. Ordinem cultus divini in monaſteriis quarti & quinti ſeculorum exponit p. 74. Omnes pſalmorum cantus, juxta Eccleſiæ diſciplinam, a ſtantibus fieri debere, p. 75 docet. Dionyſii Areopagitæ ſcripta ſeculo ſexto ſuppoſita eſſe, ex ceremoniarum multitudine evincit p. 98. De corruptione Regulæ Ordinis Benedictini p. 107; de Pœnitentialibus libris Græcorum p. 115; de origine dierum feſtorum, deq; cauſis multitudinis eorum & quorundam abrogatione p. 117 ſeq; de Epitimiis & Metanœis ſive pœnis, quæ pœnitentibus imponebantur, p. 134 ſeq. agit. Porro ſeculo VIII univerſalem ferme rituum mutationem accidiſſe ait, & de Moſarabico aliisque Officiis diſſerit p. 149 ſeq. Chriſtianos Afros diſciplinæ Eccleſiaſticæ fuiſſe ſtudioſiſſimos, annotat p. 153. De Theologia numerica Patrum, Platoniſmi ſurculo, cujus fundamenta nos lateant, ideoq; multa Patrum ſyſtemata, obſervationes & explicationes obſcuræ videantur, tractat p. 157. De veſperis & vigiliis feſtorum dierum p. 178; de horarum Canonicarum origine, quas ab Ægyptiis Monachis derivat, p. 178 ſeq; de Romano, Ambroſiano, Moſarabico, Lugdunenſi, aliisque Officiis p. 193 ſeqq. tractat. Cultum

tum divinum, ut nono & ſequentibus ſeculis floruit, fuſe, multisque cum obſervationibus, a p. 209 ad 221 delineat. De ritu baptizandi tempore Paſchatos, p. 261 ſq. diſſerit. Vitas Sanctorum a Metaphraſta, Theodoreto, Palladio & Moſcho ſcriptas, ut fabulis anilibus ſcatentes perſtringit p. 282, 285. De Martyrologiorum imperfectione conqueritur p. 288. De origine & progreſſu Muſicæ in Eccleſia p. 294 ſeq. loquitur, ibidemque, Chriſtianos veteres ſubmiſſo cantu, Donatiſtas fortiori uſos eſſe, affirmat. Seculo IX diem Mercurii memoriæ perpeſſionis Chriſti ſacrum fuiſſe, ut hodie dies Veneris eſt, notat p. 329. Ne quidem ſeculo XI populo conceſſum, ut in divino cultu aſſideret, nullaque in templis ſcamna fuiſſe, quod Hiſpani adhuc hodie obſervent, pluribus contendit p. 338. Digna notatu hypotheſis eſt, ſine qua Officia ritusque Eccleſiaſticos, ac eorum ſcriptores intelligi poſſe negat, quamque p. 380 tradit: totum videlicet annum in quatuor tempora dividi, nimirum tempus peccati & pœnæ, quod a Septuageſima usque ad Paſcha duret; tempus gratiæ, quod a Pentecoſtes feria usque ad Septuageſimam extendatur; & tempus gloriæ a Paſchate ad Pentecoſten; juxta quæ tempora, Lectiones, Reſponſoria & ritus variari, pronunciat. Denique p. 383 ridiculos quosdam veterum ritus recenſet, v. gr. quod feria II Paſchatis uxores maritis, feria III mariti uxoribus plagas infligere, ad recordationem mutuæ correptionis, ſeculo XIII ſoliti fuerint. *Tomo II* Auctor initio ritum precandi ſeculo XIII immutari cœpiſſe, introductis ſenſim genuflexionibus, docet p. 2. De feſto Hymni Acathiſti apud Conſtantinopolitanos p. 5 ſq; de uſu candelarum in Eccleſia, quem ſeculo IV natum putat, p. 40 ſq; de benedictione publica, olim a ſolis Epiſcopis dari ſolita, p. 45 ſeqq. & 56 agit. Omnes Decretales a S. Clemente usque ad Siricium ab Iſidoro Mercatore ſuppoſitos eſſe, p. 58 non diffitetur; Monachos ſeculo IV Laicis, qua jura & officia, pares habitos tradit p. 128. Num cibo capto S. Cœna uti liceat, p. 144 diſputat. Originem & fata pœnitentiæ publicæ p. 183 ſeq. enarrat. Ritus ad S. Cœnæ celebrationem pertinentes concinnitate mira p. 258 uſque ad 266 enumerat, nec non hiſtoriam adorationis S. Cœnæ, quam ſeculo XIII cœpiſſe exiſtimat, p. 290. ſeqq. De feſto corporis Chriſti, quod recte abrogari poſſe opinatur, p. 299 ſeqq. diſſerit. Collegia Canonicorum in Eccleſiis Cathedralibus ſeculo VIII orta eſſe, & ab Epiſcopis certo pacto

ſe ſeparaſſe, p. 307 tradit. Tempore P. Damiani monachos quosdam extitiſſe, qui uno die novies integrum Pſalterium recitarint, p. 335 narrat, ibidemque in multitudinem Pſalmodiarum invehitur. De Benedictinorum, Cluniacenſium, Ciſtercienſium, Carthuſianorum, Auguſtinianorum, Bernhardinorum, Præmonſtratenſium aliorumque Monachorum origine & ritibus p. 331 ſeq. loquitur. Alibi, nempe p. 444, de Symbolo Nicæno, quod rectius Conſtantinopolitanum dici credit, diſceptat, illudque primum in Orientali Eccleſia, hinc ſeculo VI in Hiſpanica, ſeculo IX in Germanica, poſthæc demum in Romana cani cœptum, defendit. Tandem de precibus privatis, eas veteres Chriſtianos lubentius ſtantes, quam procumbentes dixiſſe, p. 452 pronunciat. Nos in hoc Scriptore merito inſignem rituum medii ævi, rerumque liturgicarum & monaſticarum ſcientiam, dignamque Theologo Gallo παῤῥησίαν collaudamus.

EXCERPTA EX RESPONSIONE DN. NIC. FATII DUILLIERII ad excerpta ex literis Dn. Joh. Bernoullii.

Conferantur Acta 1699, pag. 513 ſeqq.

Cum ſtudioſe vitemus in Actis noſtris lites, quæ perſonas magis quam res tangunt, & ad ſummum provocatis, defenſionis gratia, præſto ſimus; produci autem talia ægrius patiamur: ideo cum Celeberrimus Dn. Fatius in replicatione hac ſua narrationem, qua diutiſſime fruſtra in problemate Curvæ Brachiſtochronæ laboraſſe dicebatur, multis indiciis refutaverit; id retuliſſe contenti, excerpta tantum ad ſcientiam utilia ex ejus literis Duillierii die Auguſti $\frac{19}{30}$, 1700 datis exhibemus.

Ait ſe Brachiſtochronam etiam Fermatiana methodo ſolviſſe, Velariam ope radii oſculantis; figuram ſolidi minime reſiſtentis prodeſſe effingendæ telorum, ſagittarum & jaculorum anteriori parti. Quæ Dn. Joh. Bernoullius habeat pag. 211 Act. 1700, dum ſolidum hoc ad nauticam applicare ſatagit, emendatione plurimum indigere. Denique ſe etiam in lecto decumbentem determinaſſe breviſſimum crepuſculum nulla calculi neceſſitate, tamque ſimplici ſolutione, ut ex ſola imaginatione circulorum aliquot in ſphæra ſtatim oculis quaſi obverſetur.

Ex-

Digitized by Google

TAB. III. ad A. 1701. pag. 135.
M. Mart.




Fig: 3.




Fig: 2.




Fig. 1.




Fig: 4.

Exhibet Analyſin pro Curva deſcenſus æquabilis, quam partim facilitatis, partim uniformitatis cauſa exhibebimus in notis hactenus apud nos uſitatis. Exhibet etiam ſolidi minime reſiſtentis inveſtigationem methodo, ut ait, Fermatiana. Utrumque ſequitur.

Analyſis Curvæ deſcenſus æquabilis.

Sit (Figur. 1) A corporis altitudo, unde iſtud cadendi initium faciens celeritatem acquirat in B, quæ per ipſam BA exprimatur. Jam vero BA vocetur a. A puncto B incipiat curva quæſita BH deſcribi, & abſciſſa BE, cum ipſa BA in directum jacens vocetur x; ordinata vero ad angulos rectos ducta EH vocetur y. Intellectis vero lineæ HE fluxionibus momentaneis (ſeu elementis) tum ad altitudinem B, tum ad altitudinem HE, curvæ BH fluxiones in B & H erunt dx & $\sqrt{dx\,dx + dy\,dy}$, tempora autem, quibus iſtæ fluxiones deſcribuntur, erunt, ut $\frac{dx}{a}$ & $\frac{\sqrt{dx\,dx + dy\,dy}}{\sqrt{aa + ax}}$ quæ quantitates ex hypotheſi deſcenſus æquabilis invicem æquantur. Itaque erit aa ad dx dx, ut aa + ax ad dxdx + dydy; unde aa erit ad dx dx ut ax ad dydy. Atque fiet $a\,dy = dx\sqrt{ax}$. Eritque proinde $ay = \frac{2}{3} X^{3:2} a^{1:2} \pm q$. Erit autem neceſſario $q = 0$, ubi x & y ſimul infinite parva facta fuerint, hoc eſt, ubi curva BH, quemadmodum hic loci, ex ipſa linea AE naſcendi initium faciet. Ac proinde eo caſu, & tum & alias ſemper quantitas q delenda erit. Itaque habebitur $ayy = \frac{4}{9} X^3$, æquatio ſcilicet curvæ quæſitæ. TAB. III. Fig. 1.

Solidi rotundi minime reſiſtentis inveſtigatio ex Fermatii doctrina refractionum.

Sit (Figur. 2) recta DEF axis ſolidi quæſiti ABC, ſintque AD, BE, CF ordinatæ tres ad axem perpendiculares inter ſe proximæ, quarum differentiæ AD - BE & BE - CF æquentur, erunt reſiſtentiæ in zonas ex converſione rectarum AB, BC, factas ut $\frac{1}{AB^2} \cdot AD$ & $\frac{1}{BC^2} \cdot BE$, quarum quantitatum ſumma debet eſſe minimo æqualis. Supponatur radius lucis curvam ipſam quæſitam ABC ex infinitis lineolis re- Fig. 2.

Digitized by Google

rectis AB, BC &c. conſtantem, refractione continua in medii ſuperficies axi parallelas deſcribere; ita ut ſint tempore deſcriptionis ipſarum AB, BC, ut $\frac{1}{AB^2} \cdot AD$, & $\frac{1}{BC^2} \cdot BE$, quarum itaque ſumma juxta Fermatii doctrinam debet eſſe minimo æqualis. Sinus anguli BAD ad ſinum anguli CBE, eſt ſemper ut $\frac{DE}{AB}$ ad $\frac{EF}{BC}$, quæ ſunt ut radii lucis celeritates. Tempora itaque, quibus deſcribuntur AB, BC, erunt ut $\frac{AB^2}{DE}$ & $\frac{BC^2}{EF}$. Comparatis itaque utrinque hiſce proportionibus, quibus tempora definiuntur, reductaq; priori ad hanc formam: $\frac{AB^2}{DE} \cdot \frac{DE}{AB^4} \cdot AD$, & $\frac{BC^2}{EF} \cdot \frac{EF}{BC^4} \cdot BE$; Ut eadem proportio inter hoſce terminos maneat, quæ eſt inter terminos $\frac{AB^2}{DE}$, & $\frac{BC^2}{EF}$, oportet multiplicatores $\frac{DE.\,AD}{AB^4}$ & $\frac{EF.\,BE}{BC^4}$ eſſe æquales, quæ eſt ſolidi quæſiti æquatio Newtoniana, ſive mavis Bernoulliana. Ejus autem conſtructio in tractatulo noſtro (inquit Dn. Fatius) jam data eſt.

JOH. BERNOULLI NOVA RATIO PROMTE CONSTRUENDI Radios oſculi ſeu curvaturæ in Curvis quibusvis ſive algebraicis ſive tranſcendentibus. Item methodus eosdem analytice determinandi in curvis algebraicis per vulgarem Differentialium calculum eruta.

Conferantur Acta Lipſ. A. 1700, p. 508.

CUm primum in magni problematis Brachyſtochronarum contemplationē inciderem, conferendo duplicem methodum, quam pro ejus ſolutione ſtatim inveneram, forte fortuna ſe mihi obtulit formula quæpiam ſimpliciſſima ſimul & univerſaliſſima, exprimens radium oſculi in curvis quibusvis tranſcendentibus æque ac algebraicis; quæ cum differentialibus primi tantum gradus conſtaret, loco quod omnes aliæ

aliæ ab aliis hactenus traditæ ſemper etiam differentio-differentiales ſeu differentiales ſecundi gradus involvant; primo impetu lætabar nonnihil ob novum inventum tanquam valde ſingulare, ſtatim vero poſtea aperte adeo ex formulis ordinariis fluere vidi, ut dubitarem an in adverſaria mea referre dignaturus eſſem.

Quandoquidem tamen anſam dedit noſtræ huic conſtructioni Geometricæ univerſali & expeditiſſimæ radiorum oſculi quarumvis curvarum, fontem ipſius paucis hîc detegere non pigebit. Eſto Curva quæcunque cujus coordinatæ ſint x & y; & ſit æquatio differentialis ejus naturam univerſaliter explicans $dx = udy$, (intelligo per *u* quantitatem ex x, y & conſtantibus utcunque conſtantem) poſito dt pro elemento curvæ, dico radium oſculi fore ſemper $dt^3 : dy^2 du$, quod ſic facile probo: nam ſumta dy pro conſtante, notum eſt radium oſculi eſſe $= dt^3 : dyddx$, cum autem dx ſit $= udy$, erit $ddx = dudy$, adeoque ſubſtituto loco ddx ipſius valore dudy, prodibit quod dixi radius oſculi $dt^3 : dy^2 du$. Id quod nobis ſuppeditat hanc generaliſſimam radii hujus conſtructionem, per ſolas quantitates ordinarias ſeu finitas.

Sit curva data AC ſive tranſcendens ſive algebraica, cujus radius oſculi in puncto quovis C ſit aſſignandus: Ducantur lineæ, ut factum in Fig. V, Tab. VIII an. 1700. Scilicet ex puncto F, ubi tangens CF ſecat axem, excitetur ad axem perpendicularis FG occurrens normali ad curvam DC productæ in G. Præterea quoniam curvarum datarum dantur *tangentes*, *ſubtangentes*; normales, ſubnormales &c. *Conſtruatur nova* curva LM; ita ut ejus applicata BM ſit quarta *proportionalis* ad applicatam datæ BC, ejus ſubtangentem BF, & conſtantem quandam ad arbitrium aſſumtam P; unde & hæc nova curva dabitur ejusque adeo tangentes, ſubtangentes &c. Fiat igitur ut FB ad NB, ita GD ad quartam quandam CE; dico hanc CE fore radium oſculi ſeu curvaturæ curvæ propoſitæ in puncto C.

Demonſtratio per unicam æqualitatum ſeriem abſolvitur, deductam partim ex conſtructione, partim ex ſimilitudine triangulorum; Quoniam enim CE = (per conſtr.) NB, GD : FB = (ob triang. FCB, GDF ſimilia) NB, CF, FD : FB, CB = (ob triang. CFB, DFC ſimilia) $NB, CF^3 : FB^2, CB$ = (per conſtr.) $NB, CF^3, P : FB, CB^2 BM$ = (per naturam tangentium, eſt enim NB : BM :: dx :

Pdu, & CF : FB : : dt : dx, & CF : CB : : dt : dy.) dx, dt^3, P : dx, dy^2, Pdu = (diviſo numeratore & denominatore per Pdx) $dt^3 : dy^2 du$ = (per ſupra demonſtrata) radio oſculi; ergo etiam CE = radio oſculi. Q. E. F.

TAB. III. Fig. 3. Exempli loco duas ſumamus curvas, algebraicam unam, alteram tranſcendentem: vid. Fig. 3. Sit ergo AC parabola cujusvis generis, cujus exponens ſit n; patet ex conſtructione LM fore aliam parabolam, cujus exponens erit $n : \overline{n-1}$; unde FB ad NB id eſt GD ad CE ut n ad $n : \overline{n-1}$ id eſt ut $n-1$ ad 1. adeoque CE = GD : $\overline{n-1}$.

Fig. 4. Eſto jam (Fig. 4.) AC logarithmica vulgaris; erit etiam LM talis logarithmica, & quidem ejusdem ſubtangentis, ſed cum priore ſitu inverſo ſuper eodem axe poſita: adeoque cum NB æquetur FB, hinc ſtatim fluit radium oſculi CE in logarithmica ubique eſſe æqualem ipſi GD; egregia hujus curvæ & hactenus nondum obſervata proprietas, tantoque notatu dignior, quod eandem communem habeat cum parabola vulgari Archimedea; etenim & in hac CE ubique = GD. Ut & hoc inſuper notem, radius hic CE in Logarithmica utrinque in infinitum abit, ergo alicubi exiſtit minimus, quod ibi fit, ubi ſubnormalis eſt ſubtangentis dimidia.

Atque hæc de Geometrica conſtructione univerſali radiorum oſculi in quibusvis curvis ſufficiant; quantum ad analyticam ejusdem expreſſionem in algebraicis, etiam hanc ex formula mea ſupra inventa CE = $dt^3 : dy^2 du$, magna facilitate & ſimplicitate per vulgarem differentialium calculum elicio, prout e jam dicendis patebit.

Æquatio catholica, ad quam omnes omnium curvarum algebraicarum referuntur hæc eſt, $fx^m + gy^n + hx^r y^s + a = o$; ubi repræſentantur per fx^m termini ſinguli, in quibus ſola x; per gy^n ſinguli, in quibus ſola y; & tandem per $hx^r y^s$ ſinguli in quibus x & y junctim reperiuntur: ſumtis ſcilicet x, y pro coordinatis curvæ & a pro conſtante; f, g, h pro ſuorum reſpective terminorum coefficientibus; & m, n, r, s pro exponentibus poteſtatum ipſarum x & y. Vocentur normalis CD, w, & ſubnormalis BD, z. Oportet nunc exhibere expreſſionem litteralem itidem catholicam meris quantitatibus algebraicis conſtantem, quæ longitudinem radii oſculi determinet: quod ſic facio: differentietur per viam ordinariam æquatio modo me-

memorata, & habebitur $mfx^{m-1}dx \mp ngy^{n-1}dy \mp rhx^{r-1}y^s dx \mp shx^r y^{s-1}dy = 0$, proinde $mfx^{m-1} \mp rhx^{r-1}y^s, dx = -ngy^{n-1} - shx^r y^{s-1}, dy$. Ponatur brevitatis gratia quod cum dx multiplicatur $= p$, & quod cum dy multiplicatur $= q$; unde $pdx = qdy$ ſeu $dx = qdy : p$. Jam in univerſali noſtra formula radium oſculi eminenter in quavis curva exprimente $dt^3 : dy^2 du$, loco du ponatur differentiale ipſius $q : p$, eſt enim hic $u = q : p$, adeoq; $du = pdq - qdp : pp =$ (ob $p : q : : dy : dx : : z : y$) $zdq - ydp : pz$; erit $dt^3 : dy^2 du = pzdt^3 : zdy^2 dq - ydy^2 dp$, ſumantur nunc differentiales ipſarum p & q ſeu ipſarum $mfx^{m-1} \mp rhx^{r-1}y^s$ & $-ngy^{n-1} - shx^r y^{s-1}$, habebitur $dp = mm - m, fx^{m-2}dx \mp rr - r, hx^{r-2}y^s dx \mp rshx^{r-1}y^{s-1}dy$; & $dq = -nn \mp n, gy^{n-2}dy - ss \mp s, hx^r y^{s-2}dy - rshx^{r-1}y^{s-1}dx$. Subſtitutis igitur loco p; dp; & dq; ipſorum valoribus, prodibit $dt^3 : dy^2 du = mfx^{m-1}z \mp rhx^{r-1}y^s z, dt^3$, diviſo per, $m - mm, fx^{m-2}ydxdy^2 \mp r - rr, hx^{r-2}y^{s+1}dxdy^2 - rshx^{r-1}y^s dy^3 \mp n - nn, gy^{n-2}zdy^3 \mp s - ss, hx^r y^{s-2}zdy^3 - rshx^{r-1}y^{s-1}z\,dxdy^2$; denique ſi pro dt; dx; & dy; ponantur eorum proportionales w, y & z (eſt enim $dt : dx : : w : y$ & $dx : dy : : y : z$) proveniet ordinatis & reductis reducendis $dt^3 : dy^2 du$, ſeu CE, ſeu radius oſculi $= mfx^{m-1}w^3 \mp rhx^{r-1}y^s w^3$, diviſo per, $m - mm, fx^{m-2}yyz \mp n - nn, gy^{n-2}z^3 \mp r - rr, hx^{r-2}y^{s+2}z \mp s - ss, hx^r y^{s-2}z^3 - 2rshx^{r-1}y^s zz$; adeoque ut denominator fractionis ad ipſius numeratorem, ſic erit unitas ad radium oſculi quæſitum CE.

Hoc nonnihil ſimplicius enunciari poteſt, ſi dividatur fractio per $ww : z = FD$; & ſi dicatur, ut denominator ad numeratorem, ita FD ad CE. Ubi notandum, hanc fractionem quod ad denominatorem convenire omnino cum ea, quæ in *Actis hiſce Anni ſuperioris* p. 509 traditur: Sed quod ad numeratorem, noſtram hic traditam, utpote duobus tantum terminis conſtantem, altera illa quatuor habente terminos ſimpliciorem eſſe; quod in laudem incomparabilis differentialis calculi ejusque *Illuſtriſſimi Auctoris* dictum eſto, ut ipſi ſua conſtet excellentia, & vindicetur ab iniqua cenſura eorum, qui eum vel ex imperitia vel ex invidia ad hujusmodi & alia extendi non poſſe crepant, ad quæ tamen & longe plura reapſe extenditur, ſi dextre adhibeatur.

S 2 Cæ-

Cæterum quantum ad regulas, quæ pro tangentibus, normalibus &c. præſcribi poſſunt, illæ tam facile ex vulgari differentialium calculo inveniuntur, ut id operis tyronibus efficiendum relinquam. Ea interim, quæ pro ſubnormali invenitur, conducit ad examinandum ſi cui volupe erit, utrum citata ex Actis regula pro determinando radio oſculi ſit generaliter bona: nam ſi conferatur cum mea hic exhibita & demonſtrata, producet valorem aliquem ipſius z ſeu BD, qui ſi idem fuerit (ut reapſe eundem eſſe comperi) cum eo quem indicat generalis regula pro normalibus, etiam illa altera judicabitur eſſe generalis.

NOTITIA ORBIS ANTIQUI, SIVE GEOGRAPHIA PLENIOR, ab ortu Rerumpublicarum ad Conſtantinorum tempora Orbis terrarum faciem declarans. CHRISTOPHORUS CELLARIUS ex vetuſtis probatisque monumentis collegit, & novis Tabulis Geographicis, ſingulari cura & ſtudio delineatis, illuſtravit.

Lipſiæ, apud Gleditſch ſeniorem, 1701, in 4 chartæ auguſtæ. Conſtat Alphab. 7, plagulis 16, & Tabulis Geographicis ære expreſſis 21.

Antiquam Geographiam pauciores expoſuerunt, & vix unus alterve aggreſſus eſt univerſam, quod difficultatis argumentum eſt: quippe, toties mutata Terrarum Orbis facie, omnia ex vetuſtis monumentis ſunt eruenda, quæ quod, perditis multis, ad nos mutila aut corrupta pervenerunt, & ſæpe, ubi etiam integra ſuperſunt, ſibi minime conſtant, ſed mirabiliter diſſentiunt; fit ut multi laboris hoc opus ſit, nec niſi magna induſtria, cum ingenio judicioque conjuncta, poſſit ſuperari. Fuerunt quidem Græci Latinique, qui univerſum Orbem expoſuiſſe videri poſſint, & utique egregiam operam præſtiterunt, quo in cenſu Strabo, Ptolemæus, & Characenus eſt Dionyſius; Latinorumque Mela & Plinius, & veterum autores Itinerariorum. Sed multa etiam in hiſce deſiderantur, nec qui plenior videtur Ptolemæus eſſe, ubique fidem ſuam atque diligentiam approbavit: cæteri nomina locorum ponunt, raro poſitionem veram oſtendunt. Cum vero & utile hoc ſtudium antiquitatis, & ſi quod res eſt, cenſeatur, perquam etiam

etiam ſit neceſſarium, quippe ſine illo nec Hiſtoricos antiquiores, neque Poetas aut Oratores licet intelligere; utique clariſſimus Autor, poſt multos egregios labores, de hoc ipſo etiam ſtudio præclare meretur, dum, quam alii in ſingularibus provinciis, nec ſinguli, niſi in earum paucis, navarunt operam; ipſe ad univerſam Orbis antiqui faciem repræſentandam adhibet, cujus majorem nunc partem dat, hoc volumine, quod recenſemus, comprehenſam, reliquam intra ſemeſtre ſpatium, bene juvante Deo, additurus. Totum opus in quatuor libros diſtribuit, quorum primo generalis pars Geographiæ, quantum ejus ad Antiquam pertinet, contenta eſt: ſecundus Europam, illam ingeniorum ſedem, & ideo ampliorem in hac notitia, complexus eſt: tertius & quartus Aſiam Africamque conjunctas declarabunt.

Primi libri hic ordo eſt: Deſcribitur I. Apparatus veterum Geographicus, hoc eſt illorum Tabulæ, terrarum ſitum & marium figurantes, nec non globoſæ machinæ, Orbis imitantes rotunditatem. II. Ipſa rotunditas Terræ, vulgo quidem ignorata, at doctiſſimo cuique etiam olim perſpecta & approbata. III. Orbis habitabilis, *οἰκουμένη* Græce, ab univerſo diſtinctus ſecundum veteres: & aliæ ſynecdochicæ notiones, ut *Orbis Romanus*, *Pœnus*, *Perſicus*, & ceteri. IV. Ejusdem habitabilis terræ *umbilicus* ſeu medius locus, antiquis plerisque creditus. V. Zonarum numerus & differentia. VI. Antiquorum Climata & Paralleli. VII. Varius terricolarum habitus ab umbra denominatus, ut *aſciorum* eſt, & *amphiſciorum*, aut *periſciorum* aliorumque: vel reſpectu illorum, qui a latere colunt, aut ex adverſo, ut ſunt *antœci*, *periœci*, & maxime *antipodes*, de quibus veterum ſententiæ excutiuntur. VIII. Plagarum mundi & ventorum vetuſtæ diviſiones & nomina. IX. Mundi latera, dextrum, ſiniſtrum, & plagarum ad ea & cardinum poſitiones: etiam dextræ ſiniſtræque ripæ fluminum. X. Ingeniorum corporumque pro ſitu loci & cœli inclinatione diverſæ rationes. XI. Maximæ terrarum partes ſive Continentes intra Oceanum, earumque limites ac numerus. XII. Menſuræ veterum geographicæ, diverſæ pro diverſitate gentium, ut *paraſanga*, & *ſchœnus*, & *ſtadium*: item milleni paſſus ſive *milliarium*, aut *lapis*, cujus occaſione de ſtratis & per milliaria erecto lapide diſtinctis viis in Italia & provinciis agitur: etiam de *manſionibus*, *mutationibusque* veteris Itinerarii; & de *leucis* Gallorum, *raſtis* Germanorum, ac

aliis per dierum itinera dimenſionibus. Hæc primo libro tanquam parte Geographiæ generali continentur.

Liber Secundus Europam antiquam exhibet, ab occaſu in ortum, Geographorum more, explicatis partibus, quas ita ubique deſcriptas tradit, ut ſingularum limites, majores fluvios, & inſignes montes ac ſaltus proponat, deinde populos & provincias tam priſci ævi ante mutationes ab Romanis factas, quam quæ ſub Cæſaribus fuerunt inſtitutæ, quemadmodum primo Capite de Hiſpania diviſionem præmiſit, quæ ante Auguſtum obtinuerat, in Citeriorem & Ulteriorem provinciam: tum demum ipſam Auguſteam addit in tres provincias factam, Tarraconenſem, Bæticam, & Luſitaniam; ſecundum quas, tanquam accuratiorem diviſionem, ſuas enarrationes populorum & & urbium, cæterarumque rerum perſequitur, additis ubique teſtimoniis, quæ haberi poſſunt, Geographorum veterum, & Hiſtoricorum, ac Poetarum; etiam lapidum & nummorum inſcriptionibus, ut res in quolibet loco geſtæ ſimul commemorentur & explicentur. Sic etiam in Gallia Julii Cæſaris diviſio, & altera Auguſti diſtinguuntur, & ſecundum hanc, aptiorem rebus viſam, urbes & populi enumerantur, copioſius in Gallia Belgica, quod plus ibi materiæ Romanorum bella & victoriæ præbuerunt. Britannia & Germania tantum habent, quantum Romani de iis tradiderunt: additis nonnullis, ſed minus certis, ex opere Ptolemæi. Sterilior eſt Septemtrio, quia arma Romanorum eo non pervenerunt. Inde per Rhætiam Noricumque, & Pannoniam utramque, ac Mœſiam, Daciam, Illyricum in Italiam tranſitur, ubi Autori noſtro quaſi conſiſtendum fuit, etiam poſt illam in Græcia, quia his ſedibus ingeniorum proventus largior litterarum fuit, quæ amplam ſcribendi materiem præbuerunt. Quo factum eſt, ut Græcia & Italia, Scriptorum quos tulere, ſtudio illuſtratæ, prope tantum ex hoc volumine ſibi poſcant, quantum vix ceteræ, excepta una forſan, conjunctim ſibi vindicant. Poſt inſularum deſcriptionem Thracia, ultima regio Europæ, finem huic operi imponit.

Tabulæ Geographicæ, omnes Autoris celeberrimi ingenio inventæ & ipſius delineatæ manu, ab Ortelianis, quibus plerique adhuc uſi ſunt, multum ſane differunt, utique pleniores emendatioresque. Viginti & una huic volumini ſunt inſertæ, duæ generali parti, Climatum una, altera Ventorum & plagarum: ceteris Europæ regiones illu-

luſtrantur ita, ut vel ſingulis provinciis ſit ſua peculiaris, vel plures unius propter rerum nobilitatem atque copiam; quemadmodum quinque Italia habet, tres Græcia, Gallia duas. Eſt etiam ubi una tabula plures provinciæ explicantur, uti Mœſia, Dacia, Pannonia, Illyricum conjunguntur in una. Index tandem, qui locupletiſſimus adjectus eſt, hoc habet ſingulare, ut nomina, pluribus locis communia, aut alia minus nota, appoſito gentis vel regionis diſcrimine, facillime inveniantur, nec quisquam per aliena circumductus quærendo fatigetur. Hæc præſenti volumine continentur. Deum precamur, ut vitam & vires Autori optimo proroget, quo quæ cœpta habet aut adfecta reliqua, ad continuandum hoc opus propediem perficiat & abſolvat.

D. MARTINI LUTHERI Hochnützlicher Theurer Schatz und Gülden Kleinod.

h. e.

THESAURUS SIVE LIBER AUREORUM EX LUTHERI SCRIptis in piorum uſum collectus ab ANDREA MUSCULO. Recenſitus, argumentis novis indicibusque inſtructus & præfatione auctus a JOACHIMO MORGENWECK, Paſtore Orphanotrophii Hamburgenſis.

Hamburgi apud Gotfridum Liebernickel, 1701. 4. Alphab. 8.

INter univerſos qui e B. Lutheri ſcriptis vita & ſpiritu plenis in uſus eorum, quibus magna illa opera vel comparare vel evolvere non licet, loca ſelecta in brevius corpus digeſſere, quod a multis factum eſſe conſtat, Jacobo Hertelio, Timotheo Kirchnero, Grætero, Porta, Fabricio, Stephano & Andrea Prætoriis, Victorio Roth, Eraſmo Grubero, aliisque: nemo ſane eſt, qui lectoribus piis, & vel ſolidam conſolationem, vel ſanam doctrinam anhelantibus, ſelectiore apparatu rectiusque conſuluerit, quam Andreas iſte Muſculus. Hujus theſaurus ſive liber aureorum ex libris Lutheri congeſtus, & ſub certis titulis diſpoſitus, in folii forma ante centum circiter annos editus, jampridem diſparuit, quamvis partem ejus ante decennium prelo iterum ſubjecerit & in forma ὀκταπτύχῳ vulgaverit cum luculenta præfatione

tione ſua Abrahamus Hinkelmannus ὁ μακαρίτης. Cujus & ipſius editionis minus integræ exempla cum jam ſint diſtracta, Rev. Morgenwegius Eccleſiaſtes Hamburgenſis diſertiſſimus, operæ pretium eſſe duxit, totum opus iterum recenſere, locisque Scripturæ ac Lutheri diligenter indicatis, & argumentis eorum, quæ fuſius a Luthero exponuntur, in ora libri breviter adnotatis adjectisque indicibus, ad publicos omnium uſus iterum revocare in novæ & melioris editionis lucem. Neque dubitandum eſt, quin hac opera ſua Vir Reverendus apud univerſos verbi divini, ſeriæ pietatis, ſcriptorumque Lutheri amatores haud vulgarem gratiā inierit. Præter Epiſtolam, qua opus inſcripſit Sereniſſimo Brunſwicenſium Duci RUDOLPHO AUGUSTO, quo nemo Lutheri memoriam colit ſanctius, libro præfixit præfationem, qua inter alia, non obſcura & generali accuſatione, ſed ſpeciminibus quibusdam oſtendit, Gotfridum Arnoldum in Hiſtoria Hæreſium vernaculo idiomate edita ſæpius iniquum fuiſſe in famam ac merita Theologorum præſtantiſſimorum, eorum præſertim qui in concinnanda Formula Concordiæ operam ſuam poſuerunt, inter quos & Muſculus iſte fuit, non confundendus cum alio Wolfgango Muſculo Reformato Doctore celebri. Præfationi autem huic ſuæ, ne quid deſideraretur, etiam præfationem, cujus jam meminimus, Hinkelmannianam integram inſeruit.

LIBRI NOVI.

S. Optati Milevitani Epiſcopi de Schismate Donatiſtarum Libri VII. Quibus acceſſere Hiſtoria Donatiſtarum, nec non Geographia Epiſcopalis Africæ, opera & ſtudio M. Ludovici Ellies Du Pin. Lutetiæ Pariſiorum, apud Andr. Pralard, 1700, fol.

Friderici Spanhemii F. F. Operum Tomus I, continens Geographiam, Chronologiam & Hiſtoriam Sacram atque Eccleſiaſticam. Lugduni Bat. apud Corn. Boutenſteyn &c. 1701. fol.

Stephani Blancardi Opera Medica, Theoretica, Practica & Chirurgica, Lugduni Bat. apud C. Boutenſteyn & J. Luchtmans, 1701. 4.

Caroli Sigonii de Republica Hebræorum Libri VII, cum Annotationibus Jo. Nicolai. Lugduni Bat. apud C. Boutenſteyn, 1701. 4.

Index Batavicus, of Naamrol van de Bataviſe en Hollandſe Schrijvers, van Julius Ceſar af tot deſe tiiden toe. Door Adriaan Pars. Tot Leiden, by Abraham de Swart, 1701. 4.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis, Anno MDCCI.

HENRICI LEONARDI SCHURZFLEISHII HISTOria Enſiferorum Ordinis Teutonici Livonorum.

Vitembergæ apud J. Juſt. Meyerum & G. Zimmermannum, 1701, 8. Alph. 1. plag. 7.

VIr Clariſſimus *Henricus Leonhardus Schurtzfleiſchius*, Fratris *Conradi Samuelis*, Polyhiſtoris celeberrimi, ſtudia felici ſucceſſu æmulatus, primum hoc induſtriæ ſuæ eruditionisque ſpecimen extare voluit, idque tam luculentum, ut vel eo in Illuſtri Academia Vitebergenſi in Hiſtoriarum Profeſſione publica Fratri Ampliſſimo adjungi non ita pridem meruerit. Dedicavit illud Illuſtrisſimo ac Excellentiſſimo Dn. *Wolffgango Dieterico a Beuchlingen*, Potentiſſimi Poloniarum Regis Sereniſſimique Saxoniæ Electoris ſummo Status Miniſtro & Cancellario Magno, per epiſtolam tanti Viri meritis dignam, & quæ pro conſummatæ eloquentiæ exemplo ſervire Lectori queat. Argumentum ſelegit, quo & experiri vires ingenii, & multam librorum Hiſtoricorum lectionem, munitumque prudentia civili judicium oſtendere poſſet, Equeſtris puta Enſiferorum in Livonia Ordinis Hiſtoriam, quam ita pertractavit, ut ſingulorum primo Ordinis Magiſtrorum, quorum in univerſum quadraginta & octo fuere, res geſtas atque fata enarraverit; ſubjecerit dein Additamenta, quibus uberius multa diſcutiuntur illuſtranturque, & inprimis ſcriptorum aliorum annotantur paroramata; denique & ſyllogen Actorum publicorum ad Ordinem ſpectantium exhibuerit. Nobis,

bis,cum de Magiſtris ſingulis dicere prolixum nimis foret, ſumma Hiſtoriæ capita pauciſſimis complecti ſuffecerit.

Cœpit Ordo hic Equeſtris Militiæ ſub initium ſeculi decimi tertii, anno nimirum æræ Chriſtianæ 1204, cum non multo ante Chriſtiana ſacra, mercatorum inprimis Bremenſium zelo, invecta in Livoniam eſſent & utcunque ſtabilita. Auctor inſtituendi Ordinis Albertus fuit tertius Rigenſium Epiſcopus, non alio fine, quam ut in Livoniam plures ex Germania alliceret, qui incolas ad manſuetudinem inſtituerent, ac religionis Chriſtianæ latius ſenſim propagandæ diſciplina mitigarent: neque probare inſtitutum ac confirmare Innocentius III Romanus Pontifex dubitavit. Primus Ordinis Magiſter Vinno fuit, cui octavo decimo Principatus anno a nequiſſimo homine occiſo Volquinus ſucceſſit, & ipſe in prælio a Lithuanis cæſus. Tametſi vero non infauſta initia Sodalitati huic ſacræ militiæ obtigiſſent, ſola tamen par viſa non fuit futura ſemper reprimendis vicinorum Barbarorum & Chriſtiani nominis hoſtium incurſionibus. Itaque Equites Teutonicos, quorum florentiſſimæ iſto tempore per Pruſſiam res erant, conciliandos ſibi duxit: nec hi unionem cum Enſiferis recuſarunt, ea tamen lege, ut Ordinis Livonici Magiſter Teutonicæ Sodalitatis in Pruſſia Magiſtro generali eſſet obnoxius. Succeſſerunt dehinc tantum non perpetua Equitum cum Curonis, Semgallis, Samogitis, Lithuanis, Ruſſis bella: e quibus tamen Curoni & Semgalli tandem ſubjugati reliquæ Livoniæ acceſſerunt. Quin & Eſthonia, quam Dani hactenus obtinuerant, in ditionem Ordinis venit, urbibus Revalia, Weſenburgo, Narva a Waldemaro III Daniæ Rege, ſolutis illi novendecim millibus librarum argenti, A. 1346. redemptis. Sed eam felicitatem nata inter Magiſtros Ordinis, & Archiepiſcopos Rigenſes æmulatio corrupit, quæ in civilia ſubinde exarſit bella, ipſis etiam Samogitis, Ruſſiſque & Lithuanis ab Archiepiſcopis adverſus Equites evocatis, & regione tota miſerum ſæ pe in modum devaſtata. Ex quo factum, ut fractis ſenſim Ordinis viribus, cum & Teutonici in Pruſſia Equites a Polonis haud parum affligerentur, tueri ditionem, adverſus Moſchos inprimis, ægre Equites poſſent. Reſpiraſſe tamen ſub Valtero Plettenbergio, Magiſtrorum quadrageſimo tertio, viſi ſunt, pace cum Moſchis ſancita, quæ quinquaginta fere annis firma ſtabiliſque manſit; quin & cum Magiſtro generali & Teutonica

tonica Sodalitate ſuo Ordiniſque nomine idem Plettenbergius A. 1521 pactus eſt, ut perſoluta pecuniæ ſumma ab illius poteſtate & imperio liber deinceps & exemptus eſſet, a Carolo V Cæſare in tabulas Principum Imperii poſtea relatus. Sed hæc malacia erat in graviorem tempeſtatem deſitura. Nam & Equites, cum ſecura pace fruerentur, in luxum prolapſi, a majorum virtute paulatim doſciverunt, & Moſci interim, expugnatis in Scythia Caſani & Aſtracani regnis, animis viribusque aucti, de Livonia univerſa imperio ſuo ſubjicienda conſilia agitabant, bellumque magno apparatu moliebantur. Itaque Ordini ab omnibus, quæ ad tantam vim propulſandam requirebantur, imparato, externa auxilia circumſpicienda erant, miſſis ad Ferdinandum I & Imperii Principes in comitiis Auguſtanis congregatos, qui periculum, imo exitium Ordinis, ni mature, ſubveniretur, repræſentarent. Dani etiam ac Sueci ſuppetias rogati, ſed fruſtra: jamque Narvam Moſchi & Dorpatum occupaverant, Revalienſes vero ſe permiſerant Erico Sueciæ Regi, & in extremis Equitum res erant, cum iſti tandem tot malis feſſi, Poloniæ Regi Sigismundo Auguſto & Reipublicæ ſe tradiderunt. Gothardus Ketlerus ultimus Ordinis Magiſter, inſignibus Ordinis depoſitis, Magiſtri dignitate ſe abdicavit, Curlandiæ & Semgalliæ Dux, ſed cum onere vaſallagii, quo obſtricti Poloniæ Regibus Magnisque Ducibus Lithuaniæ ipſe poſterique eſſent, renunciatus eſt: reliqua Livonia (ſi Revaliam exceperis) in ditionem & imperium Polonorum conceſſit, varia tamen privilegia & alias immunitates pacta. Ita A. 1561 celebris ille Enſiferorum Ordo, cum 356 annis inter varia ſecundæ adverſæque fortunæ experimenta ſtetiſſet, concidit tandem penitusque antiquatus eſt.

AN ACCOUNT OF THE ISLANDS OF Orkney &c.

i. e.

DESCRIPTIO INSULARUM ORCADUM, AUTORE JACOBO WALLACE, M. D. & Regal. Societ. Anglic. Socio: cui adjecta eſt Diatribe de Veterum Thule.

Londini, apud Jacob. Tonſon, 1700 in 8. Conſtat plag. 12 & duab. fig. æn.

QUi Orcades, inſulas illas maris Caledonii non incelebres, data opera deſcribere antehac aggreſſus ſit, neminem facile inveneris præter Thormodum Torffæum, Hiſtoriographum Regis Daniæ graviſſimum, qui Rerum Orcadenſium Hiſtoriam, tribus libris abſolutam, Hafniæ quatuor abhinc annis evulgavit. Meruiſſet quoque egregii Viri induſtria, ut eandem erudito orbi dudum commendaſſemus; ſed cum librum commodum nuper videre nobis licuerit, haud ægre ferent, ſi officio iſto in proxima demum Supplementorum ſectione defungamur. Interea vero fraudi nobis minime futurum confidimus, ſi recentioris hujus opuſculi, in oras noſtras commode advecti, enarrationem promulſidis loco præmittamus, quo Lectorum animus ad majora capienda præparetur. In cap. I circa nomen Orcadum ſollicitum ſe gerit Cl. Autor, variasque deſuper conjecturas in medium affert. Conſtituit easdem ſub 22 gradu Longitud. & 59 Latitudinis in Oceano Deucaledonio & Germanico, medias inter Scotiam, a qua freto Pictlandico dirimuntur, & Schetlandicas inſulas, quarum ultima ora octodecim circiter leucas inde diſtat. Utcunque veteres diverſa de earum multitudine ſenſerint, non plures tamen nunc quam viginti ſex inhabitari, nominaque ſequentia iisdem imponi ait: *South Ronalsha*, frumenti feraciſſima, *Swinna*, prope quam duo gurgites navigantibus metuendi, *Hoy* & *Waes*, Dumna Plinii credita, optimisque portubus clara, *Burra*, *Lambholm*, *Flotta*, *Faira*, *Cava*, *Gramſey*, *Mainland*, antiquorum Pomona, omniumque maxima atque oppido *Kirckwall* conſpicua, *Copinsha*, *Shapinsha*, *Damſey*, *Inhallo*, *Stronſa*, *Papa Stronſa*, *Sanda*, *North-Ronalsha*, *Eda*, quam Ptolemæi Ocetin exiſtimat, *Rouſa*, *Wyre*, *Gairſa*, *Eglesha*, ubi S. Magnum, Protectorem harum inſularum, ſepultum eſſe perhibent, *North-Faira*, *Weſtra*, *Papa Weſtra*. Reliquas autem diſtinctis nominibus carere, incultas eſſe, atque ovium armentorumque paſtionibus ſolum deſtinari memorat. Laudat inſuper inſignem cœli temperiem ac ſalubritatem; hyemes nimboſas magis quam nivoſas, diemque longiſſimam horarum octodecim & aliquot minutarum deprehendi, obſervat. In ſequenti cap. totus in eo occupari videtur, ut Phyſiologi partes decentiſſime expleat. Hinc plantarum inibi creſcentium longum

gum catalogum texit; quare junipero, erica & myrtillo exceptis, nullæ aliæ frutices, arboresve ſylvaticæ, ſativæ autem ægre admodum, eæque maturis fructibus ut plurimum deſtitutæ, proveniant; & num rei cauſa ventis, qui fluctus marinos per frequentes littorum receſſus in terram evolvunt, aſſignari debeat; de variis item piſcium, concharum, aviumque generibus, de mineralibus, de fluminum defectu &c. accurate diſſerit. Aquilarum tantam copiam illic reperiri ait, ut ſi quis unam ſe interfeciſſe probet, gallinam e ſingulis parochiæ iſtius ædibus præmii loco capiat. Mirandum dictu, quod de viro etiamnum ſuperſtite refert: quem infantulum faſciis involutum, atque a matre paululum digreſſa in gramine relictum, aquila ex improviſo advolans in nidum portaverat, haud dubie epulum inde ſibi ſtructura, niſi vicini opportune accurriſſent, ac puſionem, ſingulari providentia divina hactenus illæſum, helluoni ſubduxiſſent. Caput tertium ſelectis Antiquitatibus conquirendis impendit, inque ejus limine ingentis ac continui ſaxi quadragoni, quod inſula *Hoy* inter præcipua oſtentat, intus faberrime exciſi, & cubili focoque ornati, mentionem facit, illudque Anachoretæ cujuſdam habitaculum fuiſſe autumat. In inſula Pomona aggerem lapideum ad inſtar pontis ſuper lacum *Stennis*, ubi maxime coit, ſtratum, atque ad ejus extimos duos fines ſpatia totidem lapidibus altiſſimis, iiſque gracilibus, circumdata in orbem extenſa videri. Exiſtimat autem loca iſta rei divinæ peragendæ victimiſque offerendis antiquitus inſerviiſſe, atque opinioni ſuæ ſuffraganeum adducit Hectorem Boethium, utpote cui Deorum templa expreſſe vocantur. Paſſim quoque inveniri obeliſcos ſtupendæ magnitudinis, ſepulchrorum aut præliorum haud incerta indicia. Varia poſthæc narrat de urnis ſepulchralibus quadratis, de fibulis argenteis in modum ſoleæ equinæ efficlis, de lapidibus figuratis, de plurimis veterum ædificiorum ruinis, aliiſque vel Romanæ vel Pictics vel Danicæ dominationis reliquiis, quæ ſingula hic aſcribere merito parcimus. Monſtro ſimile dixeris, quod de rupe quadam prope Weſtram ab Oceano circumflua accolæ referunt; in quam ſi quis ferro inſtructus deferatur, tum mare ſtatim intumeſcere, decumanos fluctus tollere, nec prius ad fluſtra redire, quam is ferrum abjecerit. Prolixus deinde eſt in cap. IV circa indigenarum mores, habitum corporis, ac longævitatem, quam tantam eſſe deprædicat, ut exempla proſtent, ubi

quis octoginta annos cum una uxore in matrimonio vixerit, alius centeſimo ætatis anno filium ſuſcipiens, ex eodem nepotes adhuc amplexus fuerit. Mulieres a fœcunditate inprimis collaudat, quandoquidem & ſexagenariæ pariant. Præter Anglicam linguam adhuc aliud idioma *Norns* cognominatum inter plebejæ ſortis homines vigere, cui multum a Pictico & Norvagico admixtum, ſicuti ex Oratione Dominica, ſpeciminis loco allata, evincit. Quæ vero ad menſurandi rationem, ad modum naufragorum bona ad littus extrahendi, ad rem pecuariam aliaque œconomica pertinent, diffuſiora ſunt, quam ut hic apponi debeant. De oppido *Kirckwall*, Cracoviaca Norvagis dicto, quod in umbilico fere Pomonæ ſitum amœniſſimo maris ſinui imminet, atque Epiſcopo, Procuratori & Vicecomiti, cæteriſque officialibus Regiis ſedem præſtat, & quomodo variis immunitatibus ac privilegiis ſenſim fuerit adauctum, in Cap. V. loquitur. In proximo vero de templo cathedrali, quod Rolandus, Orcadum Comes, in memoriam conſobrini ſui S. Magni fundaſſe creditur, ejusque ampliſſima ſtructura ſpeciatim agit. Novam Capituli erectionem ac ſacerdotiorum diſpenſationem Roberto Reidio Epiſcopo, qui anno 1544 inclaruit, deberi, reditus vero annuos Epiſcopales quadringentis libris Sterlingicis conduci ſolere, indicat. Tempus, quo Chriſtianæ fidei dogmata primitus in hiſce inſulis increbuerunt vel radices egerunt, a Noſtro in cap. VII initio ſeculi quinti tribuitur, utpote quo Palladius a Cæleſtino Papa ad Eugenium II Regem Scotiæ, regni Pelagii corruptelis infecti repurgandi gratia, miſſus fuit, qui S. Servanum Epiſcopum Orcadiæ ea occaſione conſecravit, ut ſacro-ſancta Evangelii oracula incolis illic degentibus annunciatum iret; id quod etiam feliciſſimo cum ſucceſſu fecit, continuamque a ſe Epiſcoporum ſeriem in hac diœceſi inſulari reliquit, quam tamen Autor ob inſtrumentorum defectum interruptam inducere cogitur. Ex iis, qui poſt Eccleſiam reformatam excelluerunt, primum nominat Adamum Bothwellum, virum magnæ quidem famæ & autoritatis, ſed qui Epiſcopatum cum Abbatia *Holyrood House* permutavit, illumque Roberto Stuarto, filio naturali Jacobi V Regis & Orcadicarum inſularum Comiti, ceſſit, qui deinde reditus Epiſcopales haud ſecus ac bona ſua patrimonialia collegit, & jurisdictionem eccleſiaſticam per Superintendentem obiri curavit, donec paulo poſt dignitas

Epiſco-

Epiſcopalis refloruit. Ultimo capite complectitur hiſtoriam profanam variasque mutationes, quæ prædictas inſulas in regimine politico exercuerunt. Contendit autem, primos earum poſſeſſores fuiſſe Pictos ſive Saxones e Germaniæ inferioris tractu oriundos, qui nova forte atque externa domicilia quæſituri, ad Orcades, incertum quo tempore, appulerint, ibidemque fortunarum ſuarum ſedes ſtabiliverint. Favere huic aſſerto fretum illud Pictlandicum dictum, ac nonnullas antiquarum ædium reliquias, quas *Picticas domus* incolæ appellant; Claudiani quoque calculum rem comprobare, quando canit:

Maduerunt Saxone fuſo
Orcade; incaluit Pictorum ſanguine Thule.

Suis vero Regibus initio paruiſſe putat, quandoquidem Belus, cujus nomen vetuſtus lapis adhuc oſtentet, & Ganus Orcadum Reges celebrentur; neque a vero nimis abludere, quod regium imperium duraverit usque ad A. 839, quo Kenethum II, Scoticorum Regum bellicoſiſſimum, Pictorum rebus in Scotia deſtructis, in Orcades quoque trajeciſſe, easdemque dominio ſuo aſſeruiſſe, annales memorent. Accidiſſe autem, ut ducentis & ſexaginta annis elapſis, Donaldus Banus, inſularum Regulus, diadema Scoticum invaderet, & Magno Norvagorum Regi omnes inſulas in præmium addiceret, quo ejus auxiliis in regno noviter obtento confirmaretur. Hoc pacto Norvagi Orcades non modo, ſed etiam Occidentales inſulas præſidiis ſuis occuparunt, ac detinuerunt usque ad A. 1263, quo Atho ſeu Hutingus eorum Rex infeſta claſſe in Scotiam deſcendit, ſed ingenti clade ab Alexandro III in loco, quem Largas vocant, accepta, navibusque fœdiſſima tempeſtate vexatis, cum quatuor, quæ ſuperfuerunt, ægre ad Orcades redire potuit. Ibi cum mœrore amiſſi exercitus diem ſupremum paulo poſt obiiſſet, ejus filius Magnus rebus ſuis deſperans legatos de pace ſancienda miſit, quæ tandem iis conditionibus inter utrosque Reges convenit, ut Scotus Norvago in præſentia quatuor millia marcarum argenti, in ſingulos autem annos centum marcas numeraret: Hic vero omni jure tam in Orcades & Schetlandiam, quam in Æbudas pro ſe & ſucceſſoribus ſuis renunciaret; id quod etiam literis magno ſigillo munitis ſolenniter præſtitit. Placuit quoque ſanctioris vinculi ergo iſtud annecti, ut Margarita Alexandri filia, cum per

per ætatem liceret, Hangonano Magni filio nuberet. Recuperatæ ergo hac ratione Orcades ad Scotos rediere, in feudum tamen conceſſæ Viro equeſtris ordinis Speirio Comiti Cathaneſiæ, cujus neptis Eliſabetha Wilhelmo Sinclario, ex antiqua proſapia Gallica de Sancto Clavo ſtemma ſuum derivanti nupſit, eique opulentam iſtam hereditatem in dotem attulit. Hæſit quoque in hac familia ſatis diu, donec Robertus Sinclarius contumaciæ reus illa excidit, ac Comitatus iſte, quo majores ejus una cum Dynaſtia Schetlandiæ inveſtiti fuerant, coronæ poſtliminio acceſſit. Maria vero Scotiæ Regina ſecunda vota initura cum Jacobo Hepburnio, Bodwelliæ Comite, eundem, quo dignior maritus videretur, Orcadum Ducem creavit. Poſtquam vero hic inter carceris ſqualores expiraſſet, Robertus Stuartus filius naturalis Jacobi V R. inſulas haſce cum Comitis axiomate accepit anno 1581, quibus tamen Patricius ejus filius una cum vita privatus fuit. Pignoris jure eædem ad Douglaſſios venerunt anno 1647, quo diſſoluto, anno 1669 Regis fiſcum auxere. Notat Autor, regios reditus quotannis vectigalium conductoribus elocari ſolere octingentis ſupra mille libris Sterlingicis, cum antea tribus millibus venierint; honorarium vero elogium Comitis Orcadum in præſenti gerere Hamiltonii Ducis fratrem Georgium. Coronidis loco Autor annectit diſſertatiunculam de vero ſitu Thules antiquorum, in qua rationibus eruditis ac perſpicuis rei valde ambiguæ vexatiſſimæque lucem affundere, novamque opinionem in curiam allegere laborat. Ante eum Ortelius in Norvagia, Cluverius in Iſlandia, Camdenus, in cujus caſtra Cl. Cellarius nuper quoque tranſiit, in Schetlandia Thulem locaverat; Noſtro autem non injuria viæ compendium facere, atque intra citeriores lapides inveſtigationem ſuam figere placuit. Ponit namque eandem in illa Scotiæ Aquilonaris plaga, quæ Bodotriæ & Glottæ æſtuariis modicoque terræ ſpatio a reliqua Scotia meridionali in modum inſulæ ſejungitur, quæque veteribus Caledonia, modernis Roſſa & Catneſia nuncupatur. Fundamenta aſſerto ſuo ſubſternit partim a nominum affinitate petita; ſiquidem Thule & Scotia, hæc Græcæ, illa Phœniceæ originis voces unum idemque, hoc eſt, tenebras & caliginem denotent: partim a ſingulis circumſtantiis, mirifice inter ſe conſpirantibus depromta, quales ſunt, longinquus ſitus, noctium æſtivis menſibus brevitas, reciproci iique ſibi contrarii æſtus maris,

ris, qui illud quaſi pigrum & remigantibus grave reddunt, incolarum nomen ac color, pugnandique ratio e falcatis covinis &c. partim denique a graviſſimorum autorum, Juvenalis, Statii, Claudiani, Conradi Celtis aliorumque teſtimoniis accerſita; quorum poſteriores duo Thylen Orcadibus proximam atque ab iis cinctam videri, luculentiſſime declarant. Si quiſquam adverſariorum moroſe urgeat, Thulen ab antiquis pro inſula fuiſſe habitam, adeoque minus appoſite in prædicta Scotiæ parte, quæ continens eſt, quæri poſſe; illum abire jubet ad Tacitum, qui gentes iſtas, intra muri Pictici atque æſtuariorum anguſtias conſtrictas, velut in aliam inſulam ſummotas, adeoque in ipſa Britannia terminum inventum eſſe, expreſſe aſſerit; nec non ad Bedam, cujus L. 1. c. 12. Hiſt. Eccl. Brit. verba hæc ſunt: Transmarinas autem dicimus has gentes, non quod extra Britanniam eſſent poſitæ, ſed quia a parte Britonum erant remotæ, duobus ſinibus maris interjacentibus, quorum unus ab Orientali mari, alter ab Occidentali, Britanniæ terras longe lateque irrumpit, quamvis ad ſe invicem pertingere non poſſint. Pari fere auſu Jubernam ſive Jernam, a Romanis domitam, non in Hibernia, Britannicarum inſularum ſecunda, quippe quæ nullo modo illud Claudiani epitheton, *glacialis*, meretur; ſed in eodem Scotiæ tractu ultra æſtuaria, qui Circio obvertitur & Thulen attingit, atque hodie adhuc Strathiernia vocatur, fluviumque ac lacum Jernum celebrat, conſtituendam eſſe, prolixe non minus quam ſolide oſtendit.

VETERUM SCRIPTORUM ET MONUMENTORUM Moralium, Hiſtoricorum, Dogmaticorum, ad res eccleſiaſticas, monaſticas & politicas, illuſtrandas, Collectio nova. Tomus primus. Opera & ſtudio EDMUNDI MARTENE, Presbyteri & Monachi Benedictini e congregatione S. Mauri.

Rotomagi, apud Guil. Behourt, 1700. 4. Alphab. 4.

NUmerum eorum, qui varias perluſtrare bibliothecas, deliteſcentes in eis veteres codices manuſcriptos cum blattis & tineis decertantes diligenter exquirere, inventos ſedulo perluſtrare, eaque autorum

rum priſcorum ſcripta, quæ excidiſſe credebantur, & alia antiquitatis monumenta, e tenebris tandem eruta, publicam in lucem emittere noſtro hoc ævo allaborarunt, ſua diligentia adaugere non inconſultum duxit Eruditiſſimus Martene, interque Gallos adeo iſtas poſt alios implevit partes, quas apud Italos Laurentius Alexander Zacagnius & Ludovicus Antonius Muratorius, apud Belgas Antonius Matthæus, apud Anglos Johannes Erneſtus Grabius, & apud Germanos noſtros Godefridus Guilielmus Leibnitius & Chriſtianus Franciſcus Paullini nuper admodum in ſe ſuſcepere, prout de ſingulorum opera a nobis ſatis abundeque hactenus non ſemel actum eſt. Suaſu autem celeberrimi Acherii laborem hunc aggreſſum ſe fuiſſe dicit, nec repugnare ſe velle aſſerit, ſi Spicilegium Acherianum alterum, aut Spicilegii iſtius Supplementum vocare hanc Collectionem quis voluerit, cum idem utriusque operis propoſitum, idem ordo, methodus eadem deprehendatur. Sed & e veteribus ſcriptis atque monumentis, quæ Viros eruditos hactenus latuerint, aliquot impoſterum volumina publici juris facere ſe velle pollicetur, ſi primum huncce tomum Reipublicæ literariæ haud ingratum fore intellexerit. Ut vero de illius contentis benevolo Lectori paulo conſtet dilucidius, brevem eorundem
I. recenſum ſuppeditare annitemur. In ipſo ſtatim limine occurrit *S. Orientii Commonitorium*, dudum ab Eruditis, maxime vero ab Annalium Eccleſiaſticorum concinnatore, Baronio, expetitum. Quorum deſideriis aliqua ex parte Martinum del Rio ſatisfeciſſe Noſter ait, quum reperto in manuſcripto codice Aquicinctenſi Commonitorii libro primo, tanquam invento theſauro pretioſo exultarit, eumque mox cum omnibus etiam mendis & lacunis A. 1600 typis commiſerit. Librum autem ſecundum, qui in iſta editione omiſſus fuit, aliosque ejusdem Autoris verſus de Nativitate Domini, de Trinitate, de Nominibus Domini, & duas illius orationes, ex pervetuſto codice Eccleſiæ S. Martini Turonenſis ab annis circiter 800 exarato primus nunc profert Noſter qui & plurima libri primi errata ſuſtulit, lacunasque ibi obvias ſupplevit. Quis interim qualisque dicendus ſit iſte Orientius: utrum idem cum Oreſio Tarraconenſi, ad quem Sidonius A. CDLXXXIV epiſtolam ſcripſerit, quod veroſimile videatur Baronio, an, quod velint alii, cum Oruntio, Illiberitano Epiſcopo, qui A. DXVI Concilio Tarraconenſi & ſequenti anno Gerundenſi in-

ſi interfuerit, ſibi non conſtare fatetur. Gallum certe ipſum, aut certe in Gallia agentem & anno circiter CDL florentem dicere haud veretur. Sequuntur *Acta varia in cauſa Dolenſis Epiſcopatus*, celeberrimam exhibentia controverſiam de primatu ſeu jure metropolitano, Turonenſem inter & Dolenſem Eccleſiam per trecentos & amplius annos ventilatam, cum, poſteaquam Nominoius, Britonum Dux, excuſſo Francorum jugo regium ſibi nomen ac titulum uſurpaverat, gens barbara & ſolo fere nomine Chriſtiana, proprio Rege gaudens, proprium quoque vellet habere metropolitam, Epiſcopique aliquot honorem iſtum in Dolenſem, conſiliis Nominoii aliorumque Britanniæ Principum adjuti, conferrent. Tertium locum *varia* occupant *Concilia*, quæ alicujus utilitatis eſſe poſſe duxit Noſter, tum ad illuſtrandam hiſtoriam, tum ad informandos mores. Comparent inter ea Concilium apud Bonoilum villam A. 854 celebratum, ad confirmanda præſertim Aniſolenſis monaſterii privilegia, quæ ſubvertere conabantur Epiſcopi Cenomanenſes; Viennenſe A. 1060, tempore Nicolai II Papæ, adverſus Simoniacos habitum; antiquæ Normannorum Conſuetudines & Juſtitiæ, quæ vocantur, ſub Wilhelmo, Anglorum Rege, A. 1080 confirmatæ in Concilio apud Lillebonam; Concilii Remenſis ſub Eugenio III, & Turonenſis ſub Alexandro III Canones, in editis hactenus prætermiſſi, aliaque. Concilia hæc excipiunt *Statuta Synodalia Eccleſiæ Conſtantienſis in Neuſtria*, in quibus cum plura obſervatu non indigna occurrant, tum illud imprimis conſiderandum venire monet ſolertiſſimus Collector, quod cap. 32 decernatur de faciendis hoſtiis ex frumento cum manu electo; quodque cap. 62 de extrema unctione jubeatur, ut doceant Sacerdotes, hoc ſacramentum poſſe iterari. Hinc antiqua referuntur *Statuta monaſterii S. Audoeni apud Rotomagum*; *Conſuetudines* porro *Canonicorum Regularium monaſterii S. Jacobi de Monteforti in diæceſi Maclovienſi*, e quibus facile intelligas, qualis fuerit prima Canonicorum Regularium inſtitutio, quanta vitæ auſteritas, quam dura abſtinentia, quam ſeverum jejunium, ſilentium quam ſtrictum, quam arcta ſolitudo, adeo ut a Ciſtercienſium prima vivendi ratione vix ulla in re diſcreparint. Nec minimum in hoc volumine locum occupant *Miſcellanea Epiſtolarum & Diplomatum*, inter quæ & illa habetur Epiſtola, quam Stephanus, Viennenſis Archiepiſcopus, ad Albericum, Oſtienſem Epiſco-

II. III. IV. V. VI. VII.

Digitized by Google

pum, & Sedis Apoſtolicæ in Gallia Legatum ſcripſit, cujus ope utcunque colligatur, cur in Sammarthanorum Gallia Chriſtiana nomen Stephani in Viennenſium Archi-Epiſcoporum catalogo deſideretur? quia nempe ob impoſita ipſi crimina, quibus ſeſe expurgare citatus recuſarit, depoſitus, in S. Rufi monaſterium ſe receperit. Octavum
IIX. locum tenet *Hiſtoria Archiepiſcoporum Rotomagenſium*, a Monacho fortaſſis Audoenenſis cœnobii ſcripta, ſermone metrico pariter & libero, quanquam metricum, quod nihil ſingulare contineret, doctiſſimus Martene prætermiſerit, nonnullos tantum verſus de ſubſecutis Archiepiſcopis, diverſis temporibus poſtmodum adjectos, retuliſſe
IX. contentus; cui ſuccedit *Hiſtoria everſionis monaſterii S. Florentii veteris* per Britannos & Normannos, quæ brevem recenſum primorum
X. hujus cœnobii Abbatum complectitur. Inde *Vitam S. Adjutoris ab Hugone, Rotomagenſi Archiepiſcopo deſcriptam*, quam laboribus multis fruſtra quæſitam deſideraverant Bollandi continuatores, ex autogra-
XI. pho ipſo exceptam Noſter exhibet, tandemque *Metrica Hiſtoria belli Italici per Britones ſub Pontificatu Gregorii XI, a Guilielmo de la Perene*, autore coævo, *Gallice conſcripta* Tomo huic finem imponit.

DE ANTIQUIS ECCLESIÆ RITIBUS LIBRI PRIMI pars prima & ſecunda. Studio & opera R. P. EDMUNDI MARTENE. Tomi duo.

Rotomagi, apud Guil. Behourt, 1700. 4. Alphab. 8.

UNiverſos Eccleſiæ ritus more hiſtorico repræſentare dum inſtituit, quem antea modo laudavimus, Clariſſimus Martene, totum opus quatuor in libros partiri decrevit, quibus ſingula, quæ in editis vulgo Ritualibus, libris Pontificalibus, & inſigniorum Eccleſiarum Ordinariis ſolent exhiberi, comprehendentur. Horum primo antiquos ritus *Sacramentorum*, (quotquot vulgo numerant Pontificii,) deſtinavit; ſecundus *Benedictiones ſacras* ſiſtet; tertius de variis ad *Eccleſiaſticam diſciplinam* pertinentibus ritibus diſſeret; tandemque quartus in illuſtrandis *Divinis Officiis* totus verſabitur. Ex his igitur hac vice primum modo luci publicæ exponit, ſed eum in duos rurſus tomos diviſum, in quorum priori de Baptiſmo, Confirmatione & Euchariſtia,

ſtia, in poſteriori vero de Pœnitentia, extrema Unctione, ſacris Ordinationibus,& Matrimonio agitur. Neque tamen nudam heic ſacrarum ceremoniarum narrationem ſiſtit Autor, ſed complura etiam antiquæ diſciplinæ eccleſiaſticæ monumenta, ac præcipua fidei dogmata de materia præſertim, forma, & miniſtris ſacramentorum pertractat; adeo ut non ſolis ſacrorum rituum ſtudioſis lectoribus utiles eſſe iſtos libros, ſed etiam veteris diſciplinæ ſectatores multa inde teſtimonia formandis in melius Clericorum moribus apta haurire, ipſosque Theologos enodandis illuſtrandisque de re ſacramentaria quæſtionibus, non parum lucis accipere poſſe, penitus perſuaſum ſibi habeat. In ſcribendo iſtam ſibi methodum ſervandam propoſuit, ut ea primum, quæ e diverſis Eccleſiæ Conciliis, ſummorum Pontificum decretis, ſanctorum Epiſcoporum ſtatutis, aliisque probatis autoribus collegerat, ſub certis capitibus articulisque digereret, deinde antiquos rituales libros ſubjiceret, & tales quidem, quales in veteribus codicibus manuſcriptis reperiuntur, hoc eſt, cum nævis & barbariſmis atque incongruis loquendi rationibus, in quibus aliquid mutare religioni ſibi duxit. In referendis vero ritualibus his libris id præcipue obſervavit, ut antiquiores ſemper præponeret, donec ad omnino recentiores deveniret, quo vel ex his ſacrorum rituum traditio, & factæ in iis ſubinde mutationes, facilius a quolibet deprehenderentur.

BURMANNORUM PIETAS GRATISSIMA BEATI Parentis memoriæ communi nomine exhibita a FRANCISCO BURMANNO, F. Adjiciuntur mutuæ Ph. Limburgii & Fr. Burmanni Epiſtolæ.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Guilielmi vande Water, 1701, in 8.

Conſtat 1 alphabeto & 19 plagulis.

Philippus a Limborch, SS. Theologiæ Profeſſor inter Remonſtrantes, in *Theologia Chriſtiana* anno 1686 edita Amſtelodami, quam auctam recudi fecit A. 1695, *Franciſcum Burmannum*, Theologiæ Doctorem, & in Academia Trajectina ad Rhenum Profeſſorem, in Synopſi Theologiæ (cujus editiones Acta hæc literaria præceſſerunt), dignationem & pretium autem in Scholis Academiisque, ex Jo.

 Geor-

Georgii Grævii Oratione funebri, tractationi Burmanni de Paſſione Jeſu Chriſti præmiſſa, commendavimus A. 1695) Spinozæ errores ſecutum eſſe dixerat & redarguerat. Hinc nos Theologiam illam Chriſtianam in Actis recenſentes A. 1686 ſcripſimus: *In doctrina de omnipotentia DEI contra Burmannum Spinozæ caſtra ſecutum bene diſputat.* Hæc a Limborchio primum facta, deinde a nobis geſta Eruditorum narrantibus repetita accuſatio, filium patri homonymum, *Franciſcum Burmannum*, in miniſterio eccleſiaſtico conſtitutum, Virum juvenem doctiſſimum humaniſſimumque, non parum offendit. Eam igitur *Joanni Vander VVaeyen*, Theologo Franeckerano celebratiſſimo, communicavit. Is injuriam ab amiciſſimo ſibi Burmanno defuncto depulſurum ſe ſponte recipiens, præfationi Rittangelii *Libræ Veritatis* præmiſſæ Apologiam eam adjecit. In ea, ut in Actis his anno 1698 candide recenſuimus, *Vander VVaeyen* Burmannum a Spinoſismo imputato purgat. Summa defenſionis huc redit: Burmannum prudenter verba quædam a Spinoza accepiſſe, dum errorum cardinem & nucleum ſubvertere vellet pag. 179. Huic Waeyeni Apologiæ defenſionem Limborchius oppoſuit, quam in compendio exhibuimus menſe Februario A. 1699. In qua cum priſtinam ſuam accuſationem repetiiſſet & corroboraſſet, filius Burmanni Franciſcus pietatis officio ſe teneri putavit, ad liberandum a grandi crimine Patrem ſuum. Hinc librum a ſe, & nomine Fratris quoque ſui componere, atque *Burmannorum Pietatem* inſcribere voluit. Quod noſtrum eſt, momenta vindiciarum harum paternarum afferemus.

Ea generatim *ad tria capita* reducuntur: *primo* ad factum, quod Burmanno vitio eſt datum, diſcurſum ſcilicet ex Spinoza inſtitutum. In hoc Limborchium tria ſpectaſſe ſuſpicatur Auctor ad infamandum Burmannum, ut quæſitum ſibi adverſarium & *contemtum* redderet in republica literaria, & *exoſum*, & *execrabilem*. Contemtum, quod quæ domi non reperiebat, mutua ab alio deſumſerit, ſatis negligenter; exoſum, quod non curaret, ex quo deſumeret, & ad Autoris nomen tam deteſtabile non cohorreret; execrabilem denique, qui hæc fecerit animo ſic ſatis lubenti, & Spinozæ ſcripta omnia approbante. Noſter *ad primum* regerit, Patri Synopſin conficienti licuiſſe ex aliis quædam petere, ſalva induſtriæ laude, cum, quod idem fecerint optimi autores, nemo reprehendat, & ipſe Limborchius

chius ex duobus tribusve autoribus Theologiam Chriſtianam concinnans, hanc licentiam uſurparit. *Ad alterum* duo oſtendit. Unum eſt, Spinozam in ſuis Cogitatis Metaphyſicis, ex quibus Burmannus illa petiit, dogmata, quæ pro ſuis agnoſcebat, tecte nõ inſinuaſſe, quod Limborch credidit, ſed meras Carteſii ſententias propoſuiſſe, non quas pro ſuis agnoſcebat, ſed ut earum deſiderio incenderet Carteſianos, optimates præſertim, ut tutius ſua ederentur, multa de iis jactaſſe in præfatione. Probat id, tum ex teſtimonio Meyeri præfatoris, juſſu Spinozæ nos de dote integri libelli erudientis, & ipſius Spinozæ in Epiſt. IX, tum ex ipſa ejus libelli indole, quippe fuſius explicantis ea, quæ in Commentariis ad Principia Carteſii, ex Carteſio tantum non integris translatis, brevius erant dicta. Adducere quidem Limborchium in cauſæ ſuæ præſidium phraſeologias ex Cogitatis illis excerptas, ſed quæ ipſi omnium maxime adverſentur. Etenim ex parte earum Spinozam ipſum validiſſime refutari poſſe, ex quibus triginta & ſeptem adducuntur; ex parte ſuſpectas apparere legentibus, ſed accurate expenſas, impietatem in libris poſterioribus ab ipſo traditam non continere. *Alterum*, quod oſtendit, eſt, ſi Limborchius etiam obtineret, latere in ſcriptis Spinozæ prioribus venena atheiſmi, non poſſe tamen Burmanni aut voluntatem accuſari, aut prudentiam ſuggillari, propter ſingularem ſcriptorum illorum obſcuritatem, quam ipſi Spinoziſtæ non celent, & Oldenburgius, quin immo ipſe etiam Limborch ſuo exemplo ſint experti. Ad *tertium* reſpondens arguit Limborchii inconſtantiam in accuſando probandoque, falſitatem in fingendo, & ab una conjectura incertiſſima ad aliam ſaltum. Burmannum enim non potuiſſe, quod Limborchius ſuſpicatur, ex Spinozæ Tractatu Theologico Politico locum illum petere, quod liber is ei tunc nondum lectus fuerit, nec, quæ alia adverſarii ſuſpicio eſt, potuiſſe Burmannum ex ſententia Spinozæ, quam in Cogitatis Metaphyſicis in Synopſin ſuam intulit, totam Naturam non niſi unicum ens eſſe, legitima ſequela alteram ſententiam de miraculis effluentem adoptare. Nam id dictum non eo ſenſu ibi a Spinoza accipi, quo in operibus poſthumis, nec Burmannum ſequelam ullo modo videre, immo de ea ne ſomniare quidem potuiſſe. Accedit, eidem Spinoſiſmum adeo execrabilem & exoſum, quando innotuit, fuiſſe, ut alios Theologos ad oppugnandum ſollicitarit. Atque hæc primo capite defenſionis continentur.

In

In ſecundo ejus capite *quatuor graviſſima illa religionis capita* Auctor examinat, quæ Limborchius in diſcrimen & ſuſpicionem Spinoſismi adduxerat. *Primum* eſt de rerum omnium a decretis DEI dependentia, quam ſtatuens Burmannus cum Spinoza omnem ſubvertat religionem, & fatalem introducat rerum neceſſitatem. Contra Filius Patris defenſor contendit, ex ea aliorum Theologorum Reformatorum ſententia ea incommoda non ſequi; multa de iis decretis & aliis attributis DEI ſubtiliter diſſerit; placitum autem Limborchii & aliorum opinantium, res omnes ex ſeipſis ſuam habere naturam, ut a DEO decerni potuerint aut non potuerint, opinatur ſecum ferre neceſſario abnegationem quandam providentiæ divinæ, aut ejus independentiæ, & eosdem quoque in cæteris divinis attributis ea ſentire, quæ cum veris de DEO conceptibus pugnent.

Secundum dogma eſt, totam rerum Naturam non eſſe niſi unicum ens. In hoc Burmannus, judice Limborchio, Spinozam ſine ullo judicio etiam ſecutus eſt, Atheiſmi ſui venenum, ſed paulo tectius inſinuantem. Vindex Filius propugnat, Patrem ea verba intellexiſſe ſenſu Carteſiano, quo tunc etiam Spinoza protulerit, ſcilicet, ſi omnes res creatas, ſubſtantias cogitantes extenſasve, earumque omnes diverſasque modificationes in mirifica illa ſua harmonia & analogia, quam habent ad ſe invicem, conſideres, & opponas DEI ſimplicisſimæ cognitioni, quam de ea natura habet, quoniam hæc omnia ſimul ſumta opificium DEI ſint, licet ea hoc pacto ut unum aliquod ens, ſed creatum conſiderare, cujus per conſequens una tantum erit in DEO idea, ſive decretum de natura naturata. A quo longe alius ſenſus ſit Spinozæ poſterior delirantis, totam hanc naturam ita eſſe unum ens, ut præter eam nihil ſit, adeoque nec DEUS, aut, ut DEUS ſit hæc ipſa natura, quæ jam exiſtit, ſubſtantia una & ſola, cujus res aliæ omnes ſint modificationes infinitæ. Similiter phraſin alteram, *hominem eſſe partem Naturæ*, a Patre ſuo acceptam dicit ſenſu Carteſiano, quia partem conſtituit in creata hac natura ab aliis partibus ſeparatam, & ſingulari ratione diſtinctam, quo Limborchius ipſe humanum intellectum partem naturæ creatæ appellaverit, non quomodo Spinoza deinde voluit hominem eſſe attributum & modum univerſi, ſive ſubſtantiæ illius unicæ. Nec potuiſſe ſubodorari eo tempore Burmannum, malignitatis aliquid in phraſi ea a Spinoza ex Carteſio uſurpata latere.

Sequi-

Sequitur jam *tertium* dogma de miraculis, in quo Limborchius ait Burmannum ipſiſſimam illam Spinozæ impietatem aperte & prolixe ex Cogitatis illius Metaphyſicis deſcripſiſſe, absque ullo judicio, magna impudentia & oſcitantia. Quam accuſationem depulſurus Filius Burmannus, initio ſententiam Spinozæ de miraculis exhibet, deſcribendo analyſin capitis VI ex Tractatu Theologico Politico, quod tractat de miraculis, atque mantiſſæ loco quædam ex Epiſtolis ad Oldenburgium ſcriptis annectendo. In quibus cum Spinoza miracula deſcribens opera talia, quæ revera fiunt juxta leges æternas & immutabiles, ſed quorum cauſam naturalem exemplo alterius rei ſolitæ explicare non poſſumus, vel ſaltim ipſe non poteſt, qui miraculum ſcribit aut narrat, oratione quodammodo admittat miracula, re autem vera plane univerſa tollat, & in Scripturis relata ludibrio habeat; omnes, qui Patrem ſuum norunt, exiſtimat Noſter, ab ea impietate & atheiſmo alieniſſimum fuiſſe, facile largituros. Nihilominus ad phraſeologias duas reſpondet, quas Limborchius citavit. Prior eſt, *DEUM extraordinarie agere per leges nobis ignotas.* Quinque autem argumentis adſtruit a Limborchio falſo citata eſſe Patris ſui verba, nec aliunde ea, quam ex Carteſio deſumta, quibus doceat, (quod Spinozæ contrarietur) DEI potentiam diſpeſci in ordinariam, quæ obtinet in continua rerum adminiſtratione, & in extraordinariam, quæ obtinet in miraculorum patratione: hanc tamen extraordinariam potentiam non debere cenſeri majorem priori; utrobique enim eſſe & obtinere DEI potentiam, ſed ab effectis his diverſis diverſimode appellari. Poſteriorem phraſeologiam, *miraculorum patrationem fore legum naturæ abrogationem propter ſtultitiam hominum*, ait non ita in Patris ſui libro exſtare, & alio ſenſu & ſcopo eundem uſurpaſſe, & duos præterea alios caſus adjunxiſſe, qui apud Spinozam non reperiuntur. In his prudentiam potius Patris ſui, quam imprudentiam ipſi objectam a Limborchio, conſpici poſſe contendit. Et ne plane dubitari queat, Spinozæ ſententiam de miraculis cum Burmanni verbis non convenire, utriusque verba, mentem & ſcopum confert, & coronidis loco compendium univerſæ refutationis format, qua utendum pro miraculis adverſum Spinozam putat. *Quartum* dogma Spinoziſticum, de quo Burmanni Manes in judicium vocavit Limborch, eſt de mentis immortalitate, ex duabus phraſeologiis,

logiis, una, *tota rerum Natura non eſt niſi unicum ens* ; altera, *homo eſt pars Naturæ*, quinque conſequentis elicitum. Quod Filius Burmannus ſic declinat: phraſes illas in Spinozæ ſenſu acceptas abolitionem mentis ſecum ferre, neutiquam in ſenſu Carteſiano ſupra adducto, quo Pater uſurparit.

Tertio capite de laude ſingularis moderationis, quam Limborch ſibi arrogaverat, agere deſtinaverat, cum formam hujus operis ſibi in mente repræſentaret primum, ſed quia de illa in ſuperioribus paſſim agere ipſum oportuit, hic inquirit præcipue in cauſam univerſæ injuriæ, & oſtendit moderationem ſuadere debuiſſe Limborchio, ut Burmannum plane non nominaret, multo minus cum Spinoza ſimul. Originem autem totius accuſationis derivat ex contentione, quam Limborchius ante XV annos contra Burmanni Synopſin Theologiæ excitavit, cujus indicia epiſtolas quaſdam producit Limborchii & Burmanni diſceptantium, an Religio abſolvatur mandatis & promiſſis; de tolerantia & neceſſariis ad ſalutem; de legibus Apoſtolorum privatis; de Veteri Teſtamento; de cognitione DEI innata & acquiſita; de futuris contingentibus; de perſonarum divinarum coordinatione aut ſubordinatione; de adoratione Mediatoris & Spiritus S. an Remonſtrantium πρῶτον ψεῦδος ſit Pelagianiſmus; de decretis DEI; de virtute creandi; de quinque articulis; de peccato; de convenientia Remonſtrantiſmi cum ratione, de myſteriis.

WILHELMI ERNESTI TENZELII, HISTORIOgraphi Saxonici, Supplementum Hiſtoriæ Gothanæ primum, CONRADI MUTIANI RUFI, Canonici quondam Gothani, ac inter primos litterarum reſtauratores celeberrimi, Epiſtolas plerumque ineditas, Carmina & Elogia complectens.

Jenæ, ſumtu Joan. Bielkii, 1701. in 4to. 56. plag.

MEnſe Aprili ſuperioris anni pag. 159 Hiſtoriam Sagittarii Gothanam a Tenzelio celeberrimo tunc editam recenſentes minime præterivimus, hunc quadruplex Supplementum meditari, quorum primum jam emiſit. In dedicatione & præfatione ad Lectorem prolixe memoravit, quemadmodum ante triennium Francofurti in biblio-

bibliotheca Senatus publica codicem epiſtolarum Mutiani MSctum repererit, earumque nunc excerpta dederit, Theologis, JCtis, Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, civilis, ac litterariæ cultoribus utiliſſima. Magnus enim vir Mutianus fuit, magnique æſtimatus a Friderico Sapiente, Saxoniæ Electore, & a præcipuis tunc orbis eruditi luminibus, Reuchlino, Eraſmo, Aldo Manutio, Wolffio, Agricola, Luthero, Melanchthone, Hutteno, Eobano, Spalatino, Camerario & ſimilibus, quorum omnium epiſtolæ ſubinde Mutianicis inſperſæ ſunt.

Epiſtolis præmittitur Mutiani Vita a Melchiore Adami adornata, cum annotatis quibusdam Tenzelii: unde patet, Mutianum nobili Haſſiæ familia oriundum, litteris Daventriæ & in Italia operam dediſſe, indeque reverſum in aulam quidem Principis Cattorum receptum, ſed illo vitæ genere offenſum in Thuringiam ſeceſſiſſe, & Canonicatum Gothæ adeptum totum ſe quieti dediſſe, ædibus ſatis elegantibus hoc præfixo titulo: BEATA TRANQUILLITAS. Et in atrio: BONIS CUNCTA PATEANT. Præterea omnium ſtudioſorum patronum & hoſpitem fuiſſe, in re quidem admodum tenui: mortuum denique Gothæ, rebus in Germania turbulentis, anno CIƆ IƆ XXVI, tertio Calend. Aprilis.

Epiſtolas olim quasdam Mutiani vulgaverat Joachimus Camerarius: quas omnes repetiit Tenzelius *prima epiſtolarum parte*, plurimaque aliarum excerpta dedit ex codice Francofurtenſi, quo uſus etiam eſt Bruno Seidelius, Mutiani epiſtolas inde Camerario ſuppeditans. Equidem codex ille DXXII epiſtolas complectitur, exquiſita ſtyli elegantia conſcriptas, unde arcana multa cum ad ſtatum illorum temporum publicſi in rebus ſacris & civilibus, tum ad variam doctorum hominum familiaritatem fortunamque pertinentia, abunde licet cognoſcere, & alias facere jucundas in omni doctrinæ genere obſervationes. Noſtrum non eſt ire per ſingula. Unicum dabimus ſpecimen, oculis noſtris forte oblatum, quo Mutianus epiſt. CCCLXIX anno CIƆ IƆ IX. ſcripta *in Latinam puritatem convertit dictum illud recens in ſuperbiam Venetæ expeditionis*, intellige adverſus Imperatorem Maximilianum I ſuſceptæ; quæ proverbii hujus hodienum ſatis vulgati origo neſcio an a quoquam alio ſit obſervata.

Ich gleich dein Sach der Lerchen Geſang/
Die ſchwingt ſich hoch und währt nicht lang.

Nota eſt avis, pergit Mutianus, *quæ cantillando aſſurgit, nititur, aſcendit, ubi ex ſummo terras deſpexerit, ægre conſiſtit, cito decidit. Sic mori fere ſuperbientes non diu lætantur inani titulo. præire geſtiunt. quaſi non etiam aſinus piſtoris anteambulet. Verum inflatos utres & vere moros miſſos faciamus in præſencia.* Verſus hi pauciſſimi acrem Mutiani genium ſatis produnt.

Altera pars complectitur reliquias epiſtolarum Mutiani aliunde collectas, elogiis mixtas, Tenzeliique annotationibus ſubinde illuſtratas. In quibus præ cæteris obſervari merentur ſigilla eruditorum Eobani elogiis commendata pag. 7, 8, 9. Vaticinium Cabbaliſtarum ad Fridericum Saxoniæ Electorem a Reuchlino applicatum pag. 21. Magna Friderici hujus erga Mutianum gratia, tam ipſius, quam Spalatini epiſtolis paſſim declarata. Primitiæ Lutheri ante reformationem, in *fratrum ſanctulorum* mores publice invehentis, pag. 29. & 31. cui tamen poſtea Mutianus ut accederet, moveri non potuit, quam in rem exſtat Seckendorffii epicriſis pag. 39. 40. Juſti Jonæ, celebris poſtea Theologi, ad Præpoſituram Wittenbergenſem promotio, quam ab Electore oblatam nolebat Mutianus, pag. 46. usque ad 52. Epiſtola Mutiani ad Electorem, anno CIƆ IƆ XXV ingruente ruſticorum tumultu ſcripta, & a Seckendorfio laudata pag. 75 ſqq. ſequutaque inde miſerrima Mutiani fata, cum morte demum anno ſequenti finita. pag. 79. ſqq. Idyllion Eobani in funere Mutiani pag. 83. ſqq. multis tunc celebratum. Plura hujus generis animadvertent, qui horas aliquot ad ipſum librum perluſtrandum impendere voluerint.

AUGUSTI HOFMANNI JCTI, CONSILIARII DUCALIS Saxonici, de Jure Rerum Individuarum Tractatio methodica, qua ſubtiliſſima & intricatiſſima Individuitatis materia ex genuinis juris publici ac privati principiis ſimul ac veterum & recentiorum ſcriptis ſelectioribus nervoſe ac perſpicue explicatur, cum rerum indice. Opus omnibus tam in foro quam ſcholis verſantibus utile ac neceſſarium.

**Halæ Magdeburgicæ proſtat apud Bibliopolam Orphanotrophii. Typis Johannis Gruneri Typogr. Acad. 1701. 4
Conſtat 3. alph.**

Jura

JUra rerum individuarum, frequentiori interpretũ calculo, eo loco fuere habita, ut in eorum cognitione excelluiſſe & aliis præſtitiſſe, glorioſum ſibi multi duxerint. Ludov. Bologninus iſthanc materiam omnes alias mirum in modum excedere, & aſtra tranſcendere dicit, adjiciens eum, qui (usque ad ſe) plus in ea ſe ſcire arbitratus ſit, minus intellexiſſe. Sed hanc Bolognini gloriam, quam præ cæteris, in explicanda hac materia, ſe meruiſſe credebat, dubiam reddidit accuratiſſimus Galliæ JCtus ac Conſiliarius Regius, Carolus Molinæus, qui hujus materiæ diſcuſſionem plena manu & accuratiſſimo calamo aggreſſus, ſub titulo: *Extricationes Labyrinthi Dividui & Individui*, mox in principio operis aſſerere non veretur, Bologninum, utut ampullas jactitaverit, minus tamen adhuc & deterius cæteris hanc materiam intellexiſſe, infelicius navigaſſe, & hinc, qua ſolus victor emerſiſſe putabat, turpius & vaſtius naufragium feciſſe. Nec invidiæ expers labor Molinæi fuit, cum tribus luſtris nondum elapſis, ejus tractatus alibi fuerit recuſus, *Gaſparis Caballini* nomen præ ſe ferens, ut adeo, quoties in hac materia ad Caballini autoritatem provocatur, hoc promeritis Molinæi laudibus accenſendum ſit; prout hæc, pluraque alia memoratu digniſſima, refert Illuſtris Strykius in Epiſtola ad Autorem directa, inque principio operis occurrente. Cum igitur tanta materiæ hujus & difficultas & utilitas ſit, de publico ſe bene meriturum exiſtimavit Nobiliſſimus Autor, ſi tractatione methodica eam exhiberet. Neque vero putandum eſt, quaſi Molinæus ita hoc argumentum occupaverit, ut nihil ſuperſit, quod calamo eruditorum indigeat, aut ſpeciatim in Germania addi vel aliter proponi queat. Nam Germaniæ & Galliæ diverſa plane eſt ratio, ſive ſtatum publicum, ſive leges reſpicias: hinc alii omnino caſus in judiciis Germanicis accidere poſſunt, quam qui in Gallicis contigerunt, quique adeo ſolerti evolutione adhuc egent, ceu commonuit Excellentiſſimus Strykius in epiſtola modo laudata. Præterea tantum abeſt, ut Noſter labore Molinæi fuerit adjutus, ut potius, opere ſuo jamdum abſoluto, ex bibliotheca Krulliana tractatum Molinæi, in Argentoratenſi & Guelfferbytana olim viſum, nimis ſero acceperit, & licet a capite ad calcem mox eum perlegerit, nihil tamen aut parum, quod operi huic inſeri meruerit, ſe reperiſſe, in præfatione ad Lectorem Noſter fatetur. Cæterum cum laudata Dividui & Individui jura, per univerſam Juris artem diffundan-

fundantur, rectius illa ſe proponere non poſſe, quam juxta methodum, in ſcholis juridicis unanimi fere conſenſu receptam ac approbatam, merito exiſtimavit: hinc per varia capita, ſuis iterum ſectionibus diſtincta, in *Perſonis*, *Rebus & Actionibus* eadem expendit.

Primo igitur in genere philoſophatur Conſultiſſimus Autor de Jure, Rebus, ac inprimis de Toto ejusque partibus; quam varie illud dividi queat, quisque diviſionis factæ ſit effectus, tum quid proprie Individuum in Jure dici debeat, quodque illud vel ex natura ſui, vel ex accidenti, ob diſpoſitionem ſcil. legis vel hominis, tale ſit, oſtendens. Inde ad jura rerum individuarum, in ſpecie circa Perſonas progreditur, cumque ſervilis materiæ, quæ alioquin in hac conſideratione aliquem locum explere ſolet, nulla hodie ſit utilitas, ideo ea breviſſime ſaltem indicata, utiliorem Vaſallorum, qui & ipſi ſervi Knappen aut Knechte dici olim ſueverunt, materiam ſubſtituit, prolixe non minus quam erudite perſecutus, quid circa nexum feudalem, ac ſpeciatim circa fidelitatem, juramentum, renovationem inveſtituræ, ac ſervitia, Individuum cenſeri debeat. Atque iſta quidem ad ſtatum libertatis pertinent. Poſtea ex jure Perſonarum, ſtatus civitatis ſequitur. Repræſentata igitur, fere juxta recentiorum hypotheſes, civitatis indole, qua ratione plura corpora politica vel in unum ſyſtema, ſalva ſua libertate, conjungi, vel arctiori incorporationis nexu, in unam Rempublicam compingi queant, Nobiliſſimus Autor oſtendit, doctrinamque ſuam exemplis, ex hiſtoria veteri ac recentiori, exotica & patria depromtis, eleganter illuſtrat, ſubjectis indiciis, ex quibus conjunctionem plurium corporum (etiam minorum ac ſubalternorum) æqualiter vel ſubjective factam, præſumere debeamus, declaratisque unionis effectibus, ac diviſionis Regnorum Ducatuumque incommodis, nec non variis modis, quibus diviſiones impediri ſoleant. Inde ex jure Perſonarum ſuccedit tertius ſtatus ſeu Familiæ, circa quem Noſter individuum matrimonii vinculum, cum nonnullis effectis ſpecialibus, primo conſiderat, poſtea vero prolixius individuitatem Tutelæ ratione objecti, adminiſtrationis & obligationis expendit, adeoque ſpeciatim oſtendit, quod Tutor perſonæ conſtitutus, omnibus etiam bonis, licet extra dantis jurisdictionem ſitis, datus cenſeatur, nec non, quod pluribus tutoribus datis, ſinguli in ſolidum adminiſtrare, ac peractæ vel neglectæ adminiſtrationis rationes reddere queant

& debe-

& debeant, inſperſis neceſſariis limitationibus; cumque forma reddendarum rationum in exhibitione inventarii quoque conſiſtat, ideo in quantum inſtrumentorum, probationis cauſa confectorum, fides dividua aut individua ſit, adeoque illa in judicio producta, alteri parti quoque noceant, vel proſint, amplius hac occaſione Noſter explicat. Abſoluto Perſonarum jure, ad jus Rerum, ac primo quidem Reale, pergit Doctiſſimus Autor, cumque ex receptiori ſententia, quinque ejus ſpecies ſint, hinc ſingulas ordine excutiendas ſibi propoſuit. Primum igitur locum ſubit Dominium, quod proprietatis, utilitatis ac ſuperioritatis eſſe perhibet. Illud quomodo circa res vel natura ſua, vel ex accidenti individuas occupetur, deinde ediſſerit; qua quidem in tractatione, de rebus communibus variisque acceſſionibus & pertinentiis, copioſe agitur. Hinc digreditur Noſter ad Dominium utilitatis, eoque ſub nomine, diviſibilitatem ac indiviſibilitatem feudorum bonorumque emphyteuticorum late, tam juxta leges extraneas quam domeſticas ſeu Germanicas, exponit. Superioritatis (quæ tertia dominii ſpecies erat) titulo Noſter intelligit poteſtatem Magiſtratus, ſive ſupremi, ſive inferioris & ſubordinati, cui naturaliter inſit jurisdictioq uousque igitur vel ſublimior vel ignobilior Jurisdictio, per rationes juris, dividua aut individua cenſeri debeat, varia doctrina illuſtrat. Dominium excipit ſecunda juris realis ſpecies, Servitus, cujus individuitatem tam in genere quam in ſpecie, quoad ſervitutes reales & perſonales, illarumque varia exempla, Noſter declarat, cumque illa, individui titulo, *inprimis* in jure Romano ſuperbiat, adeo ut, judice *Zaſio*, *cœlum prius rueret*, quam vel cogitatione vel intel*lectu ſervitus partes reciperet*, hinc iſta res Noſtro varios textus juris civilis abſtruſiores explicandi & illuſtrandi præbuit occaſionem, cumque etiam jus Patronatus a nonnullis ſervitus Eccleſiæ dicatur, nec non jus venandi & colligendi pedagium ei aſſimiletur, ideo & de his nonnulla attexere ipſi viſum eſt. Tertium inter jura realia locum occupat Pignus, quod non neceſſario vel vi eſſentiæ ſuæ, ſed ex contrahentium voluntate individuum eſſe, Noſter admonet, atque juxta hanc hypotheſin ejus indolem declarat, adductis diverſis pignoris varie mutati caſibus. Sic domo oppignorata, combuſta ac nova reædificata, pignus manere cenſet; idem domo collapſa, quoad cæmenta, alio licet translata, vel alii ædificio applicata, obtinere putat; ſi ex prædio

dio ſalarium debeatur, eoque nomine oppignoratum ſit, tum illo pro parte licet intereunte, hoc tamen in ſolidum deberi, arbitratur. Poſſeſſionem multi quidem numero jurium realium expungunt, ſed Noſter, omiſſa controverſia, hactenus ad ſe non pertinente, inter illa quartum locum eidem aſſignavit, ratus ejus individuitatem ex objecto, quod corporales & incorporales res conſtituunt, æſtimandam eſſe: hinc pro diverſo hujus habitu, poſſeſſionem nunc dividuis, nunc individuis rebus annumerari, amplius cenſet, ſententiamque ſuam variis caſibus in foro frequentiſſimis illuſtrat, ex quibus aliquot delibabimus. Si quis partem rei corporalis individuæ apprehendit, totam poſſeſſionem cenſetur occupaſſe; ſicut ex poſſeſſione rei principalis, annexorum inſeparabilium poſſeſſio neceſſario infertur. Si actus juriſdictionalis aliquoties ſit exercitus, tota illa juriſdictionis ſpecies, cui actus ille ſubeſt, acquiſita cenſetur. Si malæ fidei poſſeſſor nonnullas res a ſe poſſeſſas, alienas putet, ignoratis individuis, tum præſcriptio in totum impeditur. Qui præſcribit decimas in una parte agri culti, ſi alia pars inculta ad culturam quoque redigatur, cenſetur in toto præſcripſiſſe. Si quis habens juriſdictionem in univerſo, iſta ſaltem in certis capitulis uſus ſit, tunc totam retinet, nec aliqua præſcriptio opponi poteſt. Ultimum locum inter jura realia explet Jus Hæreditarium, quod uti ſua natura, ad exemplum aliorum jurium, individuum eſt, ita ex objecto aliquando diviſionem recipit. Imprimis ejus individuitas juxta ſubtilitates Romanas ſe exerit circa ſucceſſionem: nam neminem pro parte teſtatum & inteſtatum decedere poſſe, tralatitium eſt; hinc in ſucceſſione teſtamentaria inſtitutio, aditio & repudiatio heredis unius, ſolida eſſe debet, in caſu autem plurium inſtitutorum, uno vel altero deficiente, ſubſtitutio vel jus accreſcendi introducendum fuit, Noſtro illa cum debitis limitationibus fuſius declarante. Eadem etiam individuitas in ſucceſſione ab inteſtato obtinet, in cujus illuſtrationem nonnulla exempla ab eodem ſubjiciuntur. Aliquando ex libera teſtatoris voluntate eadem introducitur, quod exemplo legatorum intelligitur, in quibus ex præſumto ejus conſenſu jus accreſcendi locum habet. Diſcuſſa jurium realium, quoad diviſionem admittendam, capacitate vel incapacitate, ad jura ad rem ſeu perſonalia Conſultiſſimus Autor progreditur: in qua tractatione Contractuum prima habetur ratio; hinc de contractibus realibus, verbalibus

Digitized by Google

bus & conſenſualibus,ac quoad hos,ſpeciatim de emtione venditione, locatione conductione, ſocietate & mandato,prolixa inſtituitur disquiſitio,ex qua,ſpeciminis loco,nonnulla exempla adduxiſſe ſatis erit. Si res pluribus in ſolidum ſit commodata, ſinguli non tantum quoad obligationem ad intereſſe, ſed & primitivam, in ſolidum ſunt obſtricti. Obligatio ad pœnam conventionalem, licet objectum in ſe ſpectatum refragetur,individua eſt. In ſtipulationibus individuis, ſinguli heredes tenentur in ſolidum. Emtio venditio ex intentione contrahentium individua eſt; hinc objectum integrum regulariter eſt præſtandum, & niſi hoc fiat,contractus eſt invalidus. Res communis ab uno ſociorum, invito altero,locari poteſt, ſi pro parte id commode fieri nequeat. Ex contractu ſocii cum extraneo celebrato, ſinguli in ſolidum obſtringuntur,quamvis dubio Marte hac de re ſcriptores inter ſe contendere ſoleant. Juxta praxin fori hodiernam, plures litisconſortes,ſive agant,ſive conveniantur,communem procuratorem conſtituere debent. Ex delictis quoque jus perſonale exoritur,quod exemplo furti & homicidii Noſter præcipue illuſtrat. Apud Romanos,ſi quis partem abſtuliſſet,cum totum auferre poſſet,totius rei fur exiſtimabatur, cujus diſpoſitionis ſingularis rationem ex Stoicorum, delicta ex ſolo affectu æſtimantium,nec gradus eorum admittentium, Philoſophia repetendam eſſe cenſet, eamque ſententiam Platonis, Horatii & Senecæ teſtimoniis confirmat Noſter. Poſtea plures fures non gaudere beneficio diviſionis,licet omnes præſentes & ſolvendo ſint,contra Carpzovium, ex eo præcipue, quod condictio furtiva ſemper in ſolidum detur, evincere idem conatur. In delictis connexis ſententia abſolutoria, in unius favorem lata,alteri quoque,ex ſanctione juris civilis expreſſa,prodeſt, ex qua remiſſionem adulterii conjugi nocenti ab innocente factam,etiam alteri delinquenti,ad evitandam pœnam ordinariam,prodeſſe debere, Dd. concludunt; quam opinionem extra ditiones Electorales Saxonicas quoque receptam eſſe,autoritate Berlichii, Noſter aſſerit. Supereſt tertium juris objectum, actiones ſcil. & judicia, circa quæ cauſæ connexitas, illuſtre ſatis individuitatis exemplum ſiſtit. Oritur autem laudata cauſarum continentia,docente Noſtro,vel ex rebus, vel perſonis, vel actionibus: illius exemplum eſt in concurſu creditorum & arreſto in res, diverſis juriſdictionibus ſubjectas,acquirendo, hoc enim coram Superiore eſt

 impe-

impetrandum; quod ſi vero res in duorum Principum, privilegio de non appellando gaudentium, territoriis ſitæ ſint, tum judicia Imperii ſumma adiri poſſe, contra Mindanum Noſter negat. Ex perſonis connexitas adeſt, ſi actio realis aut perſonalis contra plures, diverſa domicilia habentes, coram judice ſuperiore inſtituatur; aſt ſi ex eadem cauſa alter hypothecaria, alter actione fidejuſſoria ſit conveniendus, tum prætextu connexitatis, ad ſuperiorem ire non licet, ceu cum Magnifico Dn. Schwendendörffero, denuo contra Mindanum Noſter aſſerit. Ex actionibus denique, ob reconventionis neceſſitatem, continentia exiſtit, & quidem de jure civili, omnibus, jure vero Saxonico, connexis tantum cauſis. Aliud individuitatis exemplum, in tertio Juris objecto, exhibet ſententia ejusque executio, ſi enim capitula connexa in judicium deducta ſint, neutra commode ſeparari poteſt, quod pluribus Doctiſſimus Autor exequitur, iſtaque tractatione toti operi finem imponit.

JOH. BERNOULLI MULTISECTIO ANGULI VEL arcus, duplici æquatione univerſali exhibita, inſerviens generali determinationi omnium Zonarum quadrabilium cycloidis.

IN *Actis Erud. anni proxime elapſi pag. 268* propoſui problema ſectionum angularium generaliter ſolvendum, quippe quod ibidem oſtendi abſolvere totum negotium pro determinandis cycloidis zonis quadrabilibus infinitis; ne ſcilicet pro ſingulis de novo ſemper recurrendum eſſet ad calculum perquam tædioſum ſane & moleſtum. Et dixi me tali univerſali formula potitum eſſe, qua ſine ullo prævio calculo angulum datum quantumvis vel multiplicare vel dividere liceat. Sperabam hinc id nonneminem excitaturum, qui in re ardua adeo & ab omni ævo deſiderata aliquid eſſet præſtiturus, ut ex junctis noſtris operis commune ſtudium tanto majorem caperet fructum. At vero aliud nihil prodiit, niſi quod diceretur, *Problema ſectionis angularis in ratione determinata numeri ad numerum algebraicum eſſe, ſed indefinite in data ratione quacunque tranſcendens.* Verum utique hoc eſt. Interim nihil impedit, quominus tamen generalis dari poſſit æquatio, vel ſi mavis formula, quæ pleniſſime complectatur ſolutionem

nem problematis indefinite propoſiti, & quæ in caſu determinato aliud nihil requirat, quam nudam & extemporaneam terminorum ſubſtitutionem, qualem utique omnes hujusmodi generales formulæ requirunt, ut vel ex ipſa radios oſculi curvarum algebraicarum determinandi methodo patet, cujus æquatio indefinite ſumta etiam eſt tranſcendens, licet in caſu determinato ſit algebraica. Ita quoque poteſtas indefinita binomii eſt tranſcendens; an ideo non per ſeriem exprimi poteſt, quæ doceat modum generalem, poteſtatem numerica quamcunque datam e veſtigio & ſine prævio calculo exhibendi? Talem itaque formulam ego requirebam pro indefinita multiplicatione & ſectione arcus: en autem nunc geminam, cujus priorem una cum demonſtratione jam ab aliquo tempore cum Illuſtr. *Marchione Hoſpitalio* communicavi, quæ hæc eſt:

Sit radius circuli = 1, ſubtenſa arcus dati = a, ſubtenſa ejus complementi ad ſemicirculum = $\sqrt{4 - aa}$ = (brevitatis gratia) b, ſubtenſa arcus multipli ſubmultiplive = x, ſubtenſa ejus complementi ad ſemicirculum = $\sqrt{4 - xx}$ = (brevitatis gratia) y; numerus multipli ſubmultiplive = n; dico fore pro arcu multiplicando,

$$x = ab^{n-1} - \frac{n-2}{1}ab^{n-3} + \frac{n-3,n-4}{1,2}ab^{n-5} - \frac{n-4,n-5,n-6}{1,2,3}ab^{n-7} + \frac{n-5,n-6,n-7,n-8}{1,2,3,4}ab^{n-9} \;\&c.$$

& pro arcu dividendo ſeu ſecando x = radici hujus æquationis

$$a = xy^{n-1} - \frac{n-2}{1}xy^{n-3} + \frac{n-3,n-4}{1,2}xy^{n-5} - \frac{n-4,n-5,n-6}{1,2,3}xy^{n-7} + \frac{n-5,n-6,n-7,n-8}{1,2,3,4}xy^{n-9} \;\&c.$$

cujus progreſſionis natura per ſe manifeſta eſt, & ex uniformitate facile patet quomodo ſit continuanda; continuari autem debet, donec ad terminum perveniatur, cujus coëfficiens abeat in nihilum; talis autem aliquis ſemper erit in progreſſione, cum ut hic ſupponitur, per *n* denotetur numerus integer: Sit ex. gr. *n* = 5, habebit progreſſio terminos tres, adeoque erit x ſeu ſubtenſa arcus quintupli = $ab^4 - 3abb + a$, & x ſeu ſubtenſa arcus ſubquintupli æqualis radici hujus æquationis $a = xy^4 - 3xyy + x$, & ita de cæteris.

Ecce nunc alteram formulam univerſalem. Dico itaque (retentis iisdem litteris, ſed jam diametro ſumta pro unitate) haberi pro arcus multiplicatione $x = nab^{n-1} - \frac{n,n-1,n-2}{1,2,3} a^3 b^{n-3} + \frac{n,n-1,n-2,n-3,n-4}{1,2,3,4,5} a^5 b^{n-5} - \frac{n,n-1,n-2,n-3,n-4,n-5,n-6}{1,2,3,4,5,6,7} a^7 b^{n-7}$ &c. vel etiam, ſi magis arridet valor ipſius y, erit $y = b^n - \frac{n,n-1}{1,2} a^2 b^{n-2} + \frac{n,n-1,n-2,n-3}{1,2,3,4} a^4 b^{n-4} - \frac{n,n-1,n-2,n-3,n-4,n-5}{1,2,3,4,5,6} a^6 b^{n-6}$ &c. Et pro arcus diviſione ſeu ſectione dico eſſe x = radici hujus æquationis $a = nxy^{n-1} - \frac{n,n-1,n-2}{1,2,3} x^3 y^{n-3} + \frac{n,n-1,n-2,n-3,n-4}{1,2,3,4,5} x^5 y^{n-5} - \frac{n,n-1,n-2,n-3,n-4,n-5,n-6}{1,2,3,4,5,6,7} x^7 y^{n-7}$ &c. vel etiã (quod tantundem eſt) x = radici hujus æquationis $b = y^n - \frac{n,n-1}{1,2} x^2 y^{n-2} + \frac{n,n-1,n-2,n-3}{1,2,3,4} x^4 y^{n-4} - \frac{n,n-1,n-2,n-3,n-4,n-5}{1,2,3,4,5,6} x^6 y^{n-6}$ &c. Sumamus iterum in exemplum $n = 5$, erit x ſeu ſubtenſa arcus quintupli $= 5ab^4 - 10a^3bb + a^5$; & x ſeu ſubtenſa arcus ſubquintupli = radici hujus æquationis $a = 5xy^4 - 10x^3yy + x^5$; vel etiam = radici hujus æquationis $b = y^5 - 10xxy^3 + 5x^4y$; quæ omnes ſi conferantur cum iis, quæ per priorem formulam ſunt inventæ, attendendo quod illæ habeant radium, hæ vero diametrum pro unitate, elegans ubique obſervabitur conſenſus. Lex hujus poſterioris progreſſionis etiam per ſe patet, ſunt enim coëfficientes iidem, qui in binomii poteſtate *n*, ſed alternatim ſumti, alternantibus etiam ut in priori ſignis + & —.

Quanquam alias hæc poſterior formula quantum ad expreſſionem nonnihil prolixior videatur priore, eidem tamen præferenda eſt; quippe quæ ſeſe extendit ad numeros *n* non integros modo ut prior (quod quidem ad Zonas quadrabiles infinitas jam ſufficit) ſed etiam ad fra-

ctos,

ctas, imo & ad ſurdos quovis, quibus in caſibus progreſſiones degenerant in ſeries infinitas ſummarũ finitarum; adeo ut jam facile ſit exhibere ſeriem compoſitã ex terminis pure cognitis, quæ exprimat radicem æquationis pro quavis ſectione anguli vel arcus; nam angulum vel arcum datũ ſecare in partes *n*, tantundem eſt ac eum multiplicare per 1 : n; ideoque ſi in generali progreſſione pro multiplicando arcu

$$x = nab^{n-1} - \frac{n,n-1,n-2}{1,2,3} a^3 b^{n-3} + \frac{n,n-1,n-2,n-3,n-4}{1,2,3,4,5} a^5 b^{n-5} \&c.$$

ſubſtituamus 1 : n loco *n*, orietur ſeries infinita terminorum pure cognitorum, cujus ſumma per conſequens erit radix hujus æquationis

$$a = nxy^{n-1} - \frac{n,n-1,n-2}{1,2,3} x^3 y^{n-3} + \frac{n,n-1,n-2,n-3,n-4}{1,2,3,4,5} x^5 y^{n-5} \&c.$$

pro generali arcus ſectione. Eodem modo ſi loco *n* ſubſtituatur √n vel √1 : n (intelligo per √ latus cujusvis gradus) prodibit ſeries determinans ſubtenſam arcus habentis ad arcum datum rationem datam, quamvis ſurdam. Quæ omnia hactenus magnæ fuerunt caliginis; qua enim alia via arcus inter ſe incommenſurabiles pro datis numeris ſurdis determinari queant, non video.

Ut nunc redeam ad Cycloidis Zonas quadrabiles, patet ex ſupra dictis, quomodo infinitæ tales ſimul poſſint algebraice deſignari. Dico *algebraice*; qui enim ad eas determinandas utitur curva quadam tranſcendente, ſane is non plus præſtitit, quam qui quadraturam circuli ex ſuppoſita peripheriæ rectificatione ſe inveniſſe gloriaretur. Et hoc ſenſu nullum non ſpatium (nedum Zona) Cycloidis eſt quadrabile. Sit enim ſemiſegmentum quodcunque AIB (vid. Fig. I, Tab. X, Act. Lipſ. an. 1700) erit illud ſemper æquale rectang. ſub AI & IB, minus rectang. ſub ½ AH & LB, plus triang. HIL. Hoc ipſum vero non vocatur *quadrare*, quoniam lineæ IB, LB, licet rectæ, non tamen ſunt ſub poteſtate algebraica, ſeu non habent relationem ad AI, HI algebraice exprimibilem. Non minus vice verſa, ſi aliqua ex areis Cycloidicis ut Zona KDBI ſit algebraice quadrabilis, quamdiu tamen illa aliter non determinatur quam per interſectionem curvæ alicujus tranſcendentis OSP & rectæ RS; id certe non eſt nodum ſolvere ſed magis intricare; facilius quippe intelligitur (huc enim redit) quod dixi in eod. Actorum anno pag. 267 ſub finem, ſcilicet ſumtis duobus ſinibus KM, IL, quorum diſtantiæ a puncto

medio P inter A & H ſint reciproce proportionales ipſorum arcubus AM, AL; Zonam KDBI tunc exiſtere quadrabilem, utpote æqualem triangulis rectilineis & algebraicis HAL+IAL—HAM—KAM, in hoc unico tota res verſatur. Quomodo vero hujusmodi ſinus eam conditionem habentes univerſali formula ſint exprimendi, proponebam quidem, & ſolutionem aliquam expectabam, ſed fruſtra. Interim genuina nunc clare patet ex noſtris arcuum multiplicandorum & ſecandorum formulis ſupra allatis.

Eſto ſecundum priorem radius $AH = 1$, arcus AM ad arcum AL ut 1 ad *n*, ut PI ad PK; & ſit $AK = z$, adeoque $PK = \frac{1}{2} - z$, $PI = \overline{\frac{1}{2} - z} : n$, & $AI = \frac{1}{2}n - \frac{1}{2} + z : n$, unde $AM = \sqrt{2z}$ & $AL = \sqrt{,n-1+2z:n}$. ſic igitur ſi in formula priori $x = ab^{n-1} - \frac{n-2}{1}ab^{n-3} + \frac{n-3,n-4}{1,2}ab^{n-5} - \frac{n-4,n-5,n-6}{1,2,3}ab^{n-7}$ &c. pro x; a; & b; ponantur valores $\sqrt{,n-1+2z:n}$; $\sqrt{2z}$; & $\sqrt{4-2z}$; prodibit æquatio generalis infinitas ſimul determinans Zonas cycloidicas algebraice quadrabiles, pro ratione unitatis ad numerum, ita ut in particularis caſus applicatione nuda tantum ſubſtitutione terminorum ſit opus. Eſto loco exempli ut ante $n = 5$, ergo ſubſtitutione e veſtigio facta habetur $\sqrt{,4+2z:5} = 5-10z+4zz\sqrt{2z}$, cujus ergo radix z oſtendit, quanta ſit abſcindenda AK, ut facta KP ad PI ut *n* ad 1, Zona KMLI fiat quadrabilis.

Haud aliter in formula poſteriori $x = nab^{n-1} - \frac{n,n-1,n-2}{1,2,3}a^3b^{n-3} + \frac{n,n-1,n-2,n-3,n-4}{1,2,3,4,5}a^5b^{n-5}$ &c, ubi tota diameter ponitur $= 1$, ſi pro x; a; & b; ponantur valores, qui jam ſunt $\sqrt{,\frac{1}{4}n-\frac{1}{4}+z:n}$; $\sqrt{z}$; & $\sqrt{1-z}$, orietur iterum generalis æquatio pro infinitis Zonis cycloidicis quadrabilibus ſimul determinandis, quæ in applicatione ad exempla aliud nihil requirit, quam nudam terminorum ſubſtitutionem: ſic in eodem exemplo $n = 5$, proveniet ſtatim $\sqrt{,1+z:5} = 5-20z+16zz\sqrt{z}$, quæ manifeſte eadem eſt cum modo inventa, ceu facile apparet, ſi pro unitate diametri ſurrogentur duæ unitates radii; & pro quadrato illius, quatuor quadrata hujus.

Atque

Digitized by Google

Atque de his ſatis. Qui noſtrarum formularum univerſalitatem examinare volet, tentet id in variis aliis caſibus ſpecialibus, præterquam in jam allatis, quos communi via indagare facile eſt: in ipſum vero inventionis artificium curioſius inquirendum non eſt, quod nonneminem invitem, ſufficit (ſi non harum) ſi ſaltem ſimilium dederit demonſtrationem; hoc ergo tanquam problema etiamnum ſibi propoſitum habeat.

Quod ſupereſt, de inveniendo ſectore ſolido cycloidico habente centrum gravitatis ſub poteſtate algebraica, quem propoſui in *Actis anni 1700 pag. 269*, agnoſco facile problema eſſe magis prolixum quam arduum; quomodo enim arduum eſſe poſſet, poſtquam methodum ipſam ibidem jam aperui; verum ob ipſam ſolam prolixitatem propoſui, ut hac ratione me per alium examinarem exploraturus, num forte in calculum meum error irrepſiſſet. Interim ſolutio data in *Actis anni ejusdem pag. 552*, non ſatisfacit, quamvis contineatur in æquatione ad quam pervenitur. Hoc ne mireris: eſt enim ex numero earum, quæ præter radices utiles, etiam inutiles, ſeu problemati non ſatisfacientes continent, quas niſi probe diſcernant analyſtæ, facile nubem pro Junone captant. Ut ergo nunc dicam quod res eſt; calculo meo iteratis vicibus reviſo & examinato, nullum errorem in eo commiſſum deprehendi, at ſequeſtratis peculiari modo radicibus inutilibus, remanſere duæ utiles, ſed imaginariæ ambæ, quæ continentur ſub hac æquatione $xx - 8ax + 24aa = 0$ ſumendo x pro diſtantia verticis cycloidis ab amplitudine maxima ſectoris, dum interim y ſeu diſtantia apicis ſectoris a ſua maxima amplitudine determinatur per hanc æquationem $3yy - 6ay + 8xy = 12ax + 6xx = 0$, adeo, ut ſecundum abſtractam analyſin problema quidem ſolvi poſſit, at ſecundum Geometriam & abſolute loquendo nullus omnino detur realis ſector ſolidus cycloidicus, cujus centrum gravitatis determinetur per quantitates pure algebraicas.

EPISTOLA ad AMICUM DATA BEROLINI d. 19. Oct. A. 1700.

* * * * * *

Novam a Sereniſſimo Potentiſſimoque Electore Brandenburgico, Eodemque hodie Boruſſiæ Rege, Societatem promovendis ſcientiis bonis-

niumque artibus atque litteris, Berolini ſuperiore anno eſſe conditam, norunt omnes: aſt inſtituti rationem genuinam, ordinemque & quæ huc ſpectant cetera, paucis hucusque exactius licuit cognoſcere. Itaque cum nuper admodum Epiſtolam ab Amico quodam nacti ſimus (quam mallemus quidem citius ad manus noſtras perveniſſe) Berolino Halam Magdeburgicam ad Virum Ampliſſimum Dn. Wittium *Conſiliarium Regium pridem perſcriptam, qua res omnis accurate ſatis enarratur, integram eam una cum Diplomate Electorali huc tranſcribendam vel hoc nomine duximus, ut omnes intelligant, quanta veneratione tanti Principis in literas & literatos ſtudium plane inuſitatum proſequi debeant.*

Epiſtola ipſa hæc eſt, quam diploma immediate ſequetur.

EGo vero Tuas, Vir Nobiliſſime, literas accepi, quibus a me Tuo & amicorum Tuorum nomine petiiſti, ut ad te perſcriberem, verane ſint nec ne, quæ de nova ſapientiæ & optimarum artium officina in auguſtiſſimo theatro, id eſt, in conſpectu Deorum Penatium aulæ Brandenburgicæ conſtituta & fundata, ad vos fama pertulit. Atque ſi ita res ſe habeat, ſimul ſciſcitaris pro incredibili illo ſtudio, quo Reip. literariæ decus, dignitatem, commoda, & incrementa ſoles proſequi, quænam præclariſſimi inſtituti ratio ſit, quam late pateat, quem ſibi finem, quem ſcopum nova iſta Scientiarum, uti vocant, Societas habeat propoſitum; quibus denique fundamentis, legibus, præſidiis aut adminiculis nitatur. Itaque mearum partium eſſe duxi, ut pro ea, quæ inter nos intercedit amicitia, multorum annorum uſu confirmata & corroborata, Tuæ tam laudabili cupiditati hac in parte ſatisfacerem: atque Te, quoad ejus fieri poteſt, breviſſime de naſcentis illius Collegii primordiis ac rationibus edocerem: præſertim, cum Te, Vir Nobiliſſime, ab ineunte ætate bonis artibus deditiſſimum fuiſſe conſtet, ac etiamnum amœnis eloquentiæ & politiorum literarum ſtudiis occupationum auſteram ſeveritatem ſoleas temperare quodammodo & mitigare. Cujus rei, ut alia omittam documenta, fidem faciunt epiſtolæ Tuæ, ad Viros illuſtres & eruditos ſubinde perſcriptæ, Romana lingua, atque terſo illo, puro & caſtiſſimo orationis genere exaratæ, quod ut erat abhinc ſeſqui ſeculo, id eſt, ſtatim a renatis litteris, in Italia, in Gallia, & in ipſa quoque Germania frequentiſſimum, non ſine immortali beatiſſimi ſeculi gloria, ita nunc fere magno

malo

malo publico & cum incredibili temporum noſtrorum labe & dedecore negligitur, & ſi a paucis diſceſſeris, Viris bene ſcribendi laude florentiſſimis, in contemtu jacet & ſqualore.

Ac primum quidem omnium, ut in viam redeam, neminem puto eſſe tam expertem rerum noſtrarum, aut quæ ad ſplendorem rei litterariæ pertinent, incurioſum, ut ignoret, FRIDERICUM III Electorem Brandeburgicum, quum ipſe a teneris unguiculis ſapientiæ ſtudiis & artibus, tanto natalium ſplendore & excelſæ fortunæ faſtigio dignis, inprimis caperetur aut delectaretur, nec in iis pœnitendos progreſſus feciſſet; id ſcilicet, ex quo rerum potitus eſt, negotii ſibi divinitus datum eſſe exiſtimaſſe, ut cum omni ratione ſaluti, commodis ac felicitati ſuorum populorum pro ſua providentia atque inſita benignitate conſuleret, tum vero ut ingruentem barbariem a ſuis finibus longe lateque patentibus pro ſua ſapientia propulſaret: evocatis undique viris eruditionis, prudentiæ, virtutis aut ſingularis cujusdam ſcientiæ laude celeberrimis, iisque omnibus honoris, dignitatis & commodorum ornamentis cumulatis. Igitur in munificentia ac liberalitate iſtius Herculis Muſagetæ non modo viri docti & in omni diſciplinarum genere cum egregia laude verſati, ſed architecti etiam, ſtatuarii, plaſtæ, pictores, ſculptores, cælatores, variarum & publice utilium machinarum inventores & effectores, ac ut in pauca rem conferam, omnes ad unum artifices nec non opifices eximii conquieſcunt. Quis neſcit, Sapientiſſimum Principem etiam tum, quum atrociſſimo bello tota pene Europa arderet, & Brandenburgicæ legiones victricia arma longe lateque circumferrent, pacis artes usque adeo non neglexiſſe, ut fere ſolus triſtes ea tempeſtate Camœnas reſpiceret? Quid quod inter armorum ſtrepitum & tubarum clangorem trepidis ac profugis Muſis perfugium in ſuis terris præbuit; condita & ſolenni ritu inaugurata Hallenſi Academia? quam nunc eſſe amœniſſimam Muſarum & Gratiarum ſedem ac florentiſſimum honeſtiſſimarum artium mercatum conſtat, Tibique maxime notum eſt, qui ampliſſimo in illa Muſarum ac virtutum altrice urbe munere fungeris. Ac ne quid ad ſummum ſtudium, quo non tantum omne doctrinæ reconditæ genus, ſed etiam cunctas artes, in quibus aliqua vel utilitas, vel elegantia, vel jucunditas ineſt, complectitur, reliquum faceret Optimus Princeps, paulo poſt

præſtantiſſimam illam Architecturæ, Picturæ, atque Sculpturæ Academiam Berolini, hoc eſt, in principe imperii ſui urbe, excitavit, & nullis non præſidiis ac commodis inſtruxit & ornavit.

Hæc ego ideo pluribus verbis, Vir Nobiliſſime, commemoro, non quod ea abs Te ignorari putem, aut Tibi ex animo excidiſſe, ſed quod uterque noſtrum in prædicandis laudibus Auguſti Heri noſtri, libentiſſime verſamur: et ut ſimul amici Tui intelligant, quibuscum hæc communicare collibuerit, nemini debere mirum videri, ſi parta jam pace Optimus Princeps ad fovendam & ornandam rerum divinarum atque humanarum ſcientiam majori quadam animi incitatione & alacritate incumbit. Quamobrem, quod felix fauſtumque ſit, decrevit Sereniſſimus Elector ipſo die ſuo natali, dulces ante omnia Muſas in ſuum quaſi contubernium recipere; ut ejus exemplo ad illas rite & religioſe colendas ad unum omnes bonæ mentis ſtudioſi homines eo magis excitarentur: nova iſta, de qua initio mentionem feci, Scientiarum Societate inſtituta & fundata Berolini. Atque ad hoc tam præclarum & ſalubre conſilium capiendum eo facilius permoveri ſe paſſus eſt Princeps Opt. Max. quod in tam magnis & late patentibus ſuæ ditionis provinciis, in tanta virorum ingenio & doctrina præſtantium copia, & in iſta legatorum ac miniſtrorum, qui juſſu ejus, ſumptibus & auſpiciis, in plerisque Europæ aulis commorantur, frequentia, ac in tanta denique longinquarum navigationum commoditate, quum in remotiſſimas etiam Africæ & Americæ oras naves Brandeburgicæ, commerciorum cauſa, vela faciant, ei ad tam laudabile inſtitutum feliciter exequendum, & ad infinitas res, cognitu digniſſimas, detegendas atque in lucem proferendas, ea ſuppetunt eximia ſubſidia & adminicula, quæ alibi, ſaltem apud Germaniæ noſtræ Principes, haud facile conjuncta inveneris.

Cæterum quæ de occaſione iſtius inſtituti, de ortu Societatis, de ejus rationibus, & ad quem collineat, ſcopo ſcire cupis, ea Tibi, Vir Nobiliſſime, quod hiſce litteris adjeci, Diploma Fundationis indicabit quidem & aperiet, ſed quæ in eo univerſe & generatim expreſſa continentur, ea uti ex quibusdam illius Collegii Membris, viris clariſſimis ac de Rep. in ampliſſimis, quibus funguntur, muneribus optime meritis cognoſcere datum, copioſius & ſigillatim ſuo quæque ordine, conſignata reperiuntur litteris ac codicillis, quibus totius inſtituti præfinita quæ-

ta quædam ratio, & peculiaria, quæ Societati Elector nominatim dedit, mandata comprehenduntur. Inſtituti autem hujus campus, ut ita loquar, latiſſime patet. Etenim ſuo ambitu ac ſuis quaſi finibus non univerſam modo Matheſin cum Mechanica, Philoſophiam naturalem, & verſantes circa tria, uti vulgo vocantur, naturæ regna diſciplinas; ſed Antiquitates etiam & eas litteras, quæ ab humanitate nomen acceperunt, Hiſtoriam quoque Civilem & Eccleſiaſticam, Germaniæ maxime, & quæ in ditione noſtri Principis ſunt terrarum complectitur. Quia vero mentem juxta & mentis interpretem linguam juvat uno eodemque tempore excolere, atque adeo cum Philoſophia germanam eloquentiam conjungere, Teutonicæ quoque linguæ juvandæ, emendandæ ac perpoliendæ, imprimis habebitur ratio a Societate Electorali. Quæ ad ſummam curam & contentionem animi nihil quidquam faciet reliquum, ut præclariſſimum inceptum & ſaluberrimum inſtitutum optatus eventus conſequatur & ſucceſsus. Atque eo conſilio ad propaganda & amplificanda ſapientiæ & optimarum artium incrementa omne ſuum ſtudium Societas conferet, eruendæ ubique veritati, colligendis, deſcribendis, examinandis, augendis quin & excogitandis ac indagandis novis inventis, & quæ ad illa pertinent, continuis meditationibus, experimentis, collationibus ac litterarum inter abſentes commerciis inſtituendis, mittendis denique in longinquas oras idoneis hominibus; certe omni ope nitetur oſtendere, nihil ſibi antiquius eſſe bono publico, & eximia quadam de genere humano bene merendi cupiditate. Intelligis vel me tacente, Vir Nobiliſſime, ampliſſimum eſſe ac longe lateque patens, in quo decurrere illa aggreditur, ſtudium: nec optatam eam curſu metam poſſe contingere, niſi Societatis induſtriam & alacritatem Potentiſſimus Princeps ſuo præſidio tueatur, ac ſua benignitate ipſius rationibus proſpiciat. Noluit autem Sereniſſimus Elector, quæ ejus eſt bonitas & in nobiliſſimarum artium decus & incrementa generoſa voluntas, etiam hac in parte bonæ mentis ſtudioſis deeſſe. Igitur decrevit tutelam ac patrocinium Societatis Ipſe ſuſcipere, & in recenti hac, ſi fas eſt ita loqui, litteraria Republ. principatum animi cauſa, ac dictaturam perpetuam tenere. Jamque turrim ſpeculatoriam ad conſideranda & contemplanda aſtra, eorumque motus ad

Digitized by Google

certiorem rationem examinandos, ædificari ſuis ſumptibus juſſit. In eo quoque loco, qui & magnas & plurimas opportunitates habet, Bibliothecam reliquamque ſuppellectilem inſtrumentorum, machinarum aliarumque rerum neceſſariarum collocare Societas conſtituit. Atque ut ne quid ad ſummam benignitatem deeſſet, certis reditibus Societatem naſcentem Benigniſſimus Princeps ornavit & locupletavit. Incredibilem igitur magnitudinem animi & beneficentiam Opt. Principis quum condignis efferre laudibus Societas non poſſit; eam ſcilicet referendæ gratiæ rationem inibit, ne ſuam in tuenda & ſuſtentanda expectatione Maximi Principis diligentiam, operam & fidem quisquam requirat: ſed ut potius uberrimum e tanto beneficio fructum gloriæ & utilitatis Auguſtisſimus Fundator percipiat, pro virili parte elaborabit.

Jam vero quod attinet ad ſtatum & conditionem præſentem ipſius Societatis, ſcito, Vir Nobilisſime, eam conſtare e Præſide, Conſilio & reliquorum Sociorum ordine, quos Membra vocamus. Eſt quoque Societati Vir idoneus a ſecretis & rationibus; adjunguntur q; & operam navabunt alumni aliquot adoleſcentes egregiarum artium ſtudioſi, ut quoddam quaſi ſeminarium virorum ingenio & doctrina clarorum perpetuo ſuppetat. Præſidis munere fungitur Vir Illuſtris, Godofredus Guilielmus Leibnitius, qui eſt Sereniſſimo S. R. I. Novemviro Brunſvicenſi in ſupremo tribunali a conſiliis intimis. Viri incomparabilis verisſimas laudes commemorare hoc loco ſuperſedeo: quum vaſtisſima ejus eruditio, qua non ſolum juris civilis ac publici ſcientiam, & rei antiquariæ, hiſtoriarum & humaniorum litterarum cognitionem, ſed & ad unam omnes Mathematicas diſciplinas ac ſublimiores illas atque a vulgi captu & intelligentia remotas doctrinas complectitur, non ſolum toto orbe litterario ſit celeberrima & immortalitati pridem conſecrata; ſed etiam ſcriptis cedro dignis & mirificis in re præſertim Mathematica inventis, divinoque illo ardore mentis, quo ad illuſtrandas & amplificandas egregias artes & ſcientias rapitur litterarum litteratorumque ſummus fautor & exiſtimator, tam præclaram conſecutus ſit famam & tam celebre nomen, ut noſtra prædicatione aut teſtimonio nequaquam videatur egere. Atque his tam excellentibus tanti Viri dotibus ingenii & ornamentis ſapientiæ adductus Elector noſter, e re & ex dignitate ſuæ Societatis

cietatis eſſe judicavit, ut eum moderationi totius Collegii præponeret. Eam igitur præfecturam & abſens geret Leibnitius Vir illuſtris, & præſens, quum identidem ad iſtam ſpartam ornandam huc excurret.

Conſilium Societatis, in quo is, quem ſupra demonſtravi, Præſes quoque numeratur, conſtat ex iis viris, quorum in jaciendis hujus Societatis fundamentis, & in ea conſtituenda ac ſtabilienda Societate ſingularis cura, opera & præcipuus labor enituit. Conſilii partes ſunt, ut provideat, ne quid detrimenti Societas Scientiarum capiat: atque ad ejus ſtatum non modo ſartum tectumque conſervandum, ſed & omnibus, quibus poteſt ornamentis & commodis illuſtrandum & cumulandum ſuas curas & cogitationes conferat. Reliqui Societatis Collegæ, quique ſe iis, qui conſilio vel interſunt vel præſunt, adjungere ſocios honeſtiſſimi in perpoliendis artibus ac ſcientiis laboris geſtiunt, partim in urbe principe & Electorali ſede, partim in aliis Brandeburgici juris terris, ad operas conferendas deliguntur: inter quos mercedes nonnullis & ſtipendia annua, eaque ſatis luculenta, ſunt conſtituta. Quin etiam e peregrinis complures præclaros viros, ſeu quia id nominatim expetunt, ſeu quia propter ſingularem ingenii, doctrinæ & virtutis opinionem Societati ornamento eſſe ac ad illuſtrandas augendasve ſcientias ſingularem & eximiam operam conferre poſſunt, ultro in eum ordinem allicere & adſciſcere Societas inſtituit. Cæterum diplomata cooptationis ad ſingulos, quorum habebitur ratio, mittere ad hoc usque tempus Societas noluit, nec potuit, propterea quod nondum iis uti ac frui opportunitatibus poteſt, quæ ad conventus ſolennes celebrandos, ad aſſervanda inſtrumenta, ad collocandam Bibliothecam cæteramque ſuppellectilem litterariam, ad colligenda & ſuo quæque loco diſponenda fœcundæ & ingenioſæ naturæ miracula & exquiſitas nec ubivis obvias delicias, ad officinam denique Chymicam inſtituendam neceſſariæ ſunt & accommodatæ. Nam cujus ſupra mentionem feci, turris ſpeculatoria, etſi ædificari cœpta ſit, non niſi proximo anno perfici poterit. Id tamen nunc agit Societas, ut loco publico & commodo, in quo cœtus ac conventus agi interea temporis queant, potiatur. Quæ cum ita ſint, ſatius eſſe duxit Societas, diplomatum ad ſingulos mittendorum conſilium in illud tempus

Digitized by Google

differre, quo ei ſolutiora & expeditiora omnia futura ſunt: id quod brevis temporis ſpatio, adſpirante cœptis divino Numine, fiet. De tractatione ſcientiarum nulli adhuc conventus ſunt celebrati, ſed ſatis habet Conſilium Societatis, ſi in loco privato, ſtatis tamen temporibus conveniat, ut de iis rebus, quæ ad informandam ulterius & deſcribendam totius Collegii formam, ejusque rationes, dignitatem, decus & commoda conſtituenda ac novis acceſſionibus augenda pertinent atque requiruntur, communi conſilio agat, atque adeo univerſæ Societatis ſtatum rite prudenterque ordinet atque componat. Quibus rebus peractis fiet, ut miſſis diplomatibus nominatim cooptentur in Societatem, quos illi præſidio & ornamento fore confidit: fietque haud dubie conſultationum de rebus litterariis & ſapientiæ ſtudiis inſtituendarum publice, ac ſolenni ritu, initium: crebrique ſed ſtatis temporibus habebuntur conventus, ut quæ ex præſcripto Opt. Principis ad tam divinum & tam ſalutare inſtitutum feliciter perſequendum ſpectant, perficiantur, DEO bene juvante, & ſub fauſtis Sapientiſſimi Principis auſpiciis ad optatum exitum perducantur.

Habes, Vir Nobiliſſime, Societatis, uti vocant, Scientiarum Brandeburgicæ rudi penicillo non expreſſam ſed adumbratam imaginem. Tu quam hac in parte, ut Tuæ voluntati parerem, poſui operam quamvis tenuem, &, uti vides, nullis pigmentis orationis & ornamentis illuſtrem, æqui bonique pro Tua humanitate conſules. Faxit DEUS immortalis, ut iſta pacis bona propria nobis ſint ac perpetua!

Quod reliquum eſt, vota mecum facias rogo, Vir Nobiliſſime, quæ me vel non ſcribente facere dies noctesque pro Tua pietate conſueviſti, ut Auguſtiſſimum Principem FRIDERICUM III Patrem Patriæ & evaneſcentium artium ſtatorem ac patronum diutiſſime ſalvum & incolumem, & perpetuo quodam ſummæ felicitatis tenore beatiſſimum DEUS Opt. Max. conſervet bono publico.

Vale, Vir Nobiliſſime, & me, uti facis, ama.

NOs, FRIDERICUS III Dei gratia Marchio Brandenburgicus, Sacri Romani Imperii Archicamerarius & Princeps Elector, in Pruſſia, Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci ac Montium, Stetini ac Pomeraniæ, Caſſubiorum & Van-

Vandalorum, ac in Sileſia Croſnæ Dux, Burggravius Noribergenſis, Princeps Halberſtadii, Mindæ & Camini, Comes Hohenzolleranus, Marcæ & Ravensbergi, Dominus Ravenſteini, ut & terrarum Lauenburg & Bütau. Noſtro, Hæredum ac Succeſſorum Noſtrorum Marchionum & Electorum Brandenburgicorum nomine notum facimus omnibus, quorum id ſcire intereſt, & clementisſime ſignificamus, Nos poſtquam DEO viſum eſt in avitam Brandenburgici Imperii ac Regionis poſſesſionem Nos mittere, paterna animi propenſione ac cura ea Nobis amplectenda ac providenda eſſe ſtatuiſſe, quæ, cum ad Electoralium cæterarumque provinciarum Noſtrarum ſalutem & commoda facerent, tum ad propagandam gloriam DEI divinamque veritatem, ut & ad augendum virtutum bonarumque artium ac ſcientiarum cultum, eaque omnia, quæ ſciri publice intereſt, ſpectarent & conducerent. Quod conſilium Noſtrum cum difficillimis temporibus non ſine inſigni fructu fuerit, ad illud, reſtituta jam totius Europæ tranquillitate, tanto felicius obtinendum, conſultum arbitrati ſumus inſtituere Illuſtrem Scientiarum Societatem, quæ Noſtris fundata auſpiciis, in iis, quæ ad ſcopum ejus pertinent, deſtinata Noſtra perficeret.

Quod itaque felix fauſtumque ſit, provido conſilio reque mature Nobiscum deliberata, hanc noſtram Societatem Scientiarum publicato hoc diplomate ſolenniter conſtituimus, inſtruendo eam idoneis hominibus, neceſſario apparatu, ſubſidiis etiam, adjecturi porro quæcunque uſus exiget, ad finem tam eximiæ & laudabilis deſtinationis obtinendum. Patrocinium Societatis tutelamque Ipſi ſuſcipimus, audituri benigne & impertituri clementisſime, quæcunque de rebus rationibusque ejusdem ad nos relata ex uſu & commodis ejus eſſe videbuntur, nec permisſuri unquam, ut quid ei accidat a propenſa hac Noſtra in eam voluntate alienum, aut ejus commodis ac conſiliis ullum

ulla

nulla in re impedimentum afferatur. Ea vero Noſtræ Societati Scientiarum præcipua & perpetua cura erit, ut admiranda Divini Numinis & naturæ opera, qua fieri poteſt induſtria, ſolertia ac judicio exploret, expendat ac ſcrutetur, quæque inde ingenium humanum vitæ utilia ad communes uſus tranſtulit, & certis argumentis comprobavit, aut transferre cum fructu potuiſſet, notet, deſcribat, exerceat & exercenda in publicum monſtret atque commendet: quæ nondum liquent, ad certitudinem veritatis per experimenta perducere, quæ latent adhuc & occultantur, ſagaci diligentia eruere, novisque inventis res humanas augere conetur. Juxta hoc pari cura ingenioſa quarumcunque artium opera ac inventa cum ſuis præceptis ac viis eo ducentibus, & ſi quid hactenus in theſauro humanæ cognitionis rarius aut ſparſim obvenit, diligenter colligat, ordineque diſponat, ut adeo hujus Noſtræ Societatis ſcopus ampliſſimus ſit, & ad omnes illas diſciplinas artesque, quæ ad utilitatem publicam, eruendam veritatem & acuendum ingenium maxime faciunt, ſeſe extendat. Quin & in eo operæ pretium collocavimus, ut cum ad aſſerendam genuinam Linguæ Patriæ caſtitatem, copiam & elegantiam, ornandamque hac in parte Germanici nominis gloriam, tum ad illuſtrandam univerſam Hiſtoriam Germaniæ, præcipue vero res geſtas Noſtræ Domus, & quæ in provinciis Nobis ſubjectis in ſacris & profanis memoratu digna evenerunt, literarum monumentis commendanda, cogitationes ſuas ac ſtudia conferat. Providebitur etiam a Noſtra Societate Scientiarum, ut in omnibus diſciplinis liberalibus, variis licet, cognatis tamen & affinibus, atque a communi ſapientiæ fonte manantibus, expedita juxta ac firmiſſima ratio earum tradendarum & addiſcendarum exiſtat. Denique cum certum & in confeſſo ſit, rectum de DEO

Divi-

Divinisque myſteriis ſenſum ac verum Numinis cultum, omnesque adeo Chriſtianas virtutes, tam in ipſo orbe Chriſtiano, quam inter gentes noſtrorum ſacrorum expertes, ea via, quam DEUS ipſe edocuit, a nullo hominum genere rectius & melius in animos hominum inſinuari, quam quos vitæ integritas juxta ac morum innocentia, rerum quoque divinarum interior cognitio commendant: ideo volumus atque Societati Noſtræ id negotii damus, ut ſub Noſtris auſpiciis ſincerus Numinis cultus ad gentes longinquas & magnis terrarum intervallis disjunctas, quæ adhuc in tenebris ſummæ ignorantiæ verſantur, transferatur & extendatur.

Conſtituimus porro clementiſſime, ut hujus Noſtræ Societatis ſtabilis ac fixa ſedes ſit in hac Noſtra urbe principe, aulæ Noſtræ regiminisq; præcipua ſede, in qua etiam turrim ſpeculatoriam, ad obſervanda ſidera & Cœlorum motus, curamus ædificandam, inſtructam ſimul conclavibus idoneis tam ad conventus Eruditi hujus Senatus habendos, tractandasque ſtatis temporibus res ad hoc inſtitutum pertinentes, tum aſſervandæ ſuppellectili litterariæ & apparatui inſtrumentorum, experimentisque Chymicis aliisque inſtituendis. Cum vero ad tam præclarum & late patens inſtitutum multi atque in diverſis ſæpe locis commorantes homines ſuas operas conferre debeant, per nos licet, ut nulla habita diverſorum ſacrorum ratione, etiam exteri iique idonei & periti homines, pro conditione cujusque, certa ratione in ipſam Societatem cooptentur.

Subjectos autem Noſtros, præſertim muneribus publicis fungentes, & nominatim omnes, qui bonarum artium ſtudiis addicti ſunt, pro conditione cujusque, efficaciſſime monemus ac hortamur, ut ſi qua in re Societatem ejusque induſtriam ad conſequendum propoſitum pro bono publico finem, juvare valeant, id ut faciant ſuaque candide impertiant. Erit id nobis

Aa gratiſſi-

gratiſſimum, & ſecurus quilibet gloriæ ac laudis, quam cuique tribuent pro meritis, qui illuſtri huic Collegio præerunt.

Quod reliquum eſt, Noſtram Scientiarum Societatem præterea exactiore & ad hoc inſtitutum ſigillatim accommodata voluntatis noſtræ declaratione, quid pro re ac tempore opus ſit, edocere, certis legibus munire, omnibusque ad conſilium tam honeſtum ac utile explicandum & feliciter exequendum pertinentibus commodis, gratificationibus & privilegiis, eandem vim ac pondus habituris, ac ſi huic fundationis Diplomati inſerta exiſterent, ornare ac beare decrevimus. Atque hæc eſt ſumma voluntatis Noſtræ, cui parere omnes, uti par eſt, volumus. Ad corroborandam hujus Diplomatis fidem ac auctoritatem nomen illi Noſtrum propria manu ſubſcripſimus & ſigillum majus appendi juſſimus. Datum Coloniæ ad Svevum, die XI Julii, A. MDCC.

THE WORKS OF THE HONOURABLE *ROBERT BOYLE* epitomiz'd.

i. e.

ROBERTI BOYLEI OPERA IN COMPENDIUM redacta, ſtudio RICHARDI BOULTON.

Londini apud J. Phillipps & J. Taylor, cum figuris æneis in 8. Volumen I. *1699.* conſtat Alph. 1. & plagul. *9.* Volumen II, *1700.* Alph. $1\frac{1}{2}$.

Licet Illuſtris *Boylei* Opera fulgidam ſcientiæ naturali præbuerint facem, negari tamen vix poteſt, quin eorum lectio multis ob longas apologias frequentesque digreſſiones tædio haud levi fuerit. Quod perſpiciens Clariſſimus *Boulton* animum induxit, omnibus omiſſis ambagibus, brevem eorundem exhibere Epitomen, inque hac inprimis, quod laudatus *Boyle* juxta Celeb. *Verulamii* monitum *potius promovere in multis, quam perficere in paucis* voluerit, non ſolummodo ea ſiſtere, quæ in ſcientia naturali perfecerit ille, ſed & quæ ad idem ſtudium

Digitized by Google

ſtudium promovendum egregio adduxerit conatu. Quemadmodum vero in philoſophicis ſyſtematibus hactenus adornandis generalia particularibus,atque principia univerſalia ſpecialibus phænomenis præmitti conſueverunt; ita in *Lib. I* ante omnia, dum origo formarum & qualitatum patefacienda eſt, ipſa principia corpuſcularia ſive mechanica, materia videlicet & motus, indigitantur, poſthabitis tamen, quæ v. g. vel circa atomorum abſolutam indiviſibilitatem motumque congenitum & coævum Democritici, vel de vacui impoſſibilitate ac globulis cœleſtibus & materia ſubtili Carteſiani ſolent diſſerere. Omnium nempe corporũ naturalium, ut de primariis hypotheſeos Boyleanæ capitibus conſtet,non niſi unica agnoſcitur materia,eaque ſubſtantia extenſa,diviſibilis & impenetrabilis; motus autem,qué, materiæ immutandæ ac in varia corpora naturalia efformandæ neceſſarium, Deus ipſe primũ indiderit,direxerit,certisque legibus in mundo jam conſtituto circumſcripſerit, pro præcipua cauſarum ſecundarum venditatur, reliquas materiæ affectiones, cum primarias, tum ſecundarias, a quibus corporum operationes tantum modificantur, producente. In ſingulis namque particulis, in quas materia motu diverſimode determinato abiit diviſa, neceſſario magnitudinem & figuram, tanquam primarias materiæ affectiones inſeparabiles, motum vero vel quietem, veluti ſeparabiles, luſtrari; prout in plurium ejusmodi corpuſculorum miſcela porro inſtar accidentium ſecundariorum tam ſitus atque ordo, quam textura ſive partium quædam in toto diſpoſitio, ſi aliquod corpus naturale e corpuſculorum coalitu prodierit,mereantur attendi. Hinc quo fuſius qualitates,quas ſenſibiles vocant, in quantum in corporibus ſenſitivis pro diverſa organorum textura diverſas gignant impreſſiones, unice a corpuſculorum magnitudine,figura,motu textura varioque afficiendi modo dependere commemorantur; eo promtius forma pariter alicujus corporis naturalis ipſa hujus textura eſſe adſtruitur, concurſum unionemque tot accidentium eſſentialium involvens, quot ſpecificæ ejusdem differentiæ conſtituendæ, i. e. materiæ univerſali determinandæ, reputentur ſufficere. Neque generatio demum, corruptio atque alteratio adeo difficulter explanantur, modo pro conceſſo habeatur, minima ſive prima naturalia, quæ vix in alia per naturam actu dividuntur, æque ac primitiva concreta,quæ ex illorum quidem concurſu enata, Vol.1.Lib. Cap.1.

raro tamen in eadem actu denuo dirimuntur, ſed ſemina potius ſive immediata plerorumque corporum naturalium principia exiſtunt, ratione magnitudinis & figuræ, nec non tendentiæ ad motum, ſæpe immutari, motumque formarum non minus ac alterationis eſſe autorem, ſive inſenſibilia talia corpuſcula conjungantur, ſive ſeparentur. Generari quippe tunc ſpeciem aliquam corporis, quando accidentia, eidem conſtituendæ neceſſaria, concurrunt, adeoque non tam novam produci ſubſtantiam, ſed, quæ jam præexiſtit, novum ſaltem exiſtentiæ modum ſive modificationem acquirere. E diverſo ubi accidentium, a quibus corpus generatum denominatur, deſtruitur unio, corpus modificationem ſuam ſic amittendo corrumpi; alterari autem corpus, ſi qualitates aliæ, quam quæ ad corporis ſpeciem determi-
Cap. 2. & 3. nandum requiruntur, ipſi vel accedant, vel demantur. Quibus de principiis præmiſſis atque ab objectionibus vindicatis, refutataque Ariſtotelicorum de formis ſubſtantialibus earumque e materiæ potentia eductione ſententia, forma corporis in eſſentiali ejus modificatione conſiſtere repetitur, & quanquam materia in prima creatione a Creatore ſapientiſſimo formam & motum obtinuerit, nunc tamen varias formas corporum ab effectibus motus localis, dividentis,
Cap. 4. varie transponentis, hincque texturam & formam corporum naturalium immutantis, dependere innuitur. Nec formæ ſubordinatæ, concurrentes rectius dicendæ, ab aliis derivantur principiis, cum a ſimplicibus & compoſitis formis pro diverſa ſolum ratione, qua cum
Cap. 6. corporibus mixtis uniuntur, diſcrepent. Quoniam vero curioſæ ſa-
Cap. 7. lium figuræ a formarum ſubſtantialium patronis pro argumento communiter allegantur, huic enervando multa reponuntur, partium
Cap. 10. tamen textura reſuſcitatione potiſſimum corporum artificiali, ut nitri, ſuffulcitur. Ad fluiditatem & ſoliditatem dum fit progresſio, utraque a tribus conditionibus neceſſariis enodatur atque experimentis illuſtratur: fluidum enim reddi corpus a particulis exilibus determinata
Cap. 11. figura gaudentibus, poris ſeu interſtitiis, non omni quidem, ſed tali corpore vacuis, quod partium ſolidiorum motum ſufflaminare poſſit,
Cap. 12. atque motu vario; ſoliditatem vero a partium magnitudine, quiete ac implicatione mutua induci. Aſt quando quies partibus ſolidi cor-
Cap. 14. poris attribuitur, haud omnis, ſed ſenſibilis ſolum earum negatur mo-
Cap. 15. tus. Qua occaſione prolixius de inſignibus languidi & inſenſibilis

motus

motus effectibus , motumque propagandi ratione pro diverſa medii Cap. 16.
conſtitutione diſſeritur.

In *Lib. II* coſmicas Autor aggreditur qualitates,non a motu modo, Lib. II.
quiete,magnitudine,figura &c. ſed & a mundi,prout nunc conſtructus
habetur,ſtructura & naturæ legibus ſtabilitis,deducendas. Coſmicas Cap. 1.
proin ſive ſyſtematicas qualitates regionis ſubterraneæ ac ſubmarinæ
temporiem ratione caloris & frigoris contemplatur , atque inſimul Cap. 3.
de fundo & ſalſedine maris , aquis mineralibus &c. obſervationes
& experimenta communicat. Hinc ſtatum naturalem & præterna- Cap. 4.
turalem corporum examinans,illum eſſe dicit, in quo corpora a natu-
rali agentium externorum concurſu conſervantur; aërem vero ſemper Cap. 10.
in ſtatu p. n. verſari exiſtimat, cum partes inferiores a ſuperioribus
comprimantur , ideoque ad ſtatum naturalem magis eum tendere , Cap. 12.
quando ejusdem portio mediante antlia ex recipiente fuit evacuata.
Quapropter naturam hujus prolixiſſime exponens , elaſticitatem po-
tiſſimum variis adſtruit argumentis , eamque non ſolum contra Cap. 13.
Franciſci Lini argumenta & funicularem hypotheſin,verum & ad- Cap. 14. 15.
verſus rarefactionem Ariſtotelicorum & Hobbeſii opinionem ſtrenue Cap. 17. &
defendit. 25.

In *Libro III*, qui *Voluminis II* primus eſt,pergit Autor Clariſſimus in Vol. II. Lib.
experimentis Phyſico-Mechanicis recenſendis , quibus partim elaſtici- III.
tas & gravitas aeris uberius comprobatur , partim etiam modus ejus Cap. 1. 2.
productionem vel adjuvandi , vel impediendi, nec non differentia ef- Cap. 3.
fectuum ab aere naturali & artificiali productorum demonſtrantur,
mentionem una injiciens corporum in vacuo conſervandorum , ex- Cap. 4.
perimentorum pneumaticorum circa anates , viperas & ranas inſtitu- Cap. 5. & 8.
torum, atque barometrorum & hygrometrorum. De aeris demum Cap. 19. 20.
ſalubritate & inſalubritate, qualitatibus occultis,& magnetibus cœle- 22.
ſtibus pariter atque aereis , magnetiſmi itidem & elaſticitatis pro- Cap. 23. 24.
ductione mechanica, agens, in generali aeris hiſtoria finit. 26.

Tandem in *Libro IV*, poſtquam ſaporum & odorum geneſin Lib. IV. c.
mechanicam experimentis corroboravit, experimentalem colorum , 12.
pro corporum textura & diverſa modificatione variantium , ita texit Cap. 3.
hiſtoriam , ut albedinis præcipue ac nigredinis natura pateſcat. Cap. 5.

Singula prolixius recenſere fuit religio,cum tot Celeberrimi *Boyle*
ſcripta , e quibus præſens compendium concinnatum , ſolidioris Phy-

Phyſices cultores haud fugiant, nec multorum etiam eorum commemoratio, paſſim in *Actis* noſtris facta, lateat; reliquorum autem duorum voluminum, quæ adhuc expectantur, quamprimum adjungemus contenta.

G. G. L. DECLARATIO, OCCASIONE EPISTOLÆ A Dn. Jac. Bernoullio ad Dn. Johannem Fratrem ſcripta & typis edita expreſſa.

Miſit mihi Dn. Jacobus Bernoullius Baſileenſis Profeſſor Epiſtolam ſuam ad Dn. Johannem Bernoullium Profeſſorem Groninganum, qua ſane non obſcure neceſſitatem aliquam interloquendi imponere voluiſſe videtur. Ego ambos in tantum æſtimo, in quantum æſtimari profundiſſimum in Mathematicis ingenium poteſt; debeo utrique plurimum, ſed reſpublica magis, quod eorum potiſſimum tum occaſionibus tum inventis ſparſa ſemina Methodi meæ tantũ bonæ frugis dedere: itaque ambos mihi peramicos habeo voloque, & licet crebrius mihi cum juniore literarum commercium ſit, plusque adeo ille ea ratione me juverit; non ideo vel ipſe poſtulat, vel ego præſtarem, ut cum de veritate & juſtitia agitur, detrimento earum videar alterutri vel minimum faviſſe. Neque ego judicis officium aut in me recepi unquam, aut recipiam ſolus. Interea diſſimulare diutius nec poſſum nec debeo, Dn. Joh. Bernoullium maturrime, ut ipſe publice ſignificavit, ad me miſiſſe ſolutiones fraternorum problematum atque etiam analyſin ipſam, eamque duplicem, directam & indirectam: legi tunc ſtatim & probavi; non tamen legi ea attentione animi, qua opus eſſet ad controverſiam inter duos egregios viros dijudicandam, quod addo, ne quis me ideo judicis perſonam ſumere putet. Addam in fidem verba excerpta ex literis tunc a me Groningam datis.

26. Maji 1697.

Mitto quæ in Actis Maji de curva Brachiſtochrona variorum ſolutiones editæ ſunt.... volui ut ſtatim acciperes, quoniam Dn. Frater tuus tibi potiſſimum nova problemata proponit termino & præmio ſtatuto.

15. Junii ejusdem anni.

Primo

Digitized by Google

Primo Curſore tuas Dn. Menkenio miſi, ut mature publicetur, te ſolutiones fraternorum problematum breviſſimo tempore dediſſe.

29. Jul.

Magna cum voluptate vidi Methodum maximi . . . . pulchre a te in rem præſentem iſoperimetrarum uſurpatam.

Hæc olim ſcripta repeto, ne nunc videar aliquid alterutri dare. Analyſis nuperrima edita Baſileæ (ut ex catalogo Francofurtano didici) nondum ad me pervenit.

De cætero valde opto atque etiam rogo, ut par nobile Fratrum æmulationem interioris Matheſeos ſtudiis quantumvis utilem, ita moderetur, ne ſequius homines judicent de ſcientiis, ſi videant ingenio tanto tamque profundo viros, & quod caput eſt fratres, in cauſa non gravi, imperare affectibus non potuiſſe.

STEPHANI BALUZII MISCELLANEORUM LIBER quintus.

Pariſiis, apud Franc. Muguet, 1700. 8. Alphab. 1. plag. 9½.

POſt imperatam Miſcellaneis ſuis longam ſatis quietem, nunc demum libro eorum quarto, anno 1683 edito & a nobis in Actis anni ſequentis 1684 p. 173 ſ. recenſito, quintum addit celeberrimus Baluzius, inque eo farraginem veterum monumentorum, quæ hactenus in variis codicibus & bibliothecis delituerunt, cum erudito orbe communicare pergit. Initium facit ab opuſculis S. Benedicti, Abbatis Anianenſis, quæ ex codice venerandæ equidem antiquitatis, ſed eo quoque mendoſiſſimo, ſe deſcripſiſſe, & menda plurima, quoad citra periculum fieri potuerit, ſuſtuliſſe teſtatur. Siſtunt eadem *nubeculam teſtimoniorum de incarnatione Domini ſanctaque & individua Trinitate*, ubi ſimul ſub finem adverſus eos agitur, *qui Baptiſmum ſæpius eſſe iterandum ſtatuunt*. Sequitur hinc ejus *adverſus Felicianam impietatem diſputatio, epiſtola* quædam parænetica *ad Guarnarium*, & denique *confeſſio*, qua fidem ſuam Benedictus latius exponit. His Gerohi, Præpoſiti Reicherſpergenſis *expoſitio in Pſalmum LXIV* (alias LXV) aſſociatur, ſeu potius liber *de corrupto Eccleſiæ ſtatu*, quem deſumta ex Pſalmo iſto occaſione delineare Autor atque reformare

mare ſtuduit. Meminit autem ille in epiſtola præfixa ad Henricum Presbyterum Cardinalem diſertis verbis Romanæ curiæ, unde vel ideo commendandum eſſe monumentum iſthoc arbitratur Baluzius, quod ex eo liceat colligere, quo primum tempore Romanæ curiæ nomen auditum fuerit. Obiiſſe autem Gerohum dicit A. 1169 V Kal. Julii. Sicut autem expoſitionem ſuam Eugenio III Papæ Gerohus inſcripſerat, ita *epiſtolam Eugenii ad Gerohum*, qua hujus ille fervorem celebrat, Baluzius ſubjungit. Sequuntur *Geſta reſtaurationis Epiſcopatus Atrebatenſis* Cameracenſium jugo exemti, quorum partem jam ante quidem ediderunt Ferreolus Locrius & Lucas Dacherius, Noſter vero integra ſe exhibere ait, eaque Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis & aliorum ad ipſum *epiſtolis 144, privilegiis* item aliquot paſſim a Lamberto conceſſis, *variisque aliis*, quæ *ad res Atrebatenſes* faciunt, adauxit. Porro *diſpoſitionem rei familiaris Cluniacenſis* a Petro, Cluniacenſi Abbate, factam, Gaufridi Clarevallenſis *epiſtolam de morte S. Bernardi, Abbatis Clarevallenſis, ad Eskilum, Archiepiſcopum Lundenſem*; & *Conſtitutiones monaſterii Jotrenſis a* Romano, Diacono Cardinali S. Angeli A. 1225 editas, in apricum producit, hisque omnibus annectit tandem *epiſtolas & fragmenta epiſtolarum veterum quorundam Romanorum Pontificum*, utpote Gelaſii I, Vigilii, Johannis III, Pelagii I & II, S. Gregorii, Johannis VII, Nicolai I, Adriani II, & Johannis VIII, quæ maximam partem circa dubios aliquot diſciplinæ eccleſiaſticæ caſus occupantur, monumentaque hæc poſteriora Clariſſimus Editor utplurimum ex vetuſtis Bibliothecæ Colbertinæ libris ſe deſcripſiſſe profitetur.

Errata in Schediaſmate de Lamina Elaſtica, & Curva Acceſſus & Receſſus æquabilis, m. Jun 1694.

Pag. 266. l. 6. pro *mnt* l. *mn*. Pag. 269. l. 7. 8. dele, *& ſpatium ABC quadrabile, Elaſtica AQR nunc eſt Algebraica*. Pag. 270. l. 11. poſt *Algebraicam*: adde, *una ſola, quæ rectificabilem*. Pag. 271. l. 9. & 272. l. antep. pro *FEI* l. *FEi*. Pag. 272. l. 21. pro *Qo* l. *Qp* & pro *QPp* l. *QPq*. Pag. 273. l. 14. l. *admittit*. Ibid. l. ant. & P. 274. l. 3. pro *ex gr.* leg. *gravitatis*. P. 274. l. 2. l. *mulctat*. P. 277. l. proantep. l. *e3*. P. 278. l. 12. l. *Be*, & l. 14. l. *infin.* & l. 22. pro *ABQ* l. *ABq*.

Prodiit non ita pridem Sectio VII Tomi III Supplementorum.

* * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM

pulicatæ Lipſiæ

Calendis Maji, Anno MDCCI.

SANCTI OPTATI AFRI, MILEVITANI EPISCOPI, de Schiſmate Donatiſtarum Libri ſeptem. Opera & ſtudio M. LUDOVICI ELLIES DU PIN, *Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris Theologi, nec non Philoſophiæ Profeſſoris Regii.*

Pariſiis, apud Andream Pralard, 1700. fol. Alphab. 8.

OPtati Milevitani de Schiſmate Donatiſtarum libri typis primum excuſi ſunt Moguntiæ A. 1549, opera Johannis Cochlæi, ſed plura in hac editione menda, quam verſus fuiſſe affirmat Franciſcus Balduinus, qui novam ideo adornavit Pariſiis A. 1563, aliamque adhuc magis emendatam A. 1569 ſuperaddidit, juxta quam Commeliniana A. 1599 informata fuit. Excepit haſce Pariſina editio ab Albaspinæo A. 1631 curata, ſed perquam vitioſa, & licet eodem anno Mericus Caſaubonus in editione Londinenſi emendare hunc Autorem ſtuduerit, nullo tamen manuſcripto codice uſus eſt, & ex conjecturis tantummodo loca multa, ſeu recte ſeu perperam, immutavit. Eruditiſſimus Rigaltius, Tertulliano, Minucio & Cypriano in lucem editis Optatum etiam adjungere ſecum conſtituerat, verum antequam opus illud aggrederetur, e vivis exceſſit. Denique Priorius novæ librorum Optati editioni, quæ Pariſiis impenſis Jo. Dupuis bibliopolæ facta eſt, præfuit, ſed maximam codicum melioris notæ penuriam obtendens, nec emendatiorem textum fecit, nec a novis, quæ irrepſere, ſphalmatibus ſatis ſibi cavit.

Noſter vero Du Pinius, ex cujus fide hæc referimus, Priorio aut felicior aut magis certe ſollicitus, quinque codices Optati manuſcriptos invenit, quorum ope innumera pene menda ſuſtulit, ac tex-

tum in integrum ubique fermè reſtituit. Ut autem cuivis conſtaret, quot & quæ errata paſſim exterminaverit, & quot locis obſcuris ſenſuſque plane vacuis lucem reddiderit, variantes lectiones in fine uniuscujusque paginæ adſcripſit, ſeparatas tamen a notis, quas itidem per ſingulas paginas legendas exhibet, prout aliorum, Balduini ſcilicet, Albaspinæi, Merici Caſauboni, Barthii, & incerti Scriptoris obſervationes appendicis loco libris Optati integras adjecit; omiſsis tamen Priorii notis, quoniam in iis quantivis pretii nil quicquam ſe reperiſſe cauſatur, quod ab aliis non eſſet obſervatum. Textum præterea ipſum in articulos aut paragraphos diſtinxit, cum brevibus argumentis ad marginem appoſitis, quod nondum a quoquam in Optati libris præſtitum animadvertit.

Variorum hasce notas excipiunt monumenta vetera ad hiſtoriam Donatiſtarum pertinentia, eaque ordine chronologico digeſta, & ad manuſcriptos codices ac meliores editiones exacta, inter quæ primum locum occupat edictum in Chriſtianos latum a Diocletiano & Maximiano, cujus tenorem Lactantio & Euſebio nos debere profitetur, quod licet ad Donatiſtas haud pertineat, in capite tamen actorum ad hiſtoriam Donatiſtarum referendorum apponendum eſſe duxit ideo, quod ſchiſmati poſt locum dederit, & ab eo Donatianæ ſectæ epocha repetatur. Sequuntur acta Martyrum Africanorum, quæ ad Traditionis crimen Catholicis a Donatiſtis intentatum ſpectant. Hæc excipiunt geſta purgationis Felicis & Cæciliani e Miſcellaneis clariſſimi Baluzii repetita. Poſt hæc legere eſt monumenta quædam ad initium ſchiſmatis Donatiſtarum pertinentia, epiſtolas item Conſtantini, quæ ad Cæciliani & Donatiſtarum cauſam ſpectant, itemque iſta, quæ ipſo imperante ea de re decreta ſunt. Cum Donatiſtæ nihil frequentius Catholicis objecerint, quam ea, quæ paſſi fuerint ſub Leontio, Urſatio & Macario, ideo ſermonem alicujus Donatiſtæ illuc ſpectantem primus nunc e codice manuſcripto Epiſcopi Catalaunenſis Noſter edidit; quem ſequitur paſſio Marculi, ſacerdotis Donatiſtæ, emendatior quam in Mabillonii Analectis antehac comparuit, ex collatione ad codicem Corbejenſem, a quo ſuppeditatam quoque ſibi dicit integram Maximiani & Iſaac Donatiſtarum paſſionem, cujus partem tantum Mabillonius ediderat. Inde ad Carthaginenſem collationem usque

que

quæ occurrunt leges tum eccleſiaſticæ, tum civiles in Donatiſtas latæ, ubi quidem civilibus ex codice Theodoſiano depromtis eruditisſimi Viri, Jacobi Gothofredi, commentarium ſubjecit. Acta vero collationis Carthaginenſis, cura & ſtudiis eruditisſimi Baluzii emendata, juxta ipſius editionem ſuo loco inſeruntur, ſed novas nunc ad ea notas, præſertim circa ſedes Epiſcoporum Africanorum, qui collationi adſuerunt, Noſter adornavit. Denique hiſtoria collationis iſtius autore Franciſco Balduino ſcripta annectitur.

Quemadmodum vero hæc aut ad textum ipſum ſpectant, aut ei certe ſubjiciuntur, ita operi univerſo præfationem Du Pinius præmiſit, in qua non præſentis ſolum editionis faciem eo, quo hactenus & a nobis repræſentata fuit, modo adumbrat, ſed alia quoque ad vitam libroſque Optati pertinentia erudite commentatur. De Autore ipſo vix quicquam aliud compertum eſſe innuit, niſi Afrum eum fuiſſe & Milevitanum Epiſcopum. Circa annum 370, ſub Valentiniano & Valente, ſedente Romæ Damaſo, ſex eum libros adverſus Parmenianum elucubraſſe ſcribit, vixiſſe vero poſt usque ad Pontificatum Siricii ac Theodoſii imperium, quo tempore libros ſuos recenſuerit, eaque forte additamenta confecerit, quæ libro ſeptimo continentur. Quo anno diem obierit ſupremum, incertum eſſe dicit. Sancti nomen jam ab initio ſexti poſt Chriſtum natum ſeculi tributum ipſi perhibet. In Martyrologio Romano ad diem quartum Junii adſcriptum eſſe docet a Baronio inter Sanctos Optatum Milevitanum, cujus nomen in nullo Martyrologio alias legatur, niſi in Catalogo Petri de Natalibus, qui Optatum Antisſiodori Epiſcopum, cujus natalis celebretur ad diem trigeſimum primum Auguſti, eundem eſſe cum Optato Milevitano putarit, eoque die memoriam ipſius factam crediderit; cujus errorem agnoſcens Baronius reſtituerit Optatum Antiſſiodorenſem ad diem trigeſimum primum Auguſti, ſed religioni ducens Optatum noſtrum, cui locum inter Sanctos in Martyrologio Petrus de Natalibus dederat, ex eo prorſus expungere, hunc ad diem Junii quartum revocarit, incertum qua de cauſa, niſi forte, quia is, qui Baronium in nova Martyrologii Romani editione præiverat, die præcedenti Cæcilium Presbyterum Carthaginenſem inter Sanctos adſcripſerit. Operis

Optati, mole quidem exigui, occaſionem hanc fuiſſe innuit. Donatiſtæ maledicis ubique vocibus adverſus Catholicos perſtrepebant, unde a multis Catholicis ſæpe deſideratum fuerat, ut ad eruendam veritatem ab aliquibus defenſoribus partium conflictus haberetur. Sed Donatiſtæ cauſæ ſuæ diffiſi, & Catholicos fugientes, acceſſum prohibebant, aditum intercludebant, confeſſum vitabant, colloquium denegabant. Parmenianus autem eorum Epiſcopus non contentus dictis, quæ in ventos abeunt, Catholicos inceſſere, animi ſui ſenſa ſcriptis aperuit. Hac occaſione arrepta Milevitanus Epiſcopus veritate cogente ſcriptis ejus reſpondere aggreſſus eſt, ut hac ratione eſſet inter abſentes quodammodo collatio. Totum opus ſuum in ſex partitum fuiſſe libros Optatum aſſerit, ſeptimum tamen etiam ſuperaddidit, quem olim poſt viros doctos alios ſpurium & alterius ſcriptoris eſſe exiſtimaverat, nunc vero re curatius penſitata ab hac ſententia receſſit. Equidem Hieronymum ſeptimum iſtum librum neſciviſſe fatetur, aſt veriſimile ipſi eſt, in veteribus codicibus, quos præ manibus Hieronymus habuerit, hæc additamenta fine libri ſeptimi inſcriptione ad finem appoſita fuiſſe, indeque factum, ut ſex tantum librorum Optati mentionem ille fecerit. Utilitatem operis ejus inſignem eſſe dicit, multaque & valde egregia ad doctrinam pariter & diſciplinam Eccleſiæ in eo contineri, exemplis non unis hinc decerptis probat. Stylum Autoris magnificum appellat, vehementem & preſſum, ſed minus nitidum ac politum. Quos expugnet, eos ipſum acriter urgere teſtatur; quos narret eventus, oculis quaſi ſubjicere; quæ loca proferat, ingenioſe explicare, ſubtiliſſime & acutiſſime mentem ſuam exprimere, & verbis ac locutionibus uti, ad ea, quæ promere velit, ſignificanda aptiſſimis. Narrationes interdum jucundas & feſtivas ipſum inſtituere, quarum exemplum ſi quis habere velit, eum ad aucupii deſcriptionem remittit, quæ librum ſextum claudat, quaque nihil elegantius aut concinnius excogitari poſſit. Unum tamen confitetur occurrere, quod in eo reprehendi mereatur, allegoricum nempe ſenſum, ſecundum quem plurima ſacrarum literarum teſtimonia exponat; quod vitium in concionatore facilius ferendum, vix condonandum videatur autori polemico religionis partes adverſus hæreticos agenti, niſi forte hoc ad excuſandum ipſum

pſum facere exiſtimaveris, quod res ei fuerit cum adverſariis eadem ratione agentibus, & Scripturæ teſtimoniis abutentibus, ut Eccleſiam calumniarentur & ſectam ſuam collaudarent.

Præfationem hanc, poſt aliquot veterum de Optato ejusque libris teſtimonia, excipit Donatiſtarum Hiſtoria, quam erudite adornavit Du Pinius, quamque in compendio heic legendam exhibere, continua ad Autoris ductum narratione uſi, annitemur. Nulla unquam in Chriſtianos ſævior tempeſtas excitata eſt in Africa, quam Diocletiano & Maximiano imperantibus, poſt propoſita ubique terrarum initio anni 303 in Chriſtianos edicta. Tunc in provincia Pro-Conſulari Anulinus & in Numidia Florus bellum Chriſtiano nomini intulerunt, eratque hoc peculiare Diocletianeæ perſecutionis malum, quod Chriſtiani libros ſacros igni comburendos tradere cogerentur. Illorum ergo plures, non Laici tantum, ſed Clerici etiam, ac ipſi Epiſcopi, metu tormentorum ac mortis, tum ſacros codices, tum alia ſacra vaſa aut inſtrumenta tradebant, eaque de re *Traditores* vulgo dicebantur. Alii e contra, ſtudio flagrantes immoderato, palam, etiamſi nemo inquireret, profitebantur, ſe codices ſacros habere, quos tradituros negabant, atque ita morti ſe objiciebant. His alii prudentiores ſimul & religioſiores, codices ſacros ſilentio ſuo tectos conſervabant, ita tamen, ut apprehenſi & interrogati neque traderent, neque tradituros ſe eſſe profiterentur. Ex his fuit Menſurius, Carthaginenſis Antiſtes. Verum Numidiæ Primas, Secundus Tigiſitanus, verbis quidem jactabat ſuam conſtantiam, ſed ejus expers Traditionis haud præter meritum inſimulabatur a Purpurio, LimatenſiEpiſcopo; unde male ſibi conſcius Cœpiſcopos quoque ſuos, Traditionis manifeſte ac propria confeſſione convictos, ab omni pœna immunes eſſe juſſus eſt, ne & ipſe ejusdem criminis reus perageretur. Traditi tum etiam fuerunt ſacri codices a Paulo, Cirtenſis civitatis, quæ metropolis civilis provinciæ Numidiæ fuit, Epiſcopo, ejusque Clericis. Aſt Felicem, Aptungitanum Epiſcopum, Traditionis crimine præter rem Donatiſtæ infamarunt. Ex teſtimoniis enim illorum, qui hac de re poſtmodum, inquiſitione facta A. 314, ab Æliano Pro-Conſule, juſſu Conſtantini Imperatoris, auditi ſunt, immunem ab hac culpa fuiſſe ipſum conſtitit. Perſecu-

Digitized by Google

ſecutione codicum tradendorum paulo relaxata, ſuffragio totius populi Cæcilianum Epiſcopum Carthaginis eligi, & manus imponente Felice Aptungitano, Epiſcopum ordinari contigit. Secundus autem & Epiſcopi Numidiæ ſe non expectatos fuiſſe, ægre admodum tulerunt, maxime Secundus Primas, conveniens eſſe exiſtimans, ut princeps a principe, hoc eſt, primas a primate ordinaretur. At Carthaginenſis clerus populusque, quibus jampridem Secundus & Numidæ inviſi erant, hos excipere noluerunt, ſed ſuſcepti tamen ſunt ab iis, qui Cæcilianum odio habebant, præſertim a Lucilla, fœmina factioſa, quæ cum correptionem Cæciliani, tum adhuc Archidiaconi, ferre non poſſet, irarum adverſus ipſum ſemina conceperat. Epiſcopi autem hi Numidiæ in domo quadam privata conventiculum ſuum habuerunt, ad quod vocatus Cæcilianus haud comparuit, damnatus proinde abſens, quod a Traditoribus eſſet ordinatus, prolataque in eum & ejus ordinatores dejectionis atque excommunicationis ſententia, in illius locum Majorinus Epiſcopus ordinatus, ſchiſmatisque hinc & diſſenſionis initium factum eſt. Poſt ſententiam prolatam, literas Epiſcopi Numidiæ nomine Concilii ad Eccleſias Africanas miſerunt, quibus Cæciliani ordinatores Traditionis reos eſſe calumniabantur, ejus ordinationem irritam pronunciabant, ac omnes monebant, ut ab ejus communione abſtinerent, & Majorinum pro legitimo agnoſcerent Epiſcopo. Creditum eſt a pluribus Africanis numeroſi Concilii literis in Cæcilianum datis, indeque non Carthaginenſis modo, ſed & univerſa Africana Eccleſia in duas partes eſt diviſa, aliis Cæciliani innocentiam defendentibus & cum eo communionem retinentibus, aliis ſtantibus a parte Majorini & a Cæciliani communione diſcedentibus. Aſt cum ad Eccleſias transmarinas cauſam hanc deferre adverſarii Cæciliani tunc temporis auſi non eſſent, hic in totius orbis Eccleſiarum communione permanſit, e contra vero Majorinus nullum habuit extra Africam, qui cum eo communicaret, aut illum pro Epiſcopo Carthaginenſi agnoſceret. Quin etiam Conſtantinus Imperator, qui ſuperato A. 312 Maxentio, Italiam & Africam imperio ſuo adjunxerat, Cæciliano admodum faventem ſe præbuit. Viciſſim vero aliqui ex adverſariis Cæciliani, adjuncta ſibi populi multitudine, Pro Conſulem Anulinum adiverunt, oblatisque libellis illum

ſtum infamarunt, judicesque ſibi e Gallia dari poſtularunt. Conſtantinus Imperator accepta in Galliis, ubi tum verſabatur, relatione Anulini & libellis eidem adjunctis, rem quidem permoleſte tulit; ut tamen disſidio finem imponeret, tres Epiſcopos judices dedit, Maternum Agrippinenſem, Reticium Auguſtodunenſem, & Marinum Arelatenſem, qui cum Miltiade Romano Epiſcopo Romæ rem judicarent, ſimulque Anulino mandavit, ut Cæcilianum cum decem Epiſcopis partis ſuæ, & adverſarios ejus totidem Romam navigare præciperet. Cæcilianus igitur una cum decem Epiſcopis partis ſuæ, & totidem ex adverſariis (quorum antesignanus erat Donatus Caſenſis,) Romam venerunt, cumque huc etiam accesſiſſent tres Epiſcopi Gallicani judices a Conſtantino nominati, hi una cum Miltiade & quindecim Epiſcopis Italis A. 313 Cæciliani & Donati cauſam agitare cœperunt, tertiaque die poſt Cæcilianum uno ore innocentem pronunciarunt. Neque tamen ſic acquievere ejus adverſarii, ſed novos per Africam tumultus concitantes, Imperatorem denuo adire & Cæcilianum accuſare auſi ſunt. Ille, licet importunitate hominum commotus, cauſam tamen Felicis Aptungitani in publico Africæ judicio examinari præcepit, Conciliumque priori longe numeroſius indixit in urbem Arelatenſem, ac totam Cæciliani cauſam rurſus ad examen vocari juſſit, ex quo Felix pariter & Cæcilianus A. 314 innocentes exierunt, approbante Epiſcoporum Concilii Arelatenſis ſententiam, quicquid objicerent adverſarii, Conſtantino, quem nihiloſecius novæ continuæque hoſtium Cæciliani aditiones vicerunt, ut de ejus innocentia judicium ferre ipſe conſtitueret. Advocavit ergo eum Romam, qua in urbe morabatur Imperator A. 315, ſed cum is die indicta, neſcio quam ob cauſam, haud compareret, adverſarii Imperatorem interpellarunt, ut in eum velut contumacem ſententiam ferret. Sed hic dilatione data præcepit, ut ſe Mediolanum ſequerentur, qua in urbe cum Cæcilianus una cum ſuis adverſariis præſentem ſe ſtitiſſet, A. 316 remotis omnibus arbitris de cauſa cognovit Imperator, ac auditis utriusque partis allegationibus, & omni controverſia diligentisſime excuſſa & examinata, cum nullum e criminibus, quæ Cæciliano objiciebantur, ab accuſatoribus ejus probari potuiſſet, ipſum innocentem, illos calumnioſisſimos eſſe pronunciavit. Interim Majorinus

rinus e vivis exceſſit, & in illius locum ab Epiſcopis communionis ejus ordinatus eſt Carthagine Donatus, non ille Caſarum-nigrenſium Epiſcopus, ſed alius ejusdem nominis, qui principatum ſibi apud ſuos arrogavit, & a quo *Donatiani* nomen accepere. Creſcente ſub hoc Donatiſtarum numero & furore, Conſtantinus Imperator adverſus eos ſeveriſſimam primo legem tulit, poſt ad univerſos Epiſcopos & ad plebem Eccleſiæ per Africam Catholicæ epiſtolam prudentem admodum manſuetamque ſcripſit. Verum quos non repreſſerat ſeveritas, nec domare potuit Principis manſuetudo lenitasque; imo ex ejus indulgentia majorem indies ſumentes audaciam, gravius multo Catholicos ubique divexarunt. (Eo tempore videntur orti Circumcelliones, ruſtici & feri homines, ita dicti, quod circum cellas diſcurrerent, Catholicos ad nutum Donatiſtarum Epiſcoporum vexantes & compilantes, adeo, ut quosdam etiam ex illis interficerent.) Neglectis porro Urſatii Comitis in Africa conſiliis, libellum A. 321 Imperatori Donatiſtæ obtulerunt, poſcentes, ut libere ipſos agere nec invitos ad communionem Cæciliani cogi vellet; id quod pro ſua ille benignitate iis indulſit, quanquam hi eadem proterve admodum abuterentur. Certe cum totius orbis Eccleſias Cæciliani communioni adhærere, & a ſua alienas eſſe intellexiſſent, eo proceſſerunt temeritatis, ut dicerent, Eccleſiam Catholicam in ſola parte ſua permanſiſſe, alibi vero contagione quaſi communionis fuiſſe extinctam. Cunctos ad ſe venientes, qui in Eccleſiis, quas adulterinas eſſe arbitrabantur, baptizati erant, iterum baptizari jubebant, ſingulaque Catholicorum ſacra tanquam impura deteſtabantur, & Eccleſiam veram ex ſolis hominibus in ſpeciem ſanctis & juſtis conſtare debere exiſtimabant. Eodem tempore aut etiam aliquot annis antea Donatiſtæ, ut partem in urbe Roma viderentur habere, illuc primum interventores Epiſcopos ex Africa furtim ad paucos erraticos & peregrinos, præſertim Afros, qui Romæ tunc degebant, miſerunt, a quibus illi regerentur; quin & in Hiſpaniam ad domum unius mulieris imaginarium miſerunt Epiſcopum, nec quicquam omiſerunt circumeuntes maria & terras, ut ſuæ ſectæ proſelytos adjungerent. Hæſit tamen intra Africam eorum ſecta, ubi aliquandiu numeroſiſſima fuit. Poſt mortem Conſtantini Africa Conſtanti obtigit, in qua cum Dona-

Digitized by Google

Donatiſtarum factio novos tumultus excitaret, Imperatoris juſſu Cæciliano inſtante laboratum eſt, ut ad Catholicam unitatem Donatiſtæ reducerentur. Sed cum rigidus & inflexibilis eorum in ſchiſmate perſtaret animus, & nova quotidie adverſus Eccleſiam Catholicam illi molirentur, ſecularis poteſtatis auxilio ſuppreſſi, & quidam turbulentiores vi coërciti fuerunt. Cæciliani ante annum 347 defuncti ſucceſſor erat Gratus, ſub quo Pauli & Macarii in Africam, alia licet de cauſa, miſſorum ope pax tandem atque unitas procurata eſt, quæ per annos fere quatuordecim ſub Conſtantio & Conſtante perſeveravit, acto in exilium Donato, qui & in eodem ante Juliani imperium vitam finiiſſe perhibetur. Succeſſit ei Parmenianus, anno circiter 355, & is ipſe eſt, quem ſuis libris refutavit Optatus. Defuncto hinc Conſtantio A. 361, Donatiſtæ Juliano libellum obtulerunt, in quo, ut priſtinam recuperarent libertatem, poſtularunt; quibus haud gravate annuit Imperator apoſtata, prævidens fore, ut inde magnum accederet Eccleſiæ Africanæ detrimentum. At Juliano A. 363 ſublato, & Joviano ſucceſſore itidem terris mox erepto, Valentinianus Senior Donatiſtas ſeveris legibus compeſcuit, poſt quem & Gratianus A. 377 acriter adverſus eos detonuit. Circa hoc ævum Donati ſecta in multas partes diviſa eſt, Rogatiſtarum tamen & Maximianiſtarum frequentior eſt apud Auguſtinum mentio & notior hiſtoria. Rogatiſtarum autor fuit Rogatus Maurus Epiſcopus; eorum vero ſeceſſionis cauſa a Donatiſtis incerta eſt. Reliquis erant mitiores, nec circumcellionum gregibus, prout Donatiſtæ conſueverant, utebantur. Jactabant illi, Chriſtum, cum venerit ad judicium, in ſuis tantum fidem reperturum; unde non minus Donatiſtis odioſi evadebant quam Catholicis. Maximianus vero Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus, qui Donati ferebatur eſſe conſanguineus, Primiani, ordinati in locum Parmeniani, Carthaginenſis Epiſcopi ex parte Donati, inſolentia concitatus, acrem ei conflavit invidiam, & ut a Concilio Cabarſuſſitano damnaretur, effecit. Viciſſim damnati in Concilio Bagaienſi Maximianiſtæ ſævam Primianiſtarum perſecutionem experiri neceſſe habuerunt, illique hos ſub Gildone etiam tyranno, Optati Thamugadenſis Epiſcopi apud Gildonem multum valentis auxilio, ad incitas prope redegerunt. Interim Catholici nihil non tentabant, ut Donatiſtas ad concordiam invitarent, quam cum hi proter-

ve reſpuerent, in aliquot Conciliis ſeverius adverſus iſtos actum eſt. Plurima quoque contra eos ſcriptis maxime ſuis inde ab A. 391 molitus fuit Auguſtinus, (quæ ab Autore noſtro latius recenſentur.) Eo autem privatim eos impugnante id agebant Africani Epiſcopi, ut Donatiſtas quovis modo ad collationem adducerent, inque Concilio generali Epiſcoporum Africæ A. 403 Carthagini habito decreverunt, ut ad eam ſolenni inſtrumento iſti provocarentur. Verum Donatiſtæ pro more ſuo collationem recuſarunt, quin imo quo clementius & inſtantius invitabantur ad pacem, eo ferocius & ſævius furere in Catholicos cœperunt, usque adeo, ut Catholici A. 404 legatos mittere ad Imperatorem, ejusque auxilium implorare cogerentur. Horum itaque precibus commotus Honorius ſeveriſſimum in Donatiſtas tulit edictum, quod unitatis vulgo nuncupatur, ideo, quod per illud hæreticis & ſchismaticis, ut ad Catholicam Eccleſiam redirent, graviſſimis ſub pœnis injunctum fuit; vi cujus cito etiam apud Carthaginem unitas facta, quæ tardius in cæteris Africæ provinciis obtineri potuit. Duravit quoque Honorii in eos animadverſio ad annum usque 409, circa cujus medium nova hæreticis exercendæ ſuperſtitionis ſuæ poteſtas conceſſa eſt, quam tamen Imperator flagitantibus Concilii Carthaginenſis Patribus eodem anno rurſus limitavit & coërcuit. Juſſit quoque eos intereſſe collationi in urbe Carthaginenſi inſtitutæ, damnatisque, poſt acrem & diuturnam diſceptationem, Cognitoris ſententia Donatiſtis A. 412 legem dedit, qua mulctas pecuniarias varias pro varia cujusque conditione Donatiſtis, qui ad Catholicam Eccleſiam accedere nollent, impoſuit, juſſitque eorum Epiſcopos & Clericos ab Africa expelli atque in exilium mitti, & quæcunque Eccleſiis eorum collata fuerant, Catholicis Eccleſiis adjudicavit. Hac lege multi eorum emendati ad Catholicos redierunt, aſt nonnulli ea potius exacerbati plus quam antea inſaniverunt, in quos Marcellinus Tribunus pœnam exercuit, multis ea propter Donatiſtarum calumniis expoſitus, & ad eorum confictas criminationes capite tandem truncatus. Neque tamen Honorius a legibus adverſus iſtos ſanciendis ceſſavit, Theodoſiumque Juniorem ſuis veſtigiis probe inſiſtentem ſucceſſorem nactus eſt, usque dum Vandalorum irruptione ingruente, eandem fere cum Catho-

Digitized by Google

Catholicis fortem experti, ſub Arianorum jugo miſeram vitam trahere coacti ſunt. Superfuere tamen diutiſſime in Africa eorum, quamvis languentium & attritorum, reliquiæ: nam per trecentos annos atque amplius duravit illud ſchiſma, quod infauſto tempore atque omine exortum ſub Conſtantino, neque judiciis eccleſiaſticis neque legibus civilibus extingui potuit, ſub Conſtante Imperatore compreſſum ad tempus ſub Juliano recruduit, & per multos annos magnam Africæ partem implevit, donec ſcriptis, diſputationibus & legibus Imperatoriis imminutum eſt & ad paucos redactum, quorum infelices hæredes ad ſextum aut ſeptimum uſque ſeculum in aliquibus Africæ angulis delituerunt.

Poſteaquam hanc Donatiſtarum hiſtoriam abſolvit Du Pinius, Geographiam ſacram ſeu notitiam provinciarum & epiſcopatuum Africæ ſubnectit, & poſt generalem ſtatus per Africam eccleſiaſtici deſcriptionem, ſigillatim Carthaginenſis urbis fortunam & ſitum, hujusque Eccleſiam & Epiſcopos commemorat, indeque reliquas ſedes per provincias diſtributas juxta ordinem alphabeticum percenſet, ac tandem in peculiari tabula Geographica, a periтiſſimo artifice delineata, tum provinciarum Africanarum diviſionem, tum præcipuarum ſedium Epiſcopalium ſitum accuratius, quam factum antea ab aliis, repræſentat.

סדר נשים

Sive

LEGUM MISCHNICARUM LIBER, QUI INSCRIBITUR **De Re Uxoria,** ***cum Majmonidis & Bartenoræ Commentariis integris &c. Latinitate ac Notis illuſtravit GUILIELMUS SURENHUSIUS. Pars tertia.***

Amſtelodami excudunt Gerh. & Joh. Borſtius 1700, in fol. Alph. 4. plag. 18.

Quodnam doctiſſimi viri Guilielmi Surenhuſii inſtitutum ſit, jam dictum a nobis indicatumque eſt, cum primam & ſecundam operis hujus Miſchnici partem anno ſuperiore pag. 127 & ſeqq. recenſeremus. Nec a lege, quam ipſe ſibi præſcripſit, diſcedit in tertia hac parte, in qua ſequentes continentur tractatus: De Leviro-

rum in Fratrias officiis, de inſtrumento dotali, de votis, de Naziræis, de uxore adulterii ſuſpecta, de divortiis, de ſponſalibus. Textum nimirum accuratisſime exſcriptum cum verſione Latina & commentariis R. Obadiæ de Bartenora & R. Moſis Maimonidis exhibet. In tractatu סוטה autem, ſeu de uxore adulterii ſuſpecta, præter verſionem celeberrimi viri Chriſtophori Wagenſeilii, ejuſdem commentarium, omisſis tamen Gemaricis, a ſcopo quippe & inſtituto Auctoris alienis, lectorum oculis ſubjecit.

Cæterum in præfatione operi huic præmiſſa, varia affert ſcitu non indigna, dum argumenta tractatuum horum Miſchnicorum indicat, ex quibus nonnulla decerpere, lectori non ingratum fore ſperamus. Primo itaque nonnulla de levirorum in fratrias officiis diſſerit, oſtenditque, quo pacto Doctores cuncta juris ſui capita ex textu Moſaico derivent, idque hunc in modum: cum dicitur כי ישבו אחים יחדו *cum fratres habitaverint ſimul*, excluduntur juxta illorum opinionem ab hoc officio, pater, filius atque conſanguinei alii. Ex voce יחדו *ſimul* eliciunt, quod debeant eſſe fratres unius patris, una habitantes, & in hæreditate æquales, qui ſint fratres a parte patris, non a parte matris duntaxat, quippe qui *κατ᾽ ἐξοχὴν* fratres dicantur. Per id quod dicitur אחים יחדו indicari putant, quod ambo debeant eſſe in vivis, frater autem, qui poſt obitum fratris natus ſit, non obligetur ad leviratus officium, cum indignum ſit prorſus, ut fratria expectet levirum, qui naſciturus eſt. Quando autem defunctus reliquerit filium vel filiam, ritum hunc non invenire locum, quia dictum ſit: ובן אין לו *& ſi ei non ſit filius*, quod de utroque ſexu intelligendum ſit, cum liberorum horum ope nomen ipſius non poſſit deleri ex Iſraële. Præterea docent, legem de leviratu non ſolum in uxore jam matrimonio juncta, ſed & in ארוסה *deſponſa* obtinere, quia Deut. XXII, 24 deſponſa vocetur *uxor*. Si vero levir ſit eunuchus, ſive ab incunabilis ſive caſu, vel ad procreandum ineptus, eum non teneri conjugio leviratus, quia dicitur: *Levir illius veniet ad eam, atque ipſam in uxorem ſibi ſumet.* Pariter ſi uxor infœcunda ſit, vel ad patiendum inidonea, quocunque ſe id modo habeat, juri leviratus non eſſe locum, quia præcipuus illius ſcopus ſit ſobolis procreatio, eo quod dicatur:

&

& fiet ut primogenitus quem pepererit &c. Utrum autem levir conjugium inire velit, an vero diſcalceationem admittere, in poteſtate leviri & non in poteſtate fratriæ eſſe, quia ſcriptum ſit, *& fiet, ſi noluerit vir;* unde excipienda ſit mulier. Incumbere quoque fratriæ, ut ſe ad levirum conferat, non autem contra, quia itidem ſcriptum ſit: *& adſcendet fratria illius.* Liquorem denique, quem fratria coram leviro expuit, merum debere eſſe ſputum, absque ullo ſanguine commixto, quia dicatur וירקה בפניו *& ſpuet ante faciem illius.* Hæc de ſenſu legis Moſaicæ literali ex Ebræorum monumentis poſtquam ediſſeruit doctiſſimus Auctor, de ſenſu quoque myſtico ejus ex Sapientum Ebræorum mente nonnulla ſubjungit, ex quibus liquet, eos rationem præcipuam hujus legis in *μετεμψυχώσει* ſeu *animarum tranſmigratione* quæſiviſſe. De fundamentis etiam, quibus Ebræorum de jure leviratus diſceptationes innitantur, poſtquam quædam monuit, ritum ipſum diſcalceandi ita deſcribit. Fratriæ incumbere dicit, ut ſe ad levirum atque deinceps ad judices conferat, ab utrisque conſilium petitura, ſuadentibus quidem his conjugium, ſi ex re leviri ſit, diſcalceationem autem, ſi hanc rebus ejus magis expedire cenſeant, v. g. ſi fratria ſit in flore ætatis, levir autem in provecta ætate verſetur, & vice verſa. Si diſcalceatio peragenda ſit, judicibusque de loco, quem incolunt, conſtiterit, fratriaque & levir ad lectionem adſuefacti ſint, ut illa uno ſpiritu pronunciare poſſit iſta verba: לא אבה יבמי *non vult leviri officium præſtare*, ita ut intervallum aliquod inter אבה & יבמי ponere diſcat, tempus negotio huic conſtituitur, quod quidem die, non noctu, coram viris qui Hebraice legere ſciunt, peragendum eſt. Judicum numerus quinarius requirebatur, quos inter & duo indocti eſſe poterant. Ipſe autem diſcalceandi actus hoc modo peragebatur: leviro adducebatur calceamentum pelliceum calce inſtructum, ſed non lino colligatum, atque hoc pes dexter induebatur corrigiis ad ipſum probe ligatis, & tum fratria in lingua ſancta legebat hæc verba מאן יבמי וגו' *recuſat levir meus fratri ſuo nomen in Iſraële excitare, non vult leviri officium mihi præſtare.* His prælectis levir pedem ſuum in ſolum extendebat, & fratria uno pede demiſſo diſſolvebat calceamenti corrigias, idque exutum projiciebat in terram, & tum fratriæ integrum

erat

erat viro alieno nubere. Deinde fratria ſe erigens coram ipſo in terram exſpuebat, inſpectantibus judicibus; erecto vero corpore ſtare debebant & fratria & levir, & judices videre, an merum ſit ſputum. Negotio ita peracto, fratria intenſa voce prælegit hæc verba ככה יעשה וגו' *ſic ſiet viro &c.*

Alterum locum in hoc opere occupat tractatus כתובות ſeu de *inſtrumento dotali:* de quo argumento itidem Auctor nonnulla præfatur. Inter cætera notatu digniſſimum eſt, quod cujuslibet virginis Iſraëliticæ donatio propter nuptias ducentarum zuzarum ſit, licet ſponſus Crœſo ditior vel Iro pauperior ſit: æqualem enim, ut Auctor aſſerit, voluerunt in hoc capite omnium eſſe conditionem, ne ditiores haberent, quo gloriarentur, & pauperiores, quod ipſis opprobrio eſſet, & a matrimonio eas arceret. Tractatus נדרים ſeu *de votis*, qui ſequitur, Auctori occaſionem de votis Ebræorum nonnulla diſſerendi ſuppeditavit. Nos illud ſaltem haud prætermittendum monitum duximus, quod diverſæ vovendi formulæ, quæ in codice Miſchnico occurrunt, longe difficillimæ recte ab illo appellentur, ejusque rei afferre rationem Maimonidem obſervet, quod cujuslibet ferme regionis incolæ linguam ſuam depravare ſoleant, & res quasdam non ſuis nominibus ſed aliarum rerum cognominibus appellare. Cæterum verſio Latina hujus & ſequentis tractatus Johannis Ulmanni eſt.

Subſequens tractatus de Naziræis nonnulla commentandi Auctori anſam præbuit. Occurrit in hoc negotio vox יפליא quam rectius a פלא *mirificum ſe oſtendere*, quam a פלה ſeparare, derivari contendit, quia, inquit, Naziræi in operibus actionibusque ſuis revera ſe mirificos aliis oſtendunt, ſive quis peculiarem vivendi modum, ſive mirabilia aliqua ab ipſis patrata ſpectet. Quæ in lege Moſaica de iis dicuntur, accurata commentatione Surenhuſius explicat, atque Miſchnicorum quoque de iis præcepta in compendio exhibet. Ultimo loco notat diſcrimen inter Naziræum perpetuum & Simſonæum: Naziræus, inquit, perpetuus, ſi capillities gravitate ipſi incommodabat, ſingulis duodecim menſibus novacula illam leviorem reddere poterat, & tres beſtiolas offerebat, atque inſuper oblationem pro immunditie, ſi pollutus fuiſſet; quorſum refert quod de Abſolone narratur II Sam. XVI. Aſt cum quis Nazi-

ræa-

ræatum Simſonæum voverit (ita pergit) non licet ipſi comam quantumvis ipſum gravantem minuere, neque ſi fortuito pollutus ſit, ſacrificium offerre.

Eodem modo & de סוטה ſeu uxore adulterii ſuſpecta nonnulla commentatur. Nos illud ſaltem obſervamus, quod ex Nachmanide, quem doctorem acutisſimum vocat, affert, ex ejus ſcilicet mente, in tota lege non occurrere quicquam divinius quam illas per aquas amaras explorationes, earumque operationes tam miraculoſas fuiſſe, ut nunquam effectum ſuum negarent, quamdiu Iſraelitæ in maxima continentia ac caſtitate vixerunt. His autem ceſſantibus, ceſſaſſe etiam mirificam illam aquarum vim in detegendis arcanis. Addit & hanc Sapientum Ebræorum animadverſionem, quod uxor adulterii ſuſpecta, poſtquam chartula aquis deleta eſſet, ſi antea peccatum ſuum non confeſſa fuiſſet, nolens aquam amaram bibere debuerit, licet jam confiteretur, adeoque poſt chartulæ deletionem omnino mulieri bibendum fuerit. Ex dictis, cujuſmodi reliqua ſint, haud difficulter intelligitur. Namque & de divortiis & de ſponſalibus Ebræorum, eidem methodo inſiſtens, nonnulla ſed pauca monet. Et de ſponſalibus quidem verba faciens, de triplici conjugii inter Iſraëlitas ineundi modo, emtione, contractu ſeu perſcriptione & congreſſu varia in medium affert. Aſt cum nota hæc fere ſint, nec temere quenquam fugiant, non eſt ut iis immoremur diutius. Interim Auctorem doctisſimum ſplendidiſſimi utiliſſimique operis editione immortalem promereri gloriam, nemo niſi imperitiſſimus harum literarum diffitetur.

LA PAIX DE CLEMENT IX, OU DEMONSTRATIon des deux fauſſetés capitales avancées dans l'Hiſtoire de V Propoſitions &c.

i. e.

PAX A CLEMENTE IX SANCITA, SEU DEMONſtratio duarum capitalium falſitatum in Hiſtoria quinque Propoſitionum admiſſarum.

Chamberii apud J. B. Giraux, 1700. 12. Alph. 1. pl. 5. chartæ majoris.

Con-

Contentionum, in quas viri eruditi exardeſcunt, præſertim theologicarum, non alia fere indoles eſt, quam incendiorum. Hæc enim extincta licet & oppreſſa ſubinde tamen reſuſcitantur, modo vel leviſſima remanſerit ſcintillula in flammam mox pernicioſam eruptura. Eadem & Janſeniſmi videntur eſſe fata, qui licet poſt pacem Clementis IX R. P. opera Galliæ redditam, conſepultus plane videbatur, nunquam tamen non repullularunt iſtæ lites, & nunc denuo conturbaturæ Eccleſiam Romanam videntur, niſi tempeſtivis hæ contentiones remediis reprimantur. In Hiſtoria namque quinque Propoſitionum, a nobis etiam anni proxime elapſi 1700 menſe Majo p. 214 ſqq. commemorata, & cujus auctorem præcipuum Abbatem du Mas eſſe, ſaltem pro auctore eum ſe venditare, innuit præſens ſcriptum, talia paſſim inſeruntur, quæ, quod & nos jam obſervavimus, non tantum indicant Jeſuitarum partibus addictum iſtum Auctorem eſſe, ſed quæ Janſeniſtis etiam non poſſunt non movere ſtomachum. Proinde nunc in lucem prodit præſens Anonymi Janſeniſtarum cauſam agentis commentatio, in qua duo præſertim capita contra iſtam quinque propoſitionum hiſtoriam, ediſſerenda ſibi & evincenda conſtituit. Primo quod illi, qui Janſeniſtarum nomine veniunt, nihil aliud doceant aut unquam docuerint, quam quod Thomiſtæ etiam Romæ, velut in conſpectu Pontificis, docent, perperamque adeo ceu hæretici aut ab Eccleſiæ Romanæ decretis diſſentientes traducantur: deinde quod Romanus Pontifex Clemens IX nec contra prudentiæ nec contra juſtitiæ leges egerit, cauſam quoque totam accurate cognitam exploratamque habuerit, dum litibus hiſce ſententia ſua finem impoſuit. Etenim licet multa animadverſione digna in dicta Hiſtoria quinque propoſitionum deprehenderit Auctor, præcipua tamen hæc capita, in quibus hodie ſumma veluti cauſæ Janſeniſticæ conſiſtat, pertractare conſultum duxit, prætermiſſis cæteris, ne minus neceſſariis immorando, occaſionem triumphum canendi adverſariis præbere videretur: præſertim cum mox accuratior pleniorque Janſeniſmi Hiſtoria in lucem proditura ſit, quam tamen tum Hermanno tum Arnoldo fama publica perperam tribuat. Monet hinc nonnulla de collectionibus variorum monumentorum huic commentationi ſubjunctis, de quibus deinceps nonnulla commemorabimus. Cæterum corruptio-

ruptiones varias ac depravationes, cavillationesque & ſimilia crimina dum adverſario ſuo objicit, ut fieri proh dolor! aſſolet, cum inter viros doctos de rebus aut ad rem litterariam aut ad religionem ſpectantibus concertatur, in corruptionis memorabile, uti putat, exemplum hoc affert. Prima nimirum iſtarum quinque propoſitionum, de quibus tantopere concertatum fuit, ita ſe habet: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia &c.* Hanc Auctor Hiſtoriæ quinque propoſitionum ita tranſtulit: *Quelques commandemens de Dieu ſont impoſſibles à DES juſtes qui DESIRENT & qui tâchent de les garder ſelon les forces qu'ils ont ALORS &c.* In hac translatione tres obſervaſſe ſibi viſus eſt inſignes corruptiones, primo quod propoſitio indefinita mutata ſit in particularem, dum pro *hominibus juſtis* poſuit *à des juſtes*; deinde quod vocem *volentibus* tranſtulerit per *qui deſirent*, cum potius reddi debuiſſet, *qui veulent*; & denique, quod vocem *alors* perperam reddiderit per *præſentes*. Per hanc autem corruptionem ſenſum quoque decretorum Concilii Tridentini & conſtitutionum Pontificum Innocentii X & Alexandri VII corrumpi, prolixius demonſtrare annititur. Alios quidem etiam adhuc ejuſdem Auctoris perſtringit errores, ſed cum minoris momenti ſint, v. g. quod virum, qui in conjugio vixit & liberos procreavit, pro Abbate S. Laurentii venditaverit &c. a nobis rectius prætermittuntur. Ad Auctorem autem Hiſtoriæ quinque propoſitionum quod attinet, docet Abbatem du Mas pro eo haberi velle, ut jam ſupra innuimus, ſed ab aliis tamen librum confectum ſubinnuit, qui ut eo tutius latitent, haud ægre ferant, ut Abbas iſte indignationem Regis Procerumque, ob violatam hoc libro pacem eccleſiaſticam, in ſe derivet. Sed ad ſcopum libri argumentumque utcunque cognoſcendum, hæc ſufficiant: nunc ſumma ejus capita paucis indicabimus.

In duas itaque liber hic diſtributus eſt partes, in quarum prima Auctor evincere annititur, Janſeniſtas nunquam approbaſſe aut docuiſſe errores quinque propoſitionum, nec ante nec poſt conſtitutionem Pontificis Innocentii X. Ut autem omnes adverſarii ſui cavillationes eludat, pro certo & manifeſto ponit, Auguſtini, ut vocat, diſcipulos quinque iſtas propoſitiones admittendo aut defenden-

do nihil aliud quam gratiam per ſe efficacem defendiſſe, eo quidem modo ac ſenſu, quo in ſcholis eccleſiæ Romanæ hoc dogma proponi ſoleat. Interim contigiſſe, ut nonnulli ex iis hoc dogma de gratia per ſe efficaci tanquam in proprio & naturali quinque iſtarum propoſitionum ſenſu comprehenſum conſiderarent, cum alii contra judicarent, ex ſenſu minus proprio minusque naturali harum propoſitionum hoc dogma fluere. Quam quidem quæſtionem Grammaticam eſſe pronunciat, ab eo optime decidendam, qui linguæ Latinæ eſt peritiſſimus; pietati autem aut peritiæ Theologicæ ejus, qui forte in ea erraverit, nihil omnino decedere. Sed ut origo diverſarum iſtarum de ſenſu quinque propoſitionum opinionum eo rectius intelligatur, obſervat, cum circa initium harum contentionum Auguſtini ſectatores deprehenderent, Moliniſtas in eo totos eſſe, ut gratiam ſufficientem Moliniſticam, hoc eſt, libero arbitrio ſubjectam ſtabilirent, nec alium in finem quinque iſtarum propoſitionum damnationem tam ſtrenue urgere, quam ut gratiam efficacem ſimul proſcriberent, quod ex pluribus deinceps patuerit documentis, facile illos in eam potuiſſe adduci ſententiam, quinque iſtas propoſitiones gratiam efficacem in proprio & naturali ſenſu exprimere, eo quod Moliniſtæ illas nullo modo ferre poſſent. Unde minimum hoc ſequatur, non magis eos culpandos eſſe quam Jeſuitas, qui itidem crediderint, dogma gratiæ efficacis, quod ceu hæreticum & Calvinianum deteſtari non deſinant, in ſenſu naturali & proprio propoſitionum iſtarum contineri. Ad hæc accedere, quod propoſitiones iſtæ valde ambiguæ ſint & æquivocæ, etiam ratione ſenſus proprii ac naturalis. Hinc viros in arte Grammatica, Philoſophia & Theologia præſtantiſſimos, in tres circa eas abiiſſe ſententias, quibusdam eas plane ceu falſas & erroneas rejicientibus, aliis pro veris eas reputantibus, nonnullis judicium ſuſpendentibus ambiguitatemque, æquivocationem & obſcuritatem in illis agnoſcentibus. Atque tanta quidem obſcuritate cum laborent hæ propoſitiones in ſe conſideratæ, longe majorem adhuc eam eſſe concludit, ſi cum doctrina Auguſtini ejusque diſcipulorum contendantur. Non ergo mirandum eſſe, ſi nec ipſi Auguſtini diſcipuli de ſenſu harum propoſitionum plane inter ſe convenerint. Nimirum eos, qui judicarunt, quinque illas propoſitiones in ſenſu proprio

prio

Digitized by Google

prio ac naturali comprehendere gratiam efficacem, intellexiſſe eas ſecundum explicationes & limitationes, quibus termini iſti apud Auguſtinum & ejus diſcipulos explicantur: reliquos contra, qui ſecus exiſtimarunt, accepiſſe terminos iſtos ſecundum notionem vulgarem & in ſe abſoluteque ſpectatos. Hæc & alia poſtquam pro Janſeniſtis Auctor diſſeruit, ad argumenta, quibus Auctor Hiſtoriæ quinque propoſitionum evincere voluit, eos quoad ipſa dogmata ante propoſitionum iſtarum condemnationem diverſas foviſſe opiniones, ordine reſpondet. Demonſtrat itaque ſcriptum, cui titulus, *Conſiderations ſur l'entrepriſe de M. Nicolas Cornet*, non tantum adverſario ſuo non favere, ſed contrarium luculentisſime ex eo evinci poſſe. Eodem modo verſatur circa aliud ſcriptum, cui titulus, *Propoſitiones de Gratia in Sorbonæ Facultate propediem examinandæ*, cujus auctor eſt *Abbas de Bourzeys*. Ægerrime quoque fert, adverſarium ſuum provocare auſum fuiſſe ad celebre illud atque famoſum ſcriptum *trium columnarum*. Conſtat hoc ita dici, quod in tribus columnis ἐκ παραλλήλȣ Janſeniſtarum, Orthodoxa, & Moliniſtarum ſententia de gratia exhibebatur. Prima ſcilicet columna continebat ſenſum hæreticum quinque propoſitionum, (ex mente Auctoris loquimur) quem ſemper deteſtatos fuiſſe Janſeniſtas aſſerit, licet perperam a Moliniſtis illis tribueretur: altera continebat ſenſum catholicum de gratia per ſe efficaci, quam ſolam doctrinam quinque propoſitionum defenſores approbaſſe dicit: tertia ſiſtebat errores Moliniſtarum, in quos incidebant, dum errorem primæ & veritatem ſecundæ columnæ impugnabant. Cum ergo conſtet, Janſeniſtas nihil aliud docere, quam quod in ſecunda columna continetur, eaque ſententia vera & orthodoxa ſit, ipſius Eccleſiæ Romanæ judicio, nihil aliud relictum eſſe Auctori Hiſtoriæ quinque propoſitionum, quam ut ad jejunas & ludicras cavillationes dilabatur, quas ex inſtituto ſibi refellendas ſumit. Porro idem Auctor Hiſtoriæ quinque propoſ. aſſeruerat, quoſdam Janſeniſtas mutata ſententia ceciniſſe palinodiam, & in exemplum propoſuerat Lucam Wadinghum, Thomaſinum, & Abbatem Bourzeyſium. Et ad Thomaſinum quidem quod attinet, eum ante conſtitutionem Pontificis nihil ſcripſiſſe Auctor docet, unde quæ ejus illo tempore fuerit ſententia, non conſtet: deinceps vehementer

equidem contra Janſeniſtas eum inſurrexiſſe, ſed ex eo non ſequi, quod ſententiam ſuam retractaverit, cum nunquam Janſeniſtarum ſententiam ſaltem aperte ac ſcriptis defenderit: eundem etiam novum aliquod ſyſtema gratiæ ſibi finxiſſe, quod tamen approbatoribus plane fuerit deſtitutum, ab ipſis etiam Jeſuitis refutatum. Abbatem Bourzeyſium aulæ illecebris irretitum formulæ quidem a clero Gallicano concinnatæ ſubſcripſiſſe, ſed quod etiam quoad quæſtionem juris ſententiam mutaverit, nullo probari poſſe documento. Sed & de Luca Wadingho contrarium diſerte probat. Ceterum duo adhuc capita in priori hac parte Auctor pertractat, paucis ſaltem a nobis indicanda. In priori ea refellit, quæ Auctor Hiſtoriæ quinque propoſitionum in medium attulerat,ut probaret, Janſeniſtas non ea,qua decuerit, veneratione conſtitutiones Pontificis recepiſſe: in poſteriori locum quendam libri, *Tradition de l' Egliſe Romaine ſur la Grace*, ab auctore Hiſtoriæ quinque propoſitionum,uti contendit, corruptum vindicat.

In ſecunda operis hujus parte Auctor quatuor iſtorum Epiſcoporum, quos cauſa Janſeniſtica ſatis celebres reddidit, defenſionem ſtrenue ſuſcipit. Conſtat namque, quatuor iſtos Galliæ Epiſcopos, Apamienſem, Andegavenſem, Bellovacenſem & Alectenſem a partibus Janſeniſtarum ſtetiſſe, nec adduci potuiſſe, ut Alexandri VII R. P. decretum, quo infallibilis Pontificis auctoritas, qua dogmata, qua facta ſtabilitur, in diœceſibus ſuis, ea quidem ratione, ut diſerte in factis infallibilem Pontificis auctoritatem agnoſcere viderentur, publicarent. Exinde cum nova magnarum litium efflореſceret ſeges, res Archiepiſcopi Senonenſis præcipue opera eo perducta eſt, referentibus quidem Janſeniſtis, ut quatuor iſti Epiſcopi ſolenni declaratione profiterentur, ſe, cum ſententia Pontificis a clero Gallicano ſibi indicaretur, non aliter eam intellexiſſe, quam quod Pontifex in rebus tantum fidei obſequium a ſe exigeret. Qua declaratione cum Pontifex contentus eſſet,pax Eccleſiæ Gallicanæ reddita videbatur. Jeſuitæ autem hoc ægre ferentes, mox divulgarunt, Epiſcopos abſolute formulæ ab Alexandro VII concinnatæ ſubſcripſiſſe & a priori diſceſſiſſe ſententia: mox dixerunt,fraudulenter egiſſe iſtos Epiſcopos,ac ſimulaſſe ac ſi cleri Gallicani decretum hoc modo intellexiſſent, cum tamen ignotum illis eſſe non potuerit, in rebus fidei pariter ac factis obſequium erga

Pon-

Pontificem ab iis fuiſſe poſtulatum, & quæ alia erant ejusdem commatis. Eandem autem accuſationem, ſcilicet quod fraudulenter egerint Epiſcopi iſti, cum & Auctor Hiſtoriæ quinque propoſitionum repetierit, noſtro Auctori hinc occaſio data fuit iſtam ſuſpicionem ab Epiſcopis illis amoliendi, quod dum operoſe ac prolixe exſequitur, ad particularia deſcendit, & varia notatu quidem non indigna affert, quæ hic tamen locum non inveniunt.

Subjecit denique Auctor Hiſtoriæ huic duplicem collectionem monumentorum variorum, ad quæ in ipſa commentatione ſubinde provocatum fuit, quæve huic diſputationi omnino inſerviunt, ſed lucem quoque haud contemnendam hiſtoriæ Janſeniſmi affundunt. Indicaremus hic ea monumenta, niſi illorum index operi huic ſubjectus eſſet. Præcipue tamen lectu digna eſt Synopſis hiſtoriæ pacis Eccleſiaſticæ (*Hiſtoire abregée de la paix de l'Egliſe*) quæ anno quidem 1698 jam prodiit, ſed hic ab Auctore accuratior & emendatior exhibetur in ſecunda collectione. Lectu quoque præ cæteris digna eſt relatio eorum, quæ apud Nuncium Apoſtolicum geſta ſunt, cum Archiepiſcopus Senonenſis & Epiſcopus Cabilonenſis Arnaldum, Abbatem de la Lane, & Nicolium ad eum adducerent, quam ex ſcriniis Gondrini (*Mr. de Gondrin*) Archiepiſcopi Senonenſis in lucem Auctor protraxit, quæque eodem die, quo hæc geſta ſunt, conſcripta fuit. Ex hac multa falſa atque mendacia detegi poſſe confidit, quæ Jeſuitæ hactenus de hoc negotio impune diſſeminarint, ad Arſonium quendam (*d'Arçons*) provocantes, qui tamen an unquam in rerum natura extiterit, dubitat. Patere ex hac relatione dicit, non magis tum formulæ (cui ſubſcripſiſſe Arnaldus dicitur) injectam mentionem fuiſſe, quam belli Trojani. Sed mittimus cætera.

JAC. BERNOULLI ANALYSIS MAGNI PROBLEmatis Iſoperimetrici, in Actis Eruditorum A. 1697 pag. 214 propoſiti.

Conferantur Acta A. 1700, p. 261 ſqq.

THEOR. I. *In qualibet Curva, ſi plures applicatæ contiguæ ſe mutuo ſequantur, quarum prima ſeu minima vocetur* $\overset{\prime}{x}$, *vel* x, *ſimpliciter, proxime major* $\overset{\prime\prime}{x}$, *tertia* $\overset{\prime\prime\prime}{x}$, *quarta* $\overset{\prime\prime\prime\prime}{x}$, *&c. erit* $\overset{\prime\prime}{x} \propto x + dx$, $\overset{\prime\prime\prime}{x} \propto x + 2dx + ddx$,

$x'''' \propto x + 3dx + 3ddx + dddx$, *numeris ſcil. terminorum ordine exprimentibus coëfficientes poteſtatum binomii. Si vero applicatarum maxima dicatur* x, *proxime minor* x'', *ſequens* x''', *&c. erit* $x'' \propto x - dx$, $x''' \propto x - 2dx + ddx$, $x'''' \propto x - 3dx + 3ddx - dddx$, *ſignis inſuper* + *&* — *alternatim ſe excipientibus, ut in poteſtatibus apotomarum. Non ſecus ſi applicatarum differentiæ primæ ordine vocentur* dx' (*vel* dx), dx'', dx''', dx'''', *&c. erit* $dx'' \propto dx \pm ddx$, $dx''' \propto dx \pm 2ddx + dddx$, $dx'''' \propto dx \pm 3ddx + 3dddx \pm ddddx$. *Et ſi earundem differentiæ ſecundæ deſignentur per* ddx' (ddx), ddx'', ddx''', *&c. erit* $ddx'' \propto ddx \pm dddx$, $ddx''' \propto ddx \pm 2dddx + ddddx$. ($\pm$ *ſignificat* + *in pr. &* — *in poſt. hypoth.*

Demonſtr.

$x'' \propto x \pm dx$. $\quad dx'' \propto dx \pm ddx$. $\quad ddx'' \propto ddx \pm dddx$.

$x''' \propto x'' \pm dx'' \propto x \pm 2dx + ddx$. $\quad dx''' \propto dx'' \pm ddx'' \propto dx \pm 2ddx + dddx$.

$x'''' \propto x''' \pm dx''' \propto x \pm 3dx + 3ddx \pm dddx$. Q. E. D.

Simili modo, ſi abſciſſæ ab applicatis portiones axis ordine vocentur y' (y), y'', y''', y'''', &c. oſtenditur, fore $y'' \propto y \pm dy$, $y''' \propto y \pm 2dy + ddy$, $y'''' \propto y \pm 3dy + 3ddy \pm dddy$; ut & $dy'' \propto dy \pm ddy$, $dy''' \propto dy \pm 2ddy + dddy$. Et ſi reſectæ portiones ipſius Curvæ dicantur z' (z), z'', z''', &c. fore $z'' \propto z \pm dz$, $z''' \propto z \pm 2dz + ddz$, &c. necnon $dz'' \propto dz \pm ddz$, $dz''' \propto dz \pm 2ddz + dddz$, &c. Intellige, niſi forte differentiæ primæ quantitatis variabilis y vel z ponantur æquales; quo caſu altiores ejus differentiæ omnes evaneſcunt.


Nota, ſupponi, quod creſcente vel decreſcente quantitate variabili, creſcant vel decreſcant ſimul omnes ejus differentiæ: quanquam

V.

ſds
sdt
udu
ɔ o
ɔ o
ɔ ●

I. paj

fig. 3.



quam

quam enim plerumque ſecus accidit, id tamen calculum non turbat, nec aliud infert, quam differentias quasdam ſuppoſitionis noſtræ eſſe negativas; cum negative creſcere decreſcere ſit, & contra. Quæ autem differentiæ in quovis particulari Problemate negativæ ſint, quæ poſitivæ, abſoluta demum analyſi definietur.

Theor. II. *Data ſit poſitione recta* AT, *extraque illam in diverſis diſtantiis puncta quatuor* B, F, G, C, *per quæ tranſeant rectæ* BH, FK, GL, CI *perpendiculares; &* BX, FY, GZ *parallelæ ipſi* AT. *Tum fixis manentibus extremis punctis* B *&* C, *reliqua* F, G *moveri incipiant ſuper datis poſitione rectis* FK, GL, *hac tamen lege, ut ſumma trium jungentium rectarum* BF + FG + GC *maneat conſtans & eadem: erit fluxio momentanea puncti* F *ad fluxionem momentaneam puncti* G, *h. e. incrementum vel decrementum rectæ* KF *ad decrementum vel incrementum rectæ* LG; *ut differentia inter duo priora ad differentiam inter duo poſteriora trium ſolidorum ſub* CZ, BF, FG; *ſub* GY, BF, GC, *& ſub* FX, FG, GC. (*Fig. I.*) *TAB. IV. Fig. I.*

Ut Theorema exprimatur ſymbolice, ſunto

$BX \propto l$	$FX \propto p$	$BF \propto s$	*nec non* $HB \propto b$	*adeoque*
$FY \propto m$	$GY \propto q$	$FG \propto t$	$KF \propto f \propto b + p$	$df \propto dp$
$GZ \propto n$	$CZ \propto r$	$GC \propto u$	$LG \propto g \propto b + p + q$	$dg \propto dp + dq.$

Dico, fore df. — dg : : rst — qsu. qsu — ptu.

Dem. Partim propter triangula rectangula *BXF*, *FYG*, *GZC*; partim ob puncta fixa *B* & *C*, ac per hypotheſin, habentur ſequentes ſex æqualitates:

$BX^2 + FX^2 \propto BF^2$, id eſt, $ll + pp \propto ss$	unde differentiando emergunt pro fluxu indeterminato punctorũ F G Æquationes	*I.* $ldl + pdp \propto sds$
$FY^2 + GY^2 \propto FG^2$ - - - $mm + qq \propto tt$		*II.* $mdm + qdq \propto tdt$
$GZ^2 + CZ^2 \propto GC^2$ - - - $nn + rr \propto uu$		*III.* $ndn + rdr \propto udu$
$BX + FY + GZ \propto$ conſt. $l + m + n \propto$ conſt.		*IV.* $dl + dm + dn \propto 0$
$FX + GY + CZ \propto$ conſt. $p + q + r \propto$ conſt.		*V.* $dp + dq + dr \propto 0$
$BF + FG + GC \propto$ conſt. $s + t + u \propto$ conſt.		*VI.* $ds + dt + du \propto 0$

pro quibus, in caſu hujus Theorematis, ob fluxum punctorum *F*, G in rectis *KF*, *LG* (qui rectas *BX*, *FY*, *GZ*, ſeu *l*, *m*, *n*, invariatas relinquit, ipſasque proin *dl*, *dm*, *dn* cum tota æquatione *IV* evaneſcere facit) ſcribendæ

I. pdp

I. *pdp* ꝏ *ſds*
II. *qdq* ꝏ *tdt*
III. *rdr* ꝏ *udu*
V. *dp* ✝ *dq* ✝ *dr* ꝏ o
VI. *ds* ✝ *dt* ✝ *du* ꝏ o

ſic ut ſex tantum differentialia & quinque æquationes remaneant, quarum beneficio quatuor ex illis omnifariam tolli, & reliquorum duorum ratio ad invicem inveniri poteſt. Nam ex. gr. per *VI* habetur *du* ꝏ —*ds*—*dt*, & per *V*, *dr* ꝏ — *dp*—*dq*; qui valores in *III* loco *dr* & *du* ſubſtituti faciunt *dt* ꝏ *rdp* ✝ *rdq*—*uds* : *u*; & hic loco *dt* ſurrogatus in *II* producit *ds* ꝏ *rtdp* ✝ *rtdq*—*qudq* : *tu*; qui denique poſitus pro *ds* in *I* exhibet, *ptu*—*rſt*, *dp* ꝏ *rſt*—*qſu*, *dq*; unde *dp*. *dq* :: *rſt*—*qſu*. *ptu*—*rſt*, nec non componendo *dp*. *dp* ✝ *dq* (hoc eſt, *df*. *dg*) :: *rſt*—*qſu*. *ptu*—*qſu*, ſeu, variatis ſignis ſecundi & quarti termini, *df*. —*dg* :: *rſt*—*qſu*. *qſu*—*ptu*. Q. E. D.

Theor. III. *Ponantur, quæ in præced. rurſumque ſumma rectarum* BF✝FG✝GC *conſtanter maneat eadem; ſed fluant puncta* F, G *in peripheriis circulorum ſuper punctis fixis* B, C *deſcriptorum, ſecum ducentia rectas* KF, LG: *erit incrementum momentaneum rectæ* KF *ad decrementum moment. rectæ* LG, *aut viciſſim decrementum illius ad incrementum hujus; ut differentia inter duo priora ad differentiam inter duo poſteriora trium ſolidorum ſub* BX, FY, CZ; *ſub* BX, GZ, GY, & ſub FY, GZ, FX; *hoc eſt in ſymbolis, erit* df. — dg :: lmr — lnq. lnq — mnp. (*Fig. I.*)

TAB. IV. *Fig. I.*

Dem. Durante fluxu punctorum *F*, *G* in peripheriis circa *B*, *C*; cum invariatæ maneant ſingulæ *BF*, *FG*, *GC*, ſeu *s*, *t*, *u*; evaneſcantque adeo *ds*, *dt*, *du* una cum æquatione VI. Theor. præced. cæteræ ibidem pro fluxu punctorum indeterminato repertæ æquationes ad has quinque reducuntur:

I. *ldl* ✝ *pdp* ꝏ o
II. *mdm* ✝ *qdq* ꝏ o
III *ndn* ✝ *rdr* ꝏ o
IV. *dl*✝*dm*✝*dn* ꝏ o
V. *dp*✝*dq*✝*dr* ꝏ o

Per *V* habetur *dr* ꝏ — *dp* — *dq*, & per *IV*, *dn* ꝏ — *dl* — *dm*; quibus valoribus ſubſtitutis in *III* fit *dm* ꝏ —*rdp*—*rdq*—*ndl*: *n*; & hinc in *II*, *dl* ꝏ *mrdp*—*mrdq*—✝*nqdq*:*mn*, indeque tandem in *I*, *mnp*—*lmr*, *dp* ꝏ *lmr* — *lnq*, *dq*: quare *dp*. *dq* :: *lmr* — *lnq*. *mnp* — *lmr*; & componendo *dp*. *dp* ✝ *dq* (*df*. *dg*) :: *lmr* — *lnq*. *mnp* — *lnq*; ſeu *df*. — *dg* :: *lmr* — *lnq*. *lnq* — *mnp*. Q. E. D.

Theor. IV. *Intelligantur in quâlibet Curvâ ABD quatuor ordinatim-applicatæ contiguæ* HB, KF, LG, IC, *intervallulis æqualibus & infinite*

nite parvis HK, KL, LI *diſcretæ, & intercipientes Curvæ portiunculam* BFGC; *quarumque (ſi vis) prima ſeu minima* HB *vocetur* x, *ſicut* AH y, *&* AB z. *Tum vero mutetur paululum curvedo portiunculæ* BFGC *fluxu punctorum* F, G *ſuper applicatis ſuis* KF, LG; *ſic tamen ut longitudo particulæ inter extrema puncta fixa* B, C *non mutetur. Erit incrementum aut decrementum applicatæ* KF *ad decrementum vel incrementum applicatæ* LG, *ut*

$$\dotplus dz^2ddx \dotplus dz^2dddx \text{ ad } \dotplus dz^2ddx \dotplus 2dxddx^2.$$
$$- dxddx^2$$

(Fig. I.)

Dem. Caſus hic eſt ſpecialis Theorematis ſecundi, a quo non differt, niſi quod hic ob infinite propinqua puncta *B, F, G, C* rectæ *BX*, *FX*, *BF*, &c. ſeu *l, p, s* cæteræque conſiderentur ut infinite parvæ, abeantque reſpectu Curvæ in differentialia ſeu elementa *dy, dx, dz*, &c. Unde per Theorema *I* quantitates hæ fient

BX ſeu $l = dy' = dy$	*FX* ſeu $p = dx' = dx$	*BF* ſeu $s = dz' = dz$
$FY - m = dy'' = dy \pm ddy$	$GY - q = dx'' = dx \pm ddx$	$FG - t = dz'' = dz \pm ddz$
$GZ - n = dy''' = dy \pm 2ddy \pm dddy$	$CZ - r = dx''' = dx \pm 2ddx \pm dddx$	$GC - u = dz''' = dz \pm 2ddz \pm dddz$

Solida vero ex illis *rst*, *qsu*, *ptu*, quorum differentiæ vi Theorematis ſecundi quæſitum exhibent, multiplicatione inveniuntur, ut ſequitur:

$r = dx \pm 2ddx \pm dddx$	$u = dz \pm 2ddz \pm dddz$	$u = dz \pm 2ddz \pm dddz$
$st = dz^2 \pm dzddz$	$qs = dxdz \pm dzddx$	$pt = dxdz \pm dxddz$
$rst = dxdz^2 \pm 2dz^2ddx \pm dz^2dddx \pm dxdzddz \pm 2dzddxddz$	$qsu = dxdz^2 \pm 2dxdzddz \pm dxdzdddz \pm dz^2ddx \pm 2dzddxddz$	$ptu = dxdz^2 \pm 3dxdzddz \pm$

& facta ſubtractione, eorum differentiæ:

$rst - qsu = \dotplus dz^2ddx \dotplus dz^2dddx - dxdzddz - dxdzdddz$	$qsu - ptu = \dotplus dz^2ddx \dotplus 2dzddxddz - dxdzddz - 2dxddz^2$;

ad quas abbreviandas eliminari poſſunt *ddz* & *dddz*, hoc pacto: Quoniam $dz^2 = dy^2 \dotplus dx^2$, atque ob æquidiſtantes ex hypotheſi applicatas *dy* eſt conſtans, ſumendo differentias habetur $dzddz = dxddx$; iterumque differentiando $dzdddz \dotplus ddz^2 = dxdddx \dotplus ddx^2$, hoc eſt, $dzdddz = dxdddx \dotplus ddx^2 - ddz^2 =$ (delendo ddz^2) $dxdddx \dotplus ddx^2 - dx^2ddx^2 : dz^2$; quibus valoribus in locum *dzddz* & *dzdddz*, nec non dy^2 in locum $dz^2 - dx^2$ ſuffectis, exſurgit

E e   *rst* —

$$rst - qsu \infty \pm dy^2 ddx \pm dy^2 dddx - dxdy^2 ddx^2 : dz^2 \;\Big|\; qsu - ptu \infty \pm dy^2 ddx \pm 2dxdy^2 ddx^2 : dz^2.$$

unde conſequitur, quod Increm. *KF.* Decr. *LG.* ($:: rst - qsu . qsu - ptu$, per Theor. II) $:: dy^2 ddx \pm dy^2 dddx - dxdy^2 ddx^2 : dz^2 \;.\; dy^2 ddx \pm 2dxdy^2 ddx^2 : dz^2$

$::$ (facta communi multiplicatione per $dz^2 : dy^2$) $dz^2 ddx \pm dz^2 dddx - dxddx^2 . dz^2 ddx \pm 2dxddx^2$. *Q. E. D.*

Nota, quantitates r, s, t, &c. earumque producta conſtare diverſorum ordinum aut claſſium differentialibus; quorum poſteriora prioribus gradatim ſunt incomparabiliter minora; quocirca ne permiſceantur, opera danda in ſumendis ſolidis, ut, quæ ſunt ejusdem ordinis, interque ſeſe comparari poſſunt, in eodem ſibi articulo reſpondeant. Pergendum autem eſt in operatione ad tertium usque ordinem, non ultra; tum primi & ſecundi ordinis quantitates omnes in calculi progreſſu ſe mutuo deſtruant; quæ vero tertium ordinem excedunt, ob contemnendam priorum reſpectu parvitatem tuto negligantur; quemadmodum etiam ſupra factitatum videmus, ubi producta ex *dzddz* per *dddx*, ex *dzddx* & *dxddz* per *dddz* in calculo compendioſe inſuper habentur.

Theor. V. *Sunto in qualibet Curva quatuor applicatæ contiguæ* HB, KF, LG, IC, *quarum rurſum prima & minima* HB *vocetur* x, *uti* AH y, & AB z; *quæque intercipiant tres Curvæ particulas æquales & infinite parvas* BF, FG, GC. *Mutetur vero paululum curvedo harum partium rotatione extremarum* BF, GC *circa puncta fixa* B, C, *ſic temperata, ut nec ſingulæ nec univerſæ longitudine varient. Erit increm. vel decrem. applicatæ* KF, *ad decrem. vel increm. applicatæ* LG, *ut* $dy^2 ddx \pm dy^2 dddx \pm dxddx^2$ *ad* $dy^2 ddx - 2dxddx^2$. *(Fig. I.)*

Dem. Caſus eſt Theorematis tertii, abeuntibus hic iterum rectis *BX*, *FX*, *BF* &c. ſeu l, p, s, cæterisque in infinite parva ſeu differentialia dy, dx, dz, &c. Quapropter eorum ſolida lmr, lnq, mnp, & ſolidorum differentiæ, quæ per Theorema dictum quæſitam rationem manifeſtant, eodem modo reperiuntur, quo in præced. En operationem:

$r \infty dx$

$$\begin{array}{l|l|l} r = dx + 2ddx + dddx & n = dy + 2ddy + dddy & n = dy + 2ddy + dddy \\ lm = dy^2 + dyddy & lq = dxdy + dyddx & mp = dxdy + dxddy \\ \hline lmr = dxdy^2 + 2dy^2ddx + dy^2dddx & lnq = dxdy^2 + 2dxdyddy + dxdydddy & mnp = dxdy^2 + 2dxdyddy \\ \quad + dxdyddy + 2dyddxddy & \quad + dy^2ddx + 2dyddxddy & \quad + dxdyddy \end{array}$$

atque adeo

$$\begin{array}{l|l} lmr - lnq = + dy^2ddx + dy^2dddx & lnq - mnp = + dy^2ddx + 2dyddxddy \\ \quad - dxdyddy - dxdydddy & \quad - dxdyddy - 2dxddy^2 \end{array}$$

Porro eliminari poſſunt ddy & $dddy$ hoc modo: Conſid. $dy^2 = dz^2 - dx^2$, ipſumque dz eſſe conſtans ob æquales ſuppoſitas Curvæ particulas; unde bis differentiando fit primo $dyddy = - dxddx$, deinde $dydddy = - dxdddx - ddx^2 - ddy^2 =$ (ſublato ddy^2) $- dxdddx - ddx^2 - dx^2ddx^2 : dy^2$; his namque in locum $dyddy$ & $dydddy$, ipſoque dz^2 in locum $dx^2 + dy^2$ ſuccenturiatis, provenit

$$\begin{array}{l|l} lmr - lnq = dz^2ddx + dz^2dddx & lnq - mnp = dz^2ddx - 2dxdz^2ddx^2 : dy^2 \\ \quad + dxdz^2ddx^2 : dy^2 & \end{array}$$

e quo colligitur, quod Increm. KF. Decrem. LG (:: $lmr - lnq . lnq. - mnp$, per Theor. III) :: $dz^2ddx + dz^2dddx + dxdz^2ddx^2 : dy^2 . dz^2ddx - 2dxdz^2ddx^2 : dy^2$ :: (æque-mult. per $dy^2 : dz^2$) $dy^2ddx + dy^2dddx + dxddx^2 . dy^2ddx - 2dxddx^2$ Q.E.D.

Theor. VI. *Si ſint duæ quantitates indeterminatæ, minor* f, & *hanc augmento infinite parvo ſuperans* g; *rurſumque aliæ duæ per has ſimiliter expreſſæ vel datæ* F & G; *ſitque* ad F = hdf, & ad G = idg: *Dico, fore* i = h + dh.

Dem. Ponatur ex. gr. $F = \sqrt{aa + ff}$, eique ſimilis $G = \sqrt{aa + gg}$, erit $ad F : df$ ſeu $h = af : \sqrt{aa + ff}$, & $ad G : dg$ ſeu $i = ag : \sqrt{aa + gg}$. Patet autem, has quantitates $af : \sqrt{aa + ff}$ & $ag : \sqrt{aa + gg}$, cum & ipſæ ſimiliter ſint affectæ, eidem Curvæ applicabiles eſſe, prout ejus abſciſſæ dicuntur f vel g: quoniam igitur f & g ex hypoth. denotant abſciſſas incremento infinite parvo differentes, erunt reſpectivæ earum applicatæ h & i ſibimet contiguæ & proximæ, ac proinde $i = h + dh$. Q. E. D.

Theor. VII. *Si Curva* ABD *inter omnes ſibi Iſoperimetras iisdemque punctis* A, D *interceptas Curvas privilegio cujusdam Maximi Minimive potiatur, qualibet ejus particula* BFGC *eodem quoque præ aliis omnibus ſibi æqualibus, interque puncta* B & C *extenſis lineis, privilegio gaudebit.* (*Fig. I.*)

 Dem.

Dem. Gaudeat enim alia æqualis lineola *BEC* hoc privilegio, ut Maximum illud Minimumve contineat vel producat: majus ergo vel minus continebit aut producet *BEC* quam *BFGC*, additoque communiter quod continetur vel producitur ab ipſis *AB* & *CD*, majus minuſve continebit aut producet tota *ABECD* quam tota *ABFGCD*. Non ergo huic competit privilegium Maximi Minimive, contra hypotheſin.

Nota: Senſus Theorematis & Demonſtrationis ejus videtur paulo obſcurior, nec ſatis determinatus; ſed planior fiet infra ex applicatione: quod moneo, ne quis moroſior propoſitionem ſtatim ſugillet, cui ſenſum fortaſſe ambiguum aut falſum affingi poſſe viderit.

Hactenus generalia:

Sequuntur nunc ipſa Problemata, ubi pro ſpecialibus ſingulorum æquationibus inveniendis nihil jam ſupereſt aliud, quam ut ratio incrementi vel decrementi rectarum *KF*, *LG* ex ſpeciali cujusque Problematis natura in aliis adhuc terminis reperiatur; cui negotio facilitando vel elementa *dy* ſeu *HK*, *KL*, *LI*; vel elementa *dz* ſeu *BF*, *FG*, *GC* ponenda ſunt conſtantia & æqualia; prout in quovis Problemate hoc vel illud ſimplicius videbitur. Quanquam enim id rem ipſam ſpectando ſit indifferens, ſæpe tamen unum quam alterum operationem haud paulo faciliorem reddere poteſt.

PROBL. I. *Datis poſitione rectis normalibus* AT, AM, *& Curva quacunque* AN, *quæritur ex omnibus Figuris Iſoperimetris ſuper communi baſe* AT *& inter eadem puncta* A, D *conſtitutis, illa* ABD, *e cujus ſingulis punctis* B *ſi ducantur binæ rectæ* BHP, BMN, *normales ipſis* AT, AM; *ac ſtatuatur pars prioris* HP ꝏ MN: *ut ſpatium inde ortum* ATV *omnium a cæteris Iſoperimetris ſimiliter genitorum ſpatiorum ſit Maximum Minimumve. (Fig. I.)*

Anal. Sit Curva optata *ABD*, & Maximum Minimumve quod ab illa producitur, faciendo ubique *HP* ꝏ *MN*, ſpatium *ATV*. Intelligantur in æqualibus interſtitiolis *HK*, *KL*, *LI*, quorum ſingula dicantur *l*, quatuor applicatæ contiguæ, *HB* ꝏ *b*, *KF* ꝏ *f*, *LG* ꝏ *g*, *IC* ꝏ *c*; totidemque aliæ per has ſimiliter expreſſæ, propterea que denotandæ per majuſculas, *HP* ꝏ *B*, *KR* ꝏ *F*, *LS* ꝏ *G*, *IQ* ꝏ *C*. Erit per Theor. VII ſpatiolum *PHIQ*, hoc eſt, *HK* in *HP* + *KL* in *KR* + *LI* in *LS*, ſeu

ſeu $lB+lF+lG =$ Maximo Minimove, adeoque ex natura Maximi Minimique ejus differentiale $ldF+ldG = 0$, ſeu, divid. per l, $dF+dG = 0$. (Ob fluxum enim punctorum F, G, quem ſuper rectis KF, LG fieri concipio, ſolæ applicatarum mediæ KF, LG, KR, LS, ſeu f, g, F, G longitudinem mutant, extremis HB, IC, HP, IQ, ſeu b, c, B, C conſtanter iisdem manentibus.) Ponatur $dF = bdf : a$, & $dG = idg : a$, erit $bdf + idg = 0$; unde proportio, $df. - dg :: i. b ::$ (per Theor. VI.) $b + db. b$: & quia per Theor. IV generaliter quoque habetur $df. - dg :: dz^2ddx + dz^2dddx. dz^2ddx + 2dxddx^2$, ſequitur fo-

$-dxddx^2$

re, $b + db. b :: dz^2ddx + dz^2dddx. dz^2ddx + 2dxddx^2$, ac dividendo

$-dxddx^2$

$db. b :: + dz^2dddx. + dz^2ddx + 2dxddx^2$; unde extremis & mediis in

$-3dxddx^2$

ſe invicem ductis (omiſſo tamen, quod cæterorum reſpectu evaneſcit, producto $2dbdxddx^2$) reſultat Æquatio ſpecialis noſtri Problematis $+bdz^2dddx - 3bdxddx^2 = + dbdz^2ddx$, quæ, ut apparet, ad tertias uſque differentias adſcendit. Hanc autem ego porro ad ſecundas, indeque ad primas, ſequente analyſi reduco:

Primo, loco $dxddx$ reſtituo $dzddz$ (hoc fini, ut tot habeantur quantitates b, dz, ddx, una cum ſuis differentialibus db, ddz, $dddx$, quot ſunt æquationis membra) eritque $bdz^2dddx - 3bdzddxddz = db\,dz^2ddx$; deinde transfero omnia ad unam partem, atque divido per z, ut ſit $bdzdddx - 3bddxddz - dbdzddx = 0$. Jam fingo æquationem $b^m dz^n ddx^r =$ conſt. elevatis tribus quantitatibus b, dz, ddx ad poteſtates ignotas, ſed ex progreſſu determinandas, m, n, r; factaque differentiatione obtineo $rb^m dz^n ddx^{r-1} dddx + nb^m dz^{n-1} ddx^r ddz + mb^{m-1} dbdz^n ddx^r = 0$, quæ diviſione per $b^{m-1} dz^{n-1} ddx^{r-1}$ contrahitur ad hanc $rbdzdddx + nbddxddz + mdbdzddx = 0$; hæc vero terminotenus collata cum Æquatione Problematis $bdzdddx - 3bddxddz - dbdzddx = 0$, exhibet $r = 1$, $n = -3$, & $m = -1$: unde loco fictæ æquationis $b^m dz^n ddx^r =$ conſt. habetur $ddx : bdz^3 =$ conſt. $=$ (ex lege homogeneorum & propter conſtans dy) ♉ $1 : aady$, æqua-

 tio

tio nempe differentialis ſecundi gradus; ad quam ulterius deprimendam pono rurſum æquationem $adx \propto tdy$, e qua debite tractata fluunt ſequentia, $ddx \propto dtdy : a$, $aadx^2 \propto ttdy^2$, & (addito $aady^2$) $aadx^2 + aady^2$, id eſt, $aadz^2 \propto \overline{aa+tt}, dy^2$, & $dz \propto dy\sqrt{aa+tt} : a$; hi vero valores loco ddx & dz in æquatione inventa $ddx : bdz^3 \propto \pm 1 : aady$ ſubſtituti producunt $aadt : \overline{aa+tt}\sqrt{aa+tt} \propto \pm bdy : aa \propto \pm bdx : at$, ſeu (inſtituta multiplicatione per $\pm t$) $\pm aatdt : \overline{aa+tt}\sqrt{aa+tt} \propto bdx : a \propto$ (propter eandem f & x) $bdf : a \propto$ (per hyp.) dF, unde facta ſummatione acquiritur, partim $aa : \sqrt{aa+tt}$, partim $a - aa : \sqrt{aa+tt} \propto F$, h. e. applicatæ KR, ſeu huic contiguæ HP aut MN; quam ſi deinceps vocare lubeat p, habebitur tum $p \propto aa : \sqrt{aa+tt}$, tum $p \propto a - aa : \sqrt{aa+tt}$; unde viciſſim & $t \propto a\sqrt{aa-pp} : p$, & $t \propto a\sqrt{2ap-pp} : a-p$. Atque hi tandem valores in poſita æquatione $adx \propto tdy$ in locum t ſuffecti exhibent partim $dy \propto pdx : \sqrt{aa-pp}$, partim $dy \propto \overline{a-p}, dx : \sqrt{2ap-pp}$, pro Æquationibus ſimpliciter differentialibus Curvarum, quæ Maximum Minimumve ſpatium ATV ($\int pdy$) ſuppeditant. Quod quidem principaliter inveniendum erat.

Utri vero harum Curvarum Maximum, & utri Minimum $\int pdy$ conveniat, ſic indagabimus: Prior Æquatio eſt $dy \propto pdx : \sqrt{aa-pp}$; unde quadrando $dy^2 \propto ppdx^2 : \overline{aa-pp}$, & (addendo dx^2) $dy^2 + dx^2$ ſive $dz^2 \propto aadx^2 : \overline{aa-pp}$; & extrahendo radicem, $dz \propto adx : \sqrt{aa-pp}$: quare $dy . dz :: p . a$; hoc eſt, ſumta conſtante dz, dy proportionatur ipſi p. Ergo ſi creſcentibus x creſcere ſupponantur p, creſcent una quoque ipſa dy, quod indicium eſt, Curvam Æquationi huic reſpondentem verſus axem AT cavam eſſe. Sit illa (Fig. 2.) TAB. IV. Fig. 2. ABC, & rotetur circa chordam AC, gignens ex oppoſito aliam ſibi Iſoperimetron AEC, ac utrique communis applicetur ordinata BEF. Quoniam igitur ex hyp. p majoris applicatæ x ſeu BF major eſt ipſa p minoris applicatæ EF, erit quoque pdy illius major quam pdy hujus; ac proinde omnia pdy ſeu $\int pdy$ Curvæ ABC majora omnibus pdy Curvæ AEC; quocirca $\int pdy$ Curvæ ABC non poteſt eſſe Minimum. Supereſt ergo, cum ſit alterutrum, ut ſit Maximum. Quod ſi creſcentibus x decreſcant p, decreſcent quoque dy, & Curva verſus axem AT convexa

vera erit? Sit hæc *AEC*, ejusque rotatu circa chordam *AC* gignatur ex adverſo alia Iſoperimetros *ABC*, & utrique applicetur *BEF*; unde cum nunc ex hyp. p minoris applicatæ *EF* reciproce major ſit ipſa p majoris applicatæ *BF*, erit quoque pdy illius major quam pdy hujus, omniaque pdy Curvæ *AEC* majora omnibus pdy Curvæ *ABC*: quare $\int pdy$ Curvæ *AEC* nequit eſſe Minimum; rurſum igitur Maximum ut ſit neceſſe. E quibus conſtat, quod Curva prioris Æquationis $dy \infty pdx : \sqrt{aa - pp}$ ſemper Maximum complectatur $\int pdy$, utcunque ſe habeat p reſpectu x. Eodemque etiam modo oſtendi poſſet, quod Curva poſterioris Æquationis $dy \infty \overline{a - p}, dx : \sqrt{2ap - pp}$ in omni viciſſim caſu Minimum $\int pdy$ contineat. Sed cui Lectoris uſui repetita crambe?

PROBL. II. *Quæritur ex omnibus Figuris Iſoperimetris, ſuper communi baſe* AT *& inter eadem puncta* A, D *conſtitutis, illa* ABD, *cujus ſingulis applicatis* BH *ſi reſpondeant alia* HP, *datam habentes relationem ad abſciſſas ipſius Curvæ portiones* AB, *ſpatium hinc ortum* ATV *omnium a cæteris Iſoperimetris ſimiliter genitorum ſpatiorum ſit Maximum Minimumve.* (*Fig. I.*)

Anal. Sit rurſum, ut nuper, $HK \infty KL \infty LI \infty l$; inſuperque

portio Curvæ $AB \infty \beta$
$AF \infty AB + BF \infty \beta + s \ldots \infty \phi$ | adeoque $d\phi \infty ds$
$AG \infty AF + FG \infty \beta + s + t \infty \gamma$ | $d\gamma \infty ds + dt$.

& per has ſimiliter datæ

$HP \infty B$
$KR \infty \Phi$
$LS \infty \Gamma$

Quoniam igitur ſpatium *ATV* ex hyp. eſt Maximum Minimumve, erit quoque tale per Theor. VII ejus portio *PHIQ*, h. e. *HK* in *HP* + *KL* in *KR* + *LI* in *LS* ſive $lB + l\Phi + l\Gamma$; ac proinde ex nat. Maximi Minimique ejus differentiale $ld\Phi + ld\Gamma \infty 0$, ſeu $d\Phi + d\Gamma \infty 0$ (concipiendo nempe rurſum, mutari curvedinem fluxu punctorum *F*, *G* ſuper applicatis *KF*, *LG*, quo ſolæ *AF*, *AG*, & per has datæ *KR*, *LS* mutantur, reliquis *AB* & *HP* non mutatis.) Ponatur $d\Phi \infty bd\phi : a$, & $d\Gamma \infty id\gamma : a$, fiet $bd\phi + id\gamma \infty 0$, ſeu $bds + ids + idt \infty 0$, ſive (loco ds & dt introducendo dp & dq, per duas primas Æquationes Theor. II.) $bpdp : s + ipdp : s + iqdq : t \infty 0$, ſive, ſublatis fractionibus, $bptdp + iptdp + iqsdq \infty 0$; & æqualitate in proportionem verſa, $dp. dq :: - iqs. bpt + ipt$; componendoque, $dp. dp + dq$ ($:: df. dg.$) $:: - iqs. bpt + ipt - iqs$, ac denique mutatis ſignis ſecundi & tertii termini, $df.$

$-dg ::$

— $dg :: iqs . bpt + ipt - iqs$. Surrogetur jam loco i per Theor. VI $b + db$; & quantitates p, q, s, t vertantur per Theor. I in differentialia (ut factum in demonſtr. Theor. IV, niſi quod in ſumendis ſolidis ultra ſecundum differentialium ordinem nunc progredi non eſt neceſſe) hoc pacto:

$$\begin{array}{l} qs = dxdz + dzddx \\ i = b + db \\ \hline iqs = bdxdz + bdzddx \\ \qquad + dbdxdz \end{array} \quad \Bigg| \quad \begin{array}{l} pt = dxdz + dxddz \\ b + i = 2b + db \\ \hline bpt + ipt = 2bdxdz + 2bdxddz \\ \qquad + dbdxdz \end{array} \quad \Bigg| \quad \begin{array}{l} \text{\& facta ſubtractione} \\ bpt + ipt - iqs = bdxdz + 2bdxddz \\ \qquad - bdzddx \end{array}$$

quocirca $df. - dg :: bdxdz + bdzddx + dbdxdz . bdxdz + 2bdxddz - bdzddx$;

ſed per Theor. IV, $df. - dg :: dz^2ddx + dz^2dddx - dxddx . dz^2ddx + 2dxddx^2$:

quare $bdxdz + bdzddx + dbdxdz . bdxdz + 2bdxddz - bdzddx :: dz^2ddx + dz^2dddx - dxddx^2 . dz^2ddx + 2dxddx^2$

convertendoque, $bdxdz + bdzddx + dbdxdz . + 2bdzddx - 2bdxddz + dbdxdz :: dz^2ddx + dz^2dddx - dxddx^2 . + dz^2dddx - 3dxddx^2$,

ſeu (neglectis compendii gratia in primo & tertio termino differentialibus ſecundi ordinis, ceu nulli amplius uſui futuris, cæterisque per dz diviſis) $bdx . + 2bdzddx - 2bdxddz + dbdxdz :: dzddx . + dz^2dddx - 3dxddx^2$;

unde ductis in ſe invicem extremis & mediis reſultat, $bdxdz^2dddx - 3bdx^2ddx^2 = 2bdz^2ddx^2 - 2bdxdzddxddz + dbdxdz^2ddx$, hoc eſt, (compactis in unum 2do & 4to terminis ſubſtitutione $dxddx$ loco $dzddz$) $bdxdz^2dddx = 2bdz^2ddx^2 + bdx^2ddx^2 + dbdxdz^2ddx$; quæ eſt Æquatio ſpecialis hujus Problematis, ad tertias itidem differentias aſſurgens, quam ſimili, qua in præc. Problemat. uſus fui, analyſi ad has duas æquationes ſimplices $dy = qdz : \sqrt{aa + qq}$, & $dy = a - q, dz : \sqrt{bb - 2aq + qq}$, reduco. Operationem ipſam, ne tædio ſim, omitto; ſed veritatem aſſerti confirmabit omiſſæ analyſi haud ingrata, nec inutili, varietate ſuccenturianda ſyntheſis. Meminerit ſolum Lector, dy rurſum eſſe elementum conſtans, Curvamque AB vel AF, quæ ſupra erat Φ, jam vocari z; & datam per ipſam HP vel KR, quæ dicebatur ϕ, nunc appellari q; ſicut loco $d\phi = bd\Phi : a$ deinceps habeatur $dq = bdz : a$.

Æq.

Æq. I. $dy \infty qdz : \sqrt{aa + qq}$

esto compend. gr. $\sqrt{aa + qq} \infty s$

$$dy \infty qdz : s$$
$$dz \infty sdy : q$$
$$dx \infty ady : q$$
$$dq \infty bdz : a \infty bsdy : aq$$
$$ds \infty qdq : s \infty bdy : a$$
$$ddx \infty - adydq : qq \infty - bsdy^2 : q^3$$
$$dddx \infty \left\{ \begin{array}{l} + 3bsdy^2dq : q^4 \\ - bdy^2ds \quad : q^3 \\ - sdy^2db \quad : q^3 \end{array} \right\} \infty \left\{ \begin{array}{l} + 2bbssdy^3 : aq^5 \\ + abbdy^3 \quad : q^5 \\ - sdy^2db \quad : q^3 \end{array} \right.$$

Æq. II. $dy \infty a - q, dz : \sqrt{bb - 2aq + qq}$

fit brev. ergo, $\sqrt{bb - aa} \infty c, a - q \infty r, \sqrt{bb - 2aq + qq} \infty s$

$$dy \infty rdz : s$$
$$dz \infty sdy : r$$
$$dx \infty cdy : r$$
$$dr \infty - dq \infty - bdz : a \infty - bsdy : ar$$
$$ds \infty - rdq : s \infty - bdy : a$$
$$ddx \infty - cdydr : rr \infty cbsdy^2 : ar^3$$
$$dddx \infty \left\{ \begin{array}{l} - 3cbsdy^2dr : ar^4 \\ + cbdy^2ds \quad : ar^3 \\ + csdy^2db \quad : ar^3 \end{array} \right\} \infty \left\{ \begin{array}{l} + 2cbbssdy^3 : aar^5 \\ + c3bbdy^3 \quad : aar^5 \\ + csdy^2db : \quad ar^3 \end{array} \right.$$

quibus in æquatione inventa ſubſtitutis, fit

$$bdxdz^2dddx \infty \left\{ \begin{array}{l} + 2b^3s^4dy^6 \quad : q^8 \infty 2bdz^2ddx^2 \\ + aab^3ssdy^6 \quad : q^8 \infty bdx^2ddx^2 \\ - abs^3dy^5db : q^6 \infty dbdxdz^2ddx \end{array} \right.$$

$$bdxdz^2dddx \infty \left\{ \begin{array}{l} + 2ccb^3s^4dy^6 : aar^8 \infty 2bdz^2ddx^2 \\ + c + b^3ssdy^6 \quad : aar^8 \infty bdx^2ddx^2 \\ + ccbs^3dy^5 db : ar^6 \infty dbdxdz^2 ddx. \end{array} \right.$$

Cum igitur utrobique in valores identicos deſinant quantitates $bdxdz^2\ dddx$ ab una; & tres reliquæ $2bdz^2ddx^2 bdx^2ddx^2, dbdxdz^2ddx$ ab altera parte inventæ æquationis; colligitur, Curvas poſitarum æquationum $dy \infty qdz : \sqrt{aa + qq}$, & $dy \infty a - q, dz : \sqrt{bb - 2aq + qq}$ illas ipſas eſſe, quæ deſiderabantur, quibusque Maximum Minimumve $\int qdy$ ineſt. Horum vero utrum utri Curvæ tribuendum, eodem quo nuper ratiocinio perquiro: Primo enim conſidero, an creſcentibus z creſcant decreſcantve ipſa q; deinde, an Curva verſus axem convexa ſit an concava; ac tertio, ſi circa chordam ſuam rotetur Curva propoſita, & ex adverſo producat aliam æqualem & ſimilem, an hæc majus habeat qdy an minus: nam ſi majus, propoſitæ $\int qdy$ Minimum eſt, non Maximum; ſi minus, contra. Hoc pacto reperitur, Maximum $\int qdy$ ineſſe Curvæ $dy \infty qdz : \sqrt{aa \mp qq}$, & Minimum $\int qdy$ alteri $dy \infty a - q, dz : \sqrt{bb - 2aq \mp qq}$. Quæ erant invenienda.

PROBL. III. *Si Linea flexilis* ABD *in tota ſua longitudine ponderibus utcunque ſit gravata, & ab extremitatibus ſuis* A, D *libere ſuſpenſa, quæritur inter infinitas curvedines, quas hac linea ſucceſſive induere poteſt, illa quæ faciat, ut centrum commune gravitatis ponderum a baſe* AT *plurimum minimumve diſtet, hoc eſt, (quia centrum commune gravitatis ponderum in ſe agentium naturaliter locum infimum affectat) quæruntur omnis generis Funicularia ſeu Catenaria (Fig. I.)*

 Anal.

Anal. Aſſumtæ intelligantur in Curva quæſita ABD tres vicinæ particulæ æquales & infinite parvæ BF, FG, GC; & ſint ut ſupra $HB \propto b$, $KF \propto f$, $LG \propto g$, nec non portio Curvæ $AB \propto z$, & datum per z gravamen ejus $\propto q$; erit per Theor. I. gravamen elementi $BF \propto dq$, elementi $FG \propto dq + ddq$, & elementi $GC \propto dq + 2ddq$ (omiſſo $dddq$, quod hic eſt ſuperfluum) unde momenta horum pondusculorum reſpectu rectæ $AT \propto bdq + f, dq + ddq + g, dq + 2ddq$. Moveantur paululum puncta F & G in peripheriis circa puncta fixa B, C, ſic tamen ut BF, FG, GC maneant invariatæ longitudinis: manebunt quoque pondusculа iis appenſa eadem, ut & applicata HB, ſolæque variabunt KF & LG; quod differentiale momentorum efficit $df, dq + ddq + dg, dq + 2ddq$. Sed hoc ex nat. Max. & Min. debet æquari nihilo; cum enim diſtantia centri gravitatis ponderum a baſe AT, ob conſtantem ponderum ſummam, proportionetur ſummæ momentorum, ſequitur ex hyp. ſummam momentorum ponderum totius lineæ, adeoque & (per Theor. VII.) partis lineæ cujuslibet BC, quoque fore Maximam Minimamve. Habebitur itaque $df, dq + ddq + dg, dq + 2ddq \propto 0$, ac proinde $df. - dg$ (:: per Theor. V, $dy^2ddx + dy^2dddx. dy^2ddx + dxddx^2 - 2dxddx^2$) :: $dq + 2ddq. dq + ddq$; dividendoque $+ dy^2dddx. dy^2ddx + 3dxddx^2 - 2dxddx^2$ :: $ddq. dq + ddq$; ſive, neglectis 2di & 4ti termini quantitatibus ſuperfluis, $+ dy^2dddx. + dy^2ddx + 3dxddx^2$ :: $ddq.dq$: unde multipl. extrema & media fit, $dqdy^2dddx + 3dqdxddx^2 \propto dy^2ddqddx$, ſurrogandoq; $-dyddy$ loco $dxddx$, ac dividendo per dy, $dqdydddx - 3dqddxddy - dyddqddx \propto 0$, Æquatio ſcil. ſpecialis hujus Problematis, quam primo ope fictæ æquationis $dq^m dy^n ddx^r \propto$ conſt. in hanc differentio-differentialem $ddx : dqdy^3 \propto$ ♉ $1 : adz^2$: ac deinde ope hujus $ady \propto tdz$, in iſtas ſimpliciter differentiales, $dy \propto adz : \sqrt{aa + qq}$, & $dy \propto adz : \sqrt{aa + bb - 2bq + qq}$ reſolvo; quarum proin altera Maximum $\int xdq$, ſeu Maximam momentorum ſummam, Minimam altera ſuppeditabit. Utra vero utrum præſtet, ſic exploro: Juxta priorem Æquationem $dy \propto adz : \sqrt{aa + qq}$, habetur $dx\,(\sqrt{dz^2 - dy^2}) \propto qdz : \sqrt{aa}$

$\sqrt{aa+qq}$: quare $dy . dx :: a . q$, & ſumta *dy* conſtante, *dx* proportionatur ipſi *q*. Cum igitur gravamen Curvæ *q* creſcat cum ejus longitudine *z*, ſequitur etiam cum utroque creſcere *dx*; atque adeo Curvam baſi *AT* convexitatem obvertere. Sit ergo Curva hæc *ADC*, (Fig. 2.) ac rotetur circa chordam *AC*, ut naſcatur ex oppoſito alia Iſoperimetros *ABC*: Statuatur etiam chordæ normalis recta *BD*, abſcindens ex utraque Curva partes ſimiles & æquales *AB*, *AD*, & denique ducantur applicatæ *BF*, *DG*. Quoniam igitur applicata *DG* ſeu *x* Curvæ *ADC* minor eſt applicata *BF* ſeu *x* alterius Curvæ *ABC*; erit quoque *xdz* (& hinc *xdq*) prioris Curvæ minor, quam *xdz* (& *xdq*) poſterioris: & conſequenter $\int xdq$ illius minor, quam $\int xdq$ hujus. Curvæ igitur propoſitæ $dy \propto adz : \sqrt{aa+-qq}$ ipſum $\int xdq$ non eſt Maximum; relinquitur ergo ut ſit Minimum. Eodemque modo colligitur, quantitatem $\int xdq$ alterius Curvæ $dy \propto adz : \sqrt{aa+-bb-2bq+-qq}$ viciſſim Maximam eſſe, non Minimam. Quæ erant determinanda.

Notamus hic bonitatis Methodi noſtræ argumentum in eo, quod quæ pro Funiculariis ſeu Catenariis ex alio fundamento per notiores methodos eruuntur Curvæ, præciſe cum noſtris conveniant. Addimus, æquationem noſtram priorem $dy \propto adz : \sqrt{aa+-qq}$, inverſas verticibusque ſuis ſurſum ſpectantes Catenarias referre, ambas autem coincidere cum Curvis præced. Probl. quæ Maximum Minimumque $\int qdy$ continent, niſi quod hic & ibi abſciſſæ cum applicatis appareant permutatæ.

Sed laboris denique hic noſtri metam figimus; cum tria allata exempla ſufficere poſſint ad explicandum modum, quo uti convenit in aliis omnibus. Unicum hoc tacere nefas, quod eadem methodus non ad ſolas Figuras Iſoperimetras, ſed & pluribus aliis modis affectas Curvas, puta ad Figuras æqualium arearum, Superficies Conoidicas æquales, aut Solida Conoidea æqualia, &c. mutatis mutandis accommodari poteſt, ita nimirum, ut ex infinitis illis reperiatur una, quæ quidpiam optime præſtet, ſeu quæ proprietatem quandam in eminenti gradu poſſideat: in quibus omnibus ſingularis quædam obſervatur reciprocatio. Quemadmodum enim ex. gr. inter omnes Figuras ejuſdem perimetri Circulus Maximam poſſidet aream, Catenaria Maximam converſione ſui gignit ſuperficiem, ſolidumque Maximum Elaſtica; ſic inter omnes viciſſim Figuras, quæ aut æqualibus gaudent areis, aut æquales rotatione gignunt

 ſuper-

ſuperficies, ſolidave æqualia; Circulus, Catenaria & Elaſtica Minimo clauduntur ambitu; quod pariter procedit in omnibus aliis. Et latent profecto in iſtis, quæ novum ſpeculandi campum ampliſſimum Geometris aperire valent. Deo autem immortali, qui imperſcrutabilem inexhauſtæ ſuæ ſapientiæ abyſſum leviuſculis radiis introſpicere, & aliquousque rimari conceſſit mortalibus, pro præſtita nobis gratia ſit laus, honos & gloria in ſempiterna ſecula.

RECUEIL DE PLUSIEURS MACHINES DE NOUvelle invention. Ouvrage poſthume de M. PERRAULT de l'Academie Royale des Sciences, Docteur en Medecine de la Faculté de Paris.

i. e.

COLLECTIO PLURIUM MACHINARUM RECENS INventarum. Opus poſthumum CLAUDII PERRALTI &c.

Pariſiis apud Coignardum, 1700. 4. Conſtat plagulis 7 & fig. æn. tabulis II.

CLaudius Perraltus Medicus Pariſinus & Mathematicus Vitruvio ſuo, Tentamentis Phyſicis, & aliis laboribus celeberrimus, Machinarum quarumdam ingenioſarum deſcriptionem reliquit, quam edidit cum earum figuris frater Carolus, non minus eloquentia & eleganti doctrina, Parallelisque veterum recentiorumque, & aliis operibus egregiis celebratus. Librum Academiæ Regiæ Scientiarum dicat Editor, in dedicatione memorans, ſeſe naſcentis Academiæ initiis interfuiſſe, & cum Obſervatorii exſtructio ad formam fraterna cura delineatam decreta fuiſſet, mandata ad executionem operis neceſſaria accepiſſe. Nempe tunc ſub Colberto ædificiorum regiorum computos curabat, quod vocant *Controlleur des baſtimens*. Unde & fratri Medico nata fuit occaſio rem Architectonicam ornandi, in qua adeo profecit, ut abruptis cum Bernino tractatibus (qui Lupatæ molem abſolvere in ſe receperat, ſed ſuſpectus erat id agere voluiſſe, ut jam ſtructa omnia evertere opus eſſet,) Perralti delineatio probaretur. Machinæ in hoc libello propoſitæ potiſſimum huc tendunt, ut frictio, quam vocant, quæ in motibus plurimum impedimenti efficit, tollatur. Et quoniam axes rotarum ſuis extremitatibus ſolent in foraminibus quibusdam circumagi, ibique tota vis incum-

Digitized by Google

cumbens ſuſtinetur, quæ res non obſtante pinguedine, qua lubricari locus ſolet, difficilem motum reddit; ideo noſter Autor pro rotis talibus ſubſtituit trochleas inter funes ſuſpenſas, iisque efficit, quæ rotis effici ſolent. Tales enim rotæ axes hujusmodi foraminibus ſuis incumbentes non habent. In exemplum huc transferemus figuram atque deſcriptionem machinæ ad aquas elevandas deſtinatæ. Eſt ibi cylinder A gerens trochleam B, cui circumvolutus funis CC tranſiens per foramen D. Idem axis aliis duobus funibus EE pendet a ſumma contignatione, quorum quilibet continuatus ſubit tympanum G, antequam ſurſum redeat. Porro cylinder & tympanum extremitates axium habent tignis erectis coërcitas, ne vacillare poſſint. Tracto jam fune C, cylinder A funi ſe involvens aſſurgit cum trochlea ſimul & tympano aquam continente G. Quod aſcendens incurrit in obſtaculum H, per quod brachium K deprimitur, oppoſitoque brachio attollit valvulam L, ut aquam emittat per M, quæ fluit in receptaculum I. Tympanum deinde rurſus deſcendens, aquæque pondere ſuo immerſum, haurit aquam in aëris locum per foramina in axe exiſtentia expulſi ſuccedentem. Unde etiam tympanum non niſi uſque ad axem, ſeu ad medietatem adimpletur. Simili methodo etiam alia pondera elevantur, vel etiam per planum horizontale trahuntur. Deſcribitur & modus obſervandi aſtra ope teleſcopii longi immobilis, pro quo movetur ſpeculum planum, quod objectum ad tubum remittit. Sed fatetur Autor, non eſſe facile ſpecula reperire, quæ radios non detorqueant nonnihil, ut exacta repræſentatio objecti valde remoti haberi poſſit. Sequitur horologium pendulum, quod non elaſmate aut ſolitis ponderibus, ſed perenni aquæ curſu movetur, atque ita retractione opus non habet. Quoniam etiam anchoræ navium, licet ferreæ & magni roboris, funes etiam, licet mire craſſi, violentia motus navem agitantis frangi ſolent, duo ſuadet Autor, primum ne adeo pice oblinantur funes, ita enim rigidos admodum fieri, præſertim in aqua frigida, & ita ubi ſeſe flectere debent, (ut ſi ſaxum aliquod occurrat) facile frangi: deinde ut ſive ad anchoram ipſam, ſive in aqua machinemur aliquid (quale in libello hoc deſcribit) quod nonnihil cedat, ne tota vis ictus ſtatim anchoram funemve invadat. Deſcribit & pontem penſilem facile mobilem, & pontem ligneum fulcris extra extrema carentem, ad illum modum quem Germani vocant Heng-Werck. Denique deſcribitur Abacus Rhabdologicus, ex

TAB. IV. Fig. 3.

tenuibus laminis æneis vel eburneis conſtans, in quibus omnibus ingenium non vulgare elucet. Hortandus itaque eſt Editor eximius, ut alia non pauca haud dubie conſervatu digna egregii Viri, fratris ſui, cogitata, adhuc in ſcriniis latentia, perire ne patiatur.

A RELATION OF THE CUTTING AN IVORY BODKIN out of the Bladder of a young Woman in Dublin by Mr. PROBY.

i. e.

RELATIO DOMINI PROBY DE EXTRACTIONE Eburneæ acus crinalis ex veſica fœminæ, Dublini a ſe peracta; a D. Thoma Molineux Soc. Reg. Collega communicata.

Excerpta ex Tranſact. Angl. Menſ. Januar. 1700. pag. 455.

DOrcas Blake, virgo plethorica 20 circiter annorum, hyberno tempore raucedine vexata Emeticum ſumere geſtiebat; quod cum ejus cognati permittere vererentur, ipſa immiſſo in guttur digito, vomitum provocare tentabat, ſed fruſtra. Hinc die quinto Januarii A. 1694 acum crinalem eburneam 4 pollices longam œſophago intruſit, ita ut pars ejus maxime acuminata verſus interiora ſpectaret. Sed accidit, ut acus e digitis excidens ad ſtomachum fuerit delapſa. Res quidem hæc timorem ipſi afferebat; quia tamen ſatis bene ſe habebat, bono animo eſſe cœpit. Quoniam vero mente ſibi mala proponebat, quæ caſum hunc inſequi poſſent, proxima nocte ſomno vacare minus potuit. Altero die, circa nonam matutinam, dolorem pungentem in dextro latere ſub umbilico perſentiebat, lecto tamen relicto circumambulabat; veſperi dolorem iſtum dextro inguini appropinquaſſe percipiebat: hinc quoniam incedere minus commode valebat, lectum petebat, inſomnem tamen ob doloris atrocitatem traducebat noctem. Quarto die accerſitus ego acum non quidem prope anum, ſed immiſſo in uteri vaginam digito obſervabam; & quoniam miſera de urinæ difficultate conquerebatur, applicato cathetere acum in veſica mihi tangere videbar: ſed cum altera vice idem tentarem, obſervare eam nullo modo licebat, ita ut dubius valde hærerem, quid agendum. Quatuordecim dies poſt immiſſus catheter manifeſto acus in veſica præſentiam prodebat. Ægrota igitur intolerabilibus expoſita inter mejendum cruciatibus, ita ut hanc evitandi moleſtiam cauſa urinam juſto diutius ſæpe contineret, acus extractionem admittere conſtituit. Hinc operationem eodem, quo lithotomiam in fœminis, modo inſtituen-

endam eſſe ratus, corpore ægrotæ rite prius præparato,forcipem in veſicæ cervicem immittebam, atque acum arripiebam, movere tamen non poteram. Digito itaque per dilatatam cervicem in veſicam immiſſo, totam acum in eam protrudere tentabam, ſed fruſtra; imo nullo modo removere de loco poteram, quoniam acus pars magis acuminata verſus iſchium ſpectare videbatur. Quibus minus proſpere ſuccedentibus, huic ulterius inſiſtere extrahendi modo deſtiti, & aliquo temporis intervallo interjecto, altiorem, ut vocant, apparatum, quo calculus interdum in pubis regione extrahitur, in auxilium vocare, ipſa annuente ægra, cœpi. Igitur ſub conveniente ægrotæ ſitu digito in vaginam uteri immiſſo, acum huic incumbentem percipiebam, & tam diu tenebam, donec ſiniſtra manu partem ſuperiorem acus, craſſiorem ſc. verſus os pubis preſſeram; tunc retracto digito meo D. Smith adſtans ſuum eodem modo in vaginam intrudebat, & fortiter verſus acum adigebat, ita ut hæc immobilis plane eſſet: ego vero inciſionem pollicem unum cum dimidio longam in parte externa muſculi recti ad veſicam usque continuabam; tum pollice & indice arripiebam intra vulnus caput acus in veſica adhuc concluſæ, & ſupra hoc incurvato cultello, quem Biſtoury Galli vocant, veſicam incidebam, digitisque leviter compreſſis acum protrudebam & extrahebam. Vulnere hinc rite tractato, ægram priſtinæ reſtituebam ſanitati, antequam menſis fuerit præterlapſus.

Explicatio Figuræ: *TAB. IV. Fig. 4.*

Exhibet hæc acum crinalem ex veſica nona hebdomade, poſtquam deglutita fuerat, extractam.

AB. Pars eſt acus obtuſa, quæ in veſica hærebat, calculoſa incruſtata materia.

BC. altera ejus pars extra veſicam in pelvi hærens, cujus cuſpis iſchium attingebat.

A LETTER FROM MR. BUSSIERE, F. R. S. CONCERNING a ſubſtance &c.

ſeu

DN. BUSSIERE, SOCIETATIS REGIÆ MEMBRI, EPIſtola de ſubſtantia, vas aliquod pulmonale referente, tuſſi rejecta.

Excerpta ex Actorum Philoſ. Angl. Menſ. April. 1700, pag. 534.

En

EN obſervationem, quæ ſatis comprobatum dabit, quantum utilitatis e defunctorum Anatomia in Medicos atque Chirurgos redundet.

Puerulus quintum agens annum, tabe confectus decedebat Kenſingtoni, poſtquam per integrum annum tuſſi ſicca & levi ſubinde hæmoptyſi laboraverat. Decimo aut duodecimo ante mortem die, Nutrix craſſam aliquam membranam cum ſputo ab eo excerni obſervabat, quam Medicus examinans, conſiſtentia & figura vas referre deprehendebat. Ideoque pulmonum forſan vas venoſum eſſe opinabatur, quale a nonnullis expectoratum, *Tulpius lib. 2. Obſ. 12. & 13.* commemorat. Infante mortuo vocabar, ut corpus ejus diſſecarem. Incipienti ab abdomine non aliud occurrebat, quam quod omentum, æque ac reliquæ corporis partes, omni pinguedine deſtituerentur, ac meſenterii glandulæ induratæ & nigricantes eſſent.

Inciſo hinc pectore, viſcera hujus, præter purulentam ſiniſtri pulmonum lobi portiunculam, ſatis apparebant ſana; diſſecta vero aſpera arteria, interna hujus ſuperficies mucoſa incruſtabatur membrana, quæ

TAB. IV. Fig. 5.

e trunco tracheæ bronchiisque exemta integra, integrum vas a larynge ad bronchiorum usque extremitates, prout in *Fig. 5.* repræſentatur, exhibebat. Internæ tracheæ tunicæ nonniſi tenuisſimis filamentis, ſine negotio laceratis, adhæreſcebat; quo vel ipſo extraordinarii hujus vaſis productionem viſcidum ſolummodo humorem, a tracheæ glandulis continuo excretum eſſe perſuadebar. Talem namque magis inſpiſſatum magisque ab aëre exſiccatum, difficillimum exſcreatu, internam aſperæ arteriæ & bronchiorum ſuperficiem facile incruſtaſſe, usquedum craſſeſcens tandem in violentiori aliquando tuſſis paroxyſmo excuſſus, mox tamen ab alio ſuccedente muco regeneratus fuerit.

Novum ejusmodi vaſculum, e pulmonibus extractum, in aquam calidam injiciebam, viſurus an ab hac diſſolveretur, ſed fruſtra; mecum proin in urbem tranſportati figuram, licet aliquanto minorem, delineabam.

Vaſa pulmonum, i. e. trachea cum bronchiis, atque arteriæ & venæ, plane illæſa exiſtebant.

Id quod caliginem eorum, ſpero, diſcutiet, qui Autorum nonnullorum relationibus fidem habentes, ſanguifera pulmonum vaſa ab aliquo exſcreari poſſe reputant.

AN

AN ESSAY CONCERNING SELF MURTHER &c.
h. e.
TENTAMEN DE AUTOCHIRIA, IN QUO SECUNdum naturæ principia eam illicitam eſſe probatur, additis quibusdam animadverſionibus tum in Auctorem libri, qui Biathanatos inſcribitur, tum plures alios. Auctore J. ADAMI, S. R. M. a Sacris aulicis.

Londini apud Thom. Benner, 1700. in 8. Conſtat pl. 21.

Quemadmodum qui autochiriæ patrocinium ſuſcipiunt, rationibus ex natura deductis eandem præcipue propugnare ſolent: ſic contra, illam naturæ principiis non modo non corroborari, ſed etiam maxime everti, oſtendendum ſibi hoc libro doctisſimus Auctor exiſtimavit. Itaque omiſſis, quæ ex ſacrarum litterarum theſauro peti poſſunt, argumentis, primo hominem in ſtatu naturali conſiderat, ac non tantum humanæ vitæ originem, ſummamque in eam poteſtatem ſoli Deo adſcribit, verum etiam de fine, ob quem vivendi facultas a Deo conceſſa nobis eſt, acute diſputans, eum non alium eſſe ait, quam ut rectam rationem virtute ſequamur. Quæ cum multis verbis expoſuiſſet, ſpontaneam mortem in Deum pariter ac hominem injuſtam eſſe concludit, quippe quæ & vitam extinguat, cujus ſupremus arbiter exiſtat Deus, & finem, cujus cauſa illam accepimus, prorſus tollat. Multo magis vero autochiriam injuſtam videri ait, ſi quis hominem in civili ſocietate conſtitutum, ac ea ex parte ſpectet, quatenus reipublicæ legibus adſtringitur, cum, qui violentas manus ſibi injicit, iſtam evertat legem, quæ quod tibi non vis fieri, alteri facere prohibet; & homo liberum ſibi eſſe credens propriam vitam abrumpere, etiam in aliorum vitam ſe eadem libertate gaudere, facile poſſit arbitrari. Omnem legum humanarum vim adeo perfringi, quibus propoſita mortis pœna ſummam auctoritatem conciliare imperantes ſoleant, quæ tamen penitus evaneſcat, ſi quis juſtas anticipandæ mortis rationes adeſſe ſibi perſuaſerit. Quot argumenta propriæ cædi obſtent, tot etiam alienæ repugnare præterea oſtendit, & denique plurima damna ex iſta, qua autochiria defenditur, ſententia ad rempublicam redundare evincit, quorum cum plurima recenſet, tum illud imprimis urget, quod illa plurimos

Cap. I. p. 3. Cap. II. p. 2. Cap. III. p. 23. p. 25. p. 26. p. 28.

Cap. IV. cives hâc ratione amiſſura ſit. Ne vero humanæ vitæ arbitrium,
p. 30. quod præter Deum nemini Auctor attribuit, inane quoddam commentum cuiquam eſſe videatur, ad univerſale illud naturæ principium provocat, quo unusquisque ad ſui conſervationem impetu quodam fertur. Hanc ab ipſo Numine omnibus inditam legem ac quaſi mentibus inſculptam, eo magis cognoſci ait, quo magis vitæ humanæ finis animo & cogitatione comprehendatur. Sicut autem exinde non iners quædam animi mollitia conſequatur, qua
p. 34. omne mortis genus quis fugit, nec unquam vitæ periculum adire audet: ita ex adverſo eos a veritate multum aberrare Noſter cenſet, qui ſummam demum fortitudinem ac animi excellentiam in vitæ contemptu ponant; utpote qui & verum illius finem tollat, & hominem ſignificet aut ſtultitia ſua vitam ærumnoſam reddentem, aut ob inſcitiam eadem recte uti ignorantem. Potius ergo vitæ ejusmodi contemtionem atque deſpicientiam animum demiſſum fra-
p. 37. ctumque innuere adſerit, & denique Stoicorum imprimis ac Epicureorum dicta, quibus nihili æſtimandam eſſe vitam docent, acriter reprehendit. Explicata hac ratione ſententia ſua, qua propricidium neque per naturam fas eſſe, neque per leges licere, Auctor ju-
Cap. V. dicat, illos recenſere aggreditur, qui contrariam opinionem ample-
p. 40. ctuntur, & voluntariam mortem licitam omnino eſſe clamant. Singulatim nominat ex antiquis Stoicos, ex recentioribus vero
p. 41. Doctorem *Donnium*, poſtea ad S. Pauli Decanum, qui edito libro, quem βιαθάνατον adpellat, autochiriam defendere non dubitavit, plurimosque in ſuam ſententiam adduxit. Atque hic eſt, quem una cum Stoicis Cl. Auctor refutandum ſibi in hoc tractatu imprimis
Cap. VI. ſumſit, non preſſe illius veſtigiis inſiſtens, ſed ea ſolum deligens
VII. VIII. argumenta, quæ maximi ponderis eſſe videbantur. Ut autem inſtituti noſtri memores ſimus, nolumus rationibus recenſendis, quæ
Cap. IX. *Donnii* argumentis prolixe ſatis opponuntur, diu inhærere, ſed
p. 131. potius videbimus, quid ad exempla reſpondeatur, quibus *Donnius* ſuæ opinioni magnum robur addere contendit. Dum nimirum ille ad varias gentes provocat, quarum moribus atque conſuetudine auto-
p. 133. chiria fuerit comprobata, exempla ejusmodi nihil plane firmare
p. 145. Auctor regerit, cum aut ex fabulis petita ſint, aut non ingenue repræſententur, aut ſuperſtitioni originem ſuam debeant. Romanos præ-

Digitized by Google

præcipue quod attinet, tantum abeſſe ait, ut illorum auctoritate quicquam probetur, qui quam diu ſumma fortitudinis laude florerent, ab autochiria abhorruerint, ſimulatque vero ipſorum virtus magis magisque debilitaretur, ad illam proclives facti fuerint; ut potius ſummorum inter ipſos virorum judicio, Ciceronis, Virgilii aliorumque, ſpontanea mors non modo improbata, ſed ipſis quoque legibus prohibita legatur. Adfert hanc in rem ex *Sponio* inſcriptionem aliquam, cujus verba huc pertinentia ita ſe habent; p. 154.

BAEBIVS GEMELLVS
SASSINAS MVNICIPIBVS SINGVLEIS
INCOLEISQVE LOCA SEPVLTVRAE D. S. P.
DAT EXTRA AVTORATEIS ET QVEI
SIBEI LAQVEO MANVS ADTVLISSENT
ET QVEI QVAESTVM SPVRCVM PROFE
SSI ESSENT SINGVLEIS IN FRONTE
P. X IN AG. P. X INTER PONTEM
SAPIS ET TITVLVM SVPERIOREM QVEI
EST IN FINE FVNDI FAGONIANI. &c.

Hactenus contra *Donnium* diſputavit Auctor noſter; nunc ad Stoicos eorumque Philoſophiam progreditur, cujus natales atque incrementa cum ſtudioſe deſcripſiſſet, ob quinque præſertim cauſas, ob patriam ſcilicet, amicos, ſummum dolorem, ſenſuum aut membrorum jacturam, & morbos deſperatos, quibus nonnulli extremam paupertatem ac infamiam addant, autochiriam iſtos Philoſophos licitam judicaſſe memorat, atque quemadmodum hæc Stoicorum ſententia inter Romanos ſectatores invenerit, ſimul ut Stoicæ Philoſophiæ ſtudium & operam navaverint, oſtendit. Illos, qui autochiriam defendunt, Senecæ imprimis, Epicteti, atque Antonini ſcriptis plurimum in ſua opinione confirmatos eſſe addit, quorum tamen, quam de propricidio fovent, ſententiam, cum aliis ipſorum placitis pugnare probat. Effertur Catonis mors tanquam facinus, quo autochiriæ non minima laus concilietur; igitur illam Auctor penitius perpendit, & ut eo melius de illa judicet, vivam Catonis imaginem depingit. Erat Cato, judice Adamo, ſi tanquam homo privatus conſideretur, vir integer ac virtutis ſtudioſiſſimus; ſi publica dignitate conſpicuus ſpectetur, ad accuſandos reos & da-

Cap. X. p. 157. p. 171. Cap. XI. p. 186. p. 189.

mnandos intrepidus, atque ad protegendos innocentes imperterritus. Acceperat a natura ingenium auſterum rigidumque, quo fiebat, ut ad Stoicam Philoſophiam factus videretur, cui cum creſcente ætate diligentius ſe adplicuiſſet, obſtinatus potius, quam conſtans, moroſus, quam gravis evaſit, & quædam geſſit, quæ animum gloriæ
p. 192. valde cupidum demonſtrabant. Si cum Cæſare comparetur, perpetua inter utrumque obtrectatio erat, quæ ab ingeniorum ſumma diſſenſione & ſtudiorum diverſitate primum orta, ex privatis quibusdam injuriis magis magisque creverat. His adductis, quæ ad Catonis mortem pertinent, ſingula enarrans, de illius juſtitia ſuum in-
p. 199. terponit judicium, atque cauſas annectit, ob quas illud moriendi genus a variis miris laudibus fuerit celebratum. Refert ad illas tum communem ſententiam, qua Cato ob Romanam libertatem mortem oppetiiſſe quamvis perperam creditur; tum virtutes, quibus ille maxime inſignis fuit; tum errorem, quo plurima laudis argumenta, quæ alteri Catoni, ſummo Viro, debebantur, temporis progreſſu huic adſcripta ſunt; tum tempus denique, quo mors illa accidit, quam non propterea laudari dicit, quod cum ratione ea conſentiat, verum quod tunc evenerit, cum Romana reſpublica aliam formam ac faciem indueret. Reſtant nunc argumenta quædam, quæ pro autochiria adferunt illius defenſores, a fortitudine, ho-
Cap. XII. nore ac libertate deſumta. Hæc dum refellere ſtudet Auctor noſter,
p. 208. primum haut veræ fortitudinis eſſe mortem ſibi conſciſcere, oſtendit. Fortitudinem ita comparatam ait, ut ſive malum invadat, ſive eidem reſiſtat, ſemper cum juſtitia conjuncta ſit, nec unquam officiis, quæ Deo, aliis, nobisque ipſis præſtanda ſunt, quicquam deroget. Jam autochiriam rationi & juſtitiæ ita repugnare ſcribit, ut a fortitudine, qualem inter homines reperimus, originem trahere nequeat; imo cum beſtiarum nulla tam fera ſit, ut ſeipſam deſtruat, propricidio nec quicquam commune eſſe cum illa fortitudine, quam bruta habere
p. 219. dicuntur. Porro veram fortitudinem circa malum verſari ait; illis autem, qui ſibi violentas manus injiciunt, mortem non malum, ſed bonum quoddam videri, quale qui adpetat, nullam fortitudinis laudem conſequatur, cujus potius munus ſit adverſa quævis conſtanti a-
Cap. XIII. nimo perferre. Alterum, quod ad defendendam autochiriam pro-
p. 225. duci ſolet, argumentum ab honore petitur, quem cum duplicem fe-

ciſſet

Digitized by Google

ciſſet Noſter, internum unum, qui nihil aliud ſit, quam virtutis principium homini inhærens, & tantum ab eo dependens, alterum externum, qui in gloria atque exiſtimatione bonorum conſiſtat & ab aliis proficiſcatur, voluntariam mortem cum neutro horum, ſed contra cum ſummo dedecore ſociatam eſſe autumat. Equidem objici vulgo ait, honorem vitæ præferendum, ac ſatius omnino eſſe ſe ipſum perimere, quam talem contumeliam perferre, qua omnis honor amittatur, præſertim cum ipſæ mulieres quædam, interque illas præcipue Lucretia atque Cleopatra, in ejuſmodi conditione conſtitutæ ita ſe geſſerint. Verum reſpondet Auctor, dictum illud, quo vita prius quam honor amittenda eſſe adſeritur, ſi de interno honore ac ipſa virtute intelligatur, cum veritate quidem admodum convenire, ac omnia potius ferenda, quam contra eam quicquam committendum; attamen tum abſonum valde videri, vitale ſibi lumen propterea extinguere, cum illud honoris genus in noſtra poteſtate ſitum ſit, nec unquam nobis invitis eripi queat. Sin de externo honore iſta ſententia accipiatur, inanem hominum exiſtimationem vitæ anteponere, ab omni ratione remotum eſſe ait, quippe ex quo conſequeretur, laudem ac gloriam præſtare fini, cujus gratia vitam a Deo accepimus. Negat deinde illum, qui maxima contumelia adficitur, internum honorem hoc ipſo amittere, quod virtus nulla vi ac injuſtitia opprimatur, ſed altius adſurgat illuſtriorque redditur; Lucretiæ vero atque Cleopatræ exempla imitanda eſſe, nullis argumentis probari poſſe commonſtrat. Supereſt libertas, quam omnino autochiriam defendere illius Patroni ajunt, dum hunc fere in modum diſſerunt: Deum libertate ſumma gaudere, illiusque intuitu hominem præcipue Deo ſimilem dici; hinc quemvis obligari, ut hac libertate antiquius habeat nihil. Quodſi illa cuidam gravi calamitate erepta fuerit, ſummæ ignaviæ eſſe, adflictum animum in decrepito corpore circumferre, miſerrimamque vitam degere, nec, quod Deus & natura, quandocunque viſum fuerit, permittat, animum in libertatem vindicare. Ad hæc Auctor expoſita, quæ inter divinam & humanam libertatem intercedit, diſcrepantia, reponit, ſimilitudinem Dei, quam gerimus, non in voluntatis noſtræ illimitata libertate, verum in illius cum Dei voluntate convenientia conſenſuque eſſe poſitam, qui tum demum perficia-

p. 237.
p. 239.
p. 239.
p. 245.
Cap. XIV.
p. 256.
p. 264.

tur, cum rationem virtute ſectemur. Neque vero adeo libertatem noſtram infringi docet. Sicut enim Deus liberrimus permaneat, quamvis ipſi veluti ſecundum regulam quandam agere placuerit, quæ æterna ratio vocatur: ita nec naturalem hominis libertatem tolli, quamvis ille leges ac principia quædam ſequatur, quæ ex eodem æternæ rationis fonte promanant. Cum ergo Noſter autochiriam varias ejuſmodi leges lædere jam antea oſtenderit, illam humana libertate nequaquam propugnari conſequens eſſe ait. Nullum præ-
p. 271. terea malum, quo corpus debilitatur, mentis libertatem ſimul ſufflaminare cenſet, quæ quamvis ratione gravisſimis morbis ac vehementisſimo dolore extincta, ipſa quoque extinguatur, ratione tamen ſu-
p. 280. perſtite incolumis perpetuo maneat. Diſquiritur deinde, num cuidam in extrema calamitate conſtituto, aut ſummis cruciatibus vexato, perditaq; valetudine oppreſſo, ſeipſum interficiendi poteſtas conceſſa ſit; id quod Stoici adfirmant, tunc nobis Deum exceſſum ex vita permittere exiſtimantes, cum in talem ſtatum dejiciamur, in quo vita ipſa morte deterior eſſe videatur. Auctor vero ærumnoſam vitam morte quidem naturali, non tamen ſpontanea pejorem eſſe excipit, cum facile quilibet ſibi perſuadere poſſit, non cum vita omnia extingui, ſed ſummos dolores ipſum poſt mortem expectare, qui injuſſu ſupremi Nu-
p. 284. minis ex ſtatione ſua diſceſſerit. Fingi ſolum, tunc nobis voluntariam mortem a Deo commendari, cum extremis doloribus ab ipſo adficiamur. Raro enim fieri, ut Deus miſeriæ noſtræ unica exiſtat cauſa, ſed plerumque propria culpa illam accerſi. Quod ſi tamen credamus, calamitatum auctorem ſolum Deum eſſe, non tamen inde ſequi dicit, nos mortem nobis conſciſcendi auctoritatem iisdem ſimul accipere. Hoc enim ſi ſtatuatur, fore ait, ut Deus, qui absque dubio hominem tamdiu vivere cupiat, quamdiu vitalem ſpiritum ipſi con-
p. 294. cedat, idem eodem tempore velit, idemque nolit. Denique Auctor tantum abeſſe dicit, ut ille, qui vitam ſibi adimit, libertatem ac tranquillitatem quæſiturus, voti ſui compos reddatur, ut potius in miſerrimam ſervitutem ſe ipſe detrudat. Eſſe ſcilicet poſt mortem pœnas criminibus propoſitas, quorum cum maximum autochiria ſit, quin acerbiſſimum ſupplicium eam maneat, non dubitari poſſe oſtendit.

CON-

Digitized by Google

CONSILIA ARGENTORATENSIA, VEL ILLUſtria Juris Reſponſa a MARCO OTTONE, JC. Reipublicæ Argentorat. aliorumque Statuum Conſiliario celeberrimo, potiſſimum, ſed & ab aliis JCtis Argentoratenſibus conſignata. Operis antehac cœpti Volumen Novum, cura JOAN. SCHILTERI, cumque ejusdem præfatione & indice locupletiſſimo.

Argentorati apud Joſ. Stædel ſeniorem, 1701. fol.
Conſtant Alph. 10. pl. 9.
excepto indice nondum ad nos perlato.

VErſantur hactenus in manibus Eruditorum duo Argentoratenſium Reſponſorum, Johannem Schmidium JCtum autorem præcipue agnoſcentium, volumina, & licet ex iisdem ſcriniis tertium promiſſum fuerit, eventus tamen promiſſa hucusque deſtituit. Jure optimo autem tertii Voluminis locum ſubire poſſe Tomum hunc, ducenta & triginta Juris Reſponſa, a Marco Ottone potiſſimum, nec minus tamen ab aliis etiam eximiis JCtis olim reddita, complectentem, Illuſtris Schilterus in præfatione commonuit, qui etiam, quis inter Conſilia aut Reſponſa Juridica delectus ſit inſtituendus, pluribus edocuit, Conſiliaque Argentoratenſia, tam olim quam nunc edita, melioris notæ Conſiliis aggreganda eſſe, datis rationibus amplius cenſuit. A nobis hac vice nihil aliud præſtandum videtur, quam ut per exempla nonnulla Reſponſorum vel Conſiliorum horum indolem delineemus. In Reſponſo primo, ſecundo & tertio, de vero vocabuli *Epiſcopatus* ſignificatu disquiritur. Nimirum in aliqua ordinatione Argentoratenſi habetur, ne quis in ordinem Quindecim-Viralem, der Funffzehender/cooptetur, niſi qui vel Argentorati, vel ſaltem in Epiſcopatu Argentoratenſi ſit natus. Hic oriebatur dubium, an per Epiſcopatum ſit intelligenda tota diœceſis, cui poteſtate eccleſiaſtica præeſt Epiſcopus, an ſolum territorium proprium, quod imperium ejus civile quoque agnoſcit? quod poſterius tum Viris, hac de re conſultis, probabilius fuit viſum. In Reſponſo quinto tractatur quæſtio, an Status Imperii, diebus dominicis & & feſtivis, in ſuis territoriis, vias publicas Cæſareas exteris mercatoribus & aurigis occludere, eosdemque hac ratione ad Sabbathum ſanctificandum permovere queat? quæ quæſtio negative deciditur, eam præcipue ob cauſam, quod talis prohibitio colliſioni ac bellis an-

anſam præbere poſſit, nec præceptum de Sabbatho ſanctificando tam rigidum videatur, ut neceſſaria peregrinatio ob illud omittenda ſit. Reſponſum ſexageſimum quintum variis rationibus conjugium inter diverſæ religionis perſonas disſuadet. Sub numero ſeptuageſimo primo habetur Conſilium Theologicum D. Danhaueri, quod ſub nominibus Ahasveri, Vaſthi & Eſtheræ conceptum, ac olim eminenti cuidam Imperii Statui, in propria cauſa, redditum eſt. In eodem hæ quæſtiones expenduntur (1) an Ahasverus ab uxore Vaſthi, ob ejus crimina, divortium alias operantia, omisſis conſuetis formalibus ſe potuerit ſeparare? (2) An idem recte fecerit, quod crimina uxoris celaverit? (3) An ſalva conſcientia idem Eſtheræ, perſonæ Nobili, matrimonium promiſerit? (4) Quid faciendum, ſi crimina uxori Vaſthi imputata, vel propria ipſius confesſione, vel legitima probatione oſtendi nequeant? (5) Quis in controverſa illa cauſa matrimoniali ſit judex, cum Ahasverus alium ſuperiorem in ſuo territorio haut agnoſcat? In Reſponſo nonageſimo quinto diſpenſatio in ſecundo affinitatis genere, puta inter virum & defunctæ uxoris privignam, nec non defuncti vitrici viduam, item inter virum & defunctæ uxoris conſobrinam (quod exemplum ad primum genus potius pertinet) defenditur, ita tamen ut contrahentibus non immerito aliqua mulcta imponatur. In Conſilio centeſimo trigeſimo quinto conjuges teſtamentum reciprocum apud acta condiderant ea lege, ut ſuperſtiti pro lubitu illud augere liceret; maritus poſt obitum uxoris duas alias diſpoſitiones teſtamento illi adjecit, ſed nec ipſe magiſtratui eas obtulit, nec deputatos, earum recipiendarum cauſa, ad ſe mitti petiit, verum in ſcriptis illas ſolum Judici transmiſit: quæſtione de ipſarum valore orta, D. Marcus Otto prolixo reſponſo eas validas eſſe negavit. In Reſponſo centeſimo trigeſimo ſexto oſtenditur, quod immisſio ex *l. fin. C. de Edict. D. Hadrian. toll.* locum non inveniat, ſi legitimus adſit contradictor, qui ſcilicet alio, quam ſucceſſionis, titulo rem poſſideat. De teſtamento nuncupativo implicito ejusque valore, adductis in utramque partem rationibus, copioſe in Conſilio centeſimo trigeſimo octavo diſſeritur, ac inſimul uſus articulorum poſitionalium & defenſionalium in nonnullis provinciis & judiciis obſervari ſolitorum declaratur. In Reſponſo centeſimo nonageſimo octavo diſquiritur, utrum matertera defuncti, cum ejusdem ex ſorore nepotibus, ſimul ad ſucceſſionem ſit admittenda, & licet ei gradus paritas faveat, attamen ob favorem lineæ collateralis deſcendentis, in qua nepotes reperiuntur, illa excluditur, diverſis Facultatibus Juridicis in eam ſententiam conſpirantibus.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Junii, Anno MDCCI.

LES HOMMES ILLUSTRES QUI ONT PARU en France pendant ce Siecle.

id eſt:

ELOGIA VIRORUM ILLUSTRIUM, QUI HOC SEculo in Gallia floruerunt, auctore CAROLO PERRALTO. Tomus II.

Pariſiis apud Ant. Dezallier, 1700. in fol. quæ editio conſtat Alph. 1. plag. 3. præter effigies ſingulorum Illuſtrium æri nitidiſſime inciſas; & Amſtelod. 1701. in 8. plag. 14. ſine iconibus.

De prima elegantiſſimi Operis parte in Actis A. 1699 pag. 323 ſqq. diximus. In altera hac recenſenda pari procedemus modo, ut Viros primum illuſtres, quorum Elogia in illa exhibentur, in quinque iterum claſſes diſtribuendos commemoremus, poſtea vero pauca quædam hinc inde decerpta ſubjiciamus.

In claſſe prima eos, qui ſacris functionibus ſtudiisque famam præ aliis promeruere, complexa laudantur *Jacobus Davi Perronius* Cardinalis, *Arnoldus Oſſatus* Cardinalis, *Nicolaus Coëffetaus* Maſſilienſis Epiſcopus deſignatus, *Vincentius Paulus* auctor primusque Superior generalis Congregationis de Miſſione, *Joannes Launoyus* Pariſienſis e Regio Navarræ Gymnaſio Theologus, *Petrus Lallemantius*

Prior S. Genevieſæ & Univerſitatis Cancellarius, *Sebaſtianus Nanus Tillemontius*, *Jo. Baptiſta Santolius* Canonicus Regularis S. Victoris, *Hieronymus Vignerius* Oratorii Jeſu Chriſti Presbyter, *P. Franciſcus Gombeſis* ordinis Dominicani, *P. Marinus Merſennus* ordinis Minimorum. In Claſſe altera iis, qui bello inclaruere, deſtinata comparent *Henricus Lotharingius* Harcuriæ Comes ſummusque Regiorum ſtabulorum Præfectus, *Maximilianus Bethunius* Dux Sulliacenſis Franciæque Mareſchallus, *Carolus de Porta* Dux Mellerayus Mareſchallus Franciæ, *Antonius* Dux *Gramontius* Mareſchallus Franciæ, *Franciſcus Henricus Monmorantius* Dux Lucemburgicus Franciæ Mareſchallus, *Jo. Gaſſion* Franciæ Mareſchallus, *Abrahamus Fabertus* Franciæ Mareſchallus, *Abrahamus Queſneus* Legatus generalis claſſium Franciæ, *Honoratus Urfeus* Eques Melitenſis, *Claudius Berberius* Legatus generalis exercituum Regiorum, *Sebaſtianus Pontaltus de Beaulieu* machinarum & caſtrorum Præfectus, *Jacobus Soleiſelius* Regio ſtabulo majori Præfectus. Tertia claſſis Regni Adminiſtros Officialesque exhibet, *Michaelem Tellerium* Franciæ Cancellarium, *Jo. Baptiſtam Colbertum* Marchionem Seignelæum, *Achillem Harlæum* primum Parlamenti Pariſienſis Præſidem, *Pomponium Belleureum* eodem munere functum, & *Franciſcum Pithœum* Parlamenti Pariſienſis Advocatum. Quarta claſſis varii generis viros doctrinæ gloria celebres comprehendit, *Nicolaum Fabrum* Ludovici XIII quondam Præceptorem, *Franciſcum de la Mothe le Vayer* Academiæ Francicæ Socium, *Joſephum Juſtum Scaligerum*, *Nicolaum Rigatium* Bibliothecæ Regiæ Cuſtodem, *Oliverium Patru* Parlamenti Advocatum & Academiæ Francicæ Decanum, *Ægidium Menagium*, *Adrianum Valeſium* Hiſtoriographum Regium, *Bartholomæum Herbelotum* linguarum Orientalium Interpretem, *Iſmaelem Bullialdum* Aſtronomum, *Davidem Blondellum* Hiſtoriarum Profeſſorem, *Samuelem Bochartum*, *Iſaacum Benſeradum* Academiæ Francicæ Socium, *Joannem Racinum*, Francicæ itidem Academiæ Socium. Ultima denique claſſis iis, qui in aliis artibus excelluerunt, aſſignata deprehenditur, continetque elogia *Joannis de la Quintinie* ſupremi hortorum Regiorum Directoris, *Joannis Varini* Conductoris generalis & Scalptoris monetæ Gallicanæ, *Philippi Colloti* Lithotomi, *Simonis Voueti* Pictoris Regii primarii, *Petri Mignardi* primarii itidem Pictoris Regii, *Jacobi Blanchar-*

ti Picto-

Digitized by Google

ſi Pictoris, *Jacobi Sarraceni* Sculptoris, *Claudii Meslani* Scalptoris, *Franciſci* denique *Chauveau* Deſignatoris atque Scalptoris.

Hi nimirum ſunt Heroes iſti, quisque in ſua, quam profeſſi ſunt, arte principes, quorum memoriam ad poſteros propagare Perraltus noſter ſuſtinuit, aliorum, qui æque fortaſſis celebrari meruiſſent, ſeque præteritos deprehendent, iram in Præfatione deprecatus. Nunc miſcellaneas quasdam & ſub manu natas obſervatiunculas ſubjicere, non erit nobis dividiæ. *Nicolaum Coëffetæum*, præter ſcripta alia adverſus Jacobum Magnæ Britanniæ Regem & Philippum Mornæum Pleſſium, Gregorii XV Pontificis Romani juſſu duos tractatus contra Marcum Antonium de Dominis edidiſſe, Perraltus memorat, alterum *de Sacra Monarchia*, alterum *adverſus Rempublicam M. Ant. de Dominis.* Leve facileque excuſandum hoc eſt doctiſſimi Viri parorama. Nonniſi unicus enim Coëffetæi adverſus M. Antonium tractatus eſt, Lutetiæ Pariſiorum A. 1623 hoc titulo impreſſus: *Pro Sacra Monarchia Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ adverſus Rempublicam Marci Antonii de Dominis quondam Archiepiſcopi Spalatenſis Libri IV Apologetici, quatuor ejus prioribus libris oppoſiti.* Laudat vero Perraltus aliisque omnibus imitandam maximopere meritoque commendat inſignem Coëffetæi moderationem, qua in promulgatis adverſus Hæreticos, quos vocat, ſcriptis omnibus fuerit uſus, errores inſectatus, nulla in perſonas contumelia. Sed hanc quidem moderationem nobis ſaltem in illo adverſus M. A. de Dominis opere animadvertere non licuit. Nam vel in præfatione ſtatim, ut nunc de aliis non dicamus, Lutherum noſtrum, ut *facem & peſtem, ſumme imprudentem, perditiſſimum nebulonem, imbellem homuncionem, perduellem, flagitioſum hominem*, traduci: ipſum vero Marcum Antonium *hominem ſine fide, ſine Numine, ore, lingua, manu, omni vita inquinatum, Deo hominibusque inviſum, hominem ſtultum, conſceleratum Eccleſiæ filium, lupum caulas Domini inſana rabie infeſtantem, furentem hoſtem* appellari videas. Nec in tractatu ipſo mitius haberi M. Antonium putes, cujus *futilitas, ſtultitia, furor, rabies, ſtoliditas, impietas, impudentia*, utramque in eo paginam faciunt. Lubentius itaque aſſentiemur Perralto doctiſſimo, miram Coëffetæi in traducendis in Gallicam linguam libris exoticis felicitatem ſtylique quo uſus eſt puritatem laudanti, ut acerrimus etiam ille linguæ Gallicæ arbiter cenſorque Vau-

gelaſius vocem phraſinque ſine ullo ſcrupulo admittere conſueverit, quam a Coëffetæo uſurpatam noſſet, ſuſpectam contra habuerit, quæ obvia in ejus ſcriptis non eſſet.

Non ignotum aut ignobile in his etiam Actis noſtris *Sebaſtiani Nani Tillemontii* nomen eſt, cujus Hiſtoriæ Imperatorum Romanorum aliorumque Principum, qui prioribus ſex Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis rerum ſummam tenuere, primum ſecundumque tomum A. 1693, pag. 188 ſqq: Commentariorum vero ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantium tomos priores quatuor A. 1695 pag. 249 ſqq & Tomo III Supplementorum pag. 88, 241, 294 ſqq. recenſuimus; reliquis, quos perluſtrare nondum hactenus potuimus, alii tempori reſervatis. Uti vero Vir Clariſſimus vel hiſce ſcriptis inſignem non minus utriusque Hiſtoriæ peritiam, quam candorem exactumque judicium abunde probavit omnibus: ita pauci forte ſunt, qui compertum habeant, quod a Perralto memoratur, aliis inſuper libros novos molientibus adjumento Tillemontium fuiſſe, etſi emanare id in vulgus pro modeſtia ſua minime voluerit. Ex ejus enim commentariis natas ait Perraltus Vitas Tertulliani & Origenis, S. Athanaſii, S. Baſilii, S. Gregorii Nazianzeni & S. Ambroſii: eos etiam, qui S. Cypriani operibus in linguam Gallicam transferendis operam navarunt, & qui recentiſſimas S. Hilarii, S. Auguſtini & S. Paulini editiones curarunt, inſignite in diſcernendis præcipue Patrum illorum ſcriptis genuinis a ſuppoſititiis, iisdemque ordine Chronologico rite diſponendis, adjutos a Tillemontio fuiſſe, quem velut oraculum conſulere in his talibus conſueverint. Addit Perraltus, amplos quoque Tillemontium commentarios ad vitam Ludovici Sancti Galliæ Regis ſpectantes collegiſſe, ex quibus Dn. De la Chaiſe Hiſtoriam Ludovici illius compoſuerit. Nobis fatemur viſam illam Hiſtoriam non eſſe. Quod ſi vero eam forte innuere Vir nobiliſſimus voluit, quæ A. 1688 Lutetiæ Pariſiorum ex officina Jo. Baptiſtæ Coignardi prodiit, quam nos in Actis hiſce eodem anno menſe Septembri pag. 454 ſqq. recenſuimus, aliorumque ſecuti fidem Dn. Sacyo tribuimus, neceſſe eſt aut a nobis aliisque publica fama deceptis erratum tunc fuiſſe, aut Perraltum feſtinante calamo pro Sacyo Chaiſium ſcripſiſſe. De quo aliorum eſto judicium. Cæterum ſubductus eſt orbi literato, cui totum ſe mancipave-

paverat, Tillemontius per placidam mortem anno 1698, cum nuper ſexageſimum ætatis annum expleviſſet.

De *Hieronymo Vignerio*, Nicolai Vignerii Medici quondam ac Polyhiſtoris celeberrimi filio, notatu digna ſunt quæ Perraltus memoriæ prodidit: juvenem Jus Civile tanto ardore excoluiſſe, ut anno ætatis decimo ſexto cum applauſu Doctorum ſuorum Licentiatus renunciari meruerit: Prætoris deinde munere aliquo tempore Balgentiaci (Beaugency) functum id præcipue operam dediſſe, ut civium lites forenſes omnes componeret, juſtitiamque adminiſtrandi compendioſam viam præciſis captioſis ambagibus ſtabiliret: mutaſſe poſtea vitæ genus, nec religionem tantum Reformatam, cui innutritus fuerat, ejuraſſe, ſed & Carthuſianorum ordini adſcriptum, cumque Familiæ hujus auſteritati perferendæ impar eſſet, Patribus Oratorii Jeſu Chriſti aggregatum, & poſtquam hujus Congregationis res in Turonenſi, Rupellenſi, & Lugdunenſi ditione probe curaſſet, Oratorii denique ad S. Maglorium Pariſiis præfectum fuiſſe: excelluiſſe cumprimis in ſtudio genealogico, cumque in Lotharingiam aliquando iter inſtituiſſet, in ea incidiſſe monumenta, ex quibus Domus Lotharingicæ, Auſtriacæ, Lucemburgicæ, Badenſis aliarumque illuſtrium Familiarum origines eruerit, admirando opere edito (non aliud innui palam eſt, quam *Genealogiam Lotharingicam* a Vignerio A. 1649 publici juris factam) quod Chifletius Latine verterit, omnibusque, quæ de origine Domus Auſtriacæ prodierunt, ſcriptis præferendum exiſtimarit. Ubi tamen id obiter animadvertimus, Jo. Jac. Chifletium hæc legenti videri poſſe Vignerianum illud opus univerſum in linguam Latinam tranſtuliſſe, qui tamen partem tantum illius, ſeu laciniam, ut Blondellus in Præfatione Apologetica loquitur, in Stemmate Auſtriaco Antverpiæ A. 1650 edito Latinam exhibuit, eam nempe quæ Domus Auſtriacæ genealogiam ſiſtit: etſi profecto magnæ id Vignerio laudi ceſſit, quod Chifletius, cum in illius tractatum incidiſſet, non dubitarit ſententiam ſuam in Novis Luminibus ad Vindicias Hiſpanicas olim aſſertam, qua Guntranno Diviti, a quo Sereniſſimam Domum plerique derivant, longe alios majores Guilimannum ſecutus dederat, mutare, juſſeritque novem gradus priores ſupra Guntrannum expungi, ſubſtituique totidem a Vignerio detectos, atque ſic Auſtriacam Domum ex Merovingica Franciæ Regum gente per Erchenoaldum Majorem

Digitized by Google

Palatii cum Vignerio deduxerit. Quæ porro Perraltus Nobiliſſimus de Vignerii notitia rei nummariæ, manuſcriptis S. Fulgentii & S. Auguſtini ab eo detectis, Latinis Pſalmorum quorundam paraphraſibus Cardinali Richelio valde probatis, patientia in calculi, quo laborabat, ſectione ſuſtinenda ſubjungit, brevitatis ſtudio prætermittimus.

Singulare exemplum ſanctæ amicitiæ, quæ Regem inter & Miniſtrum intercedere poteſt, Perraltus elogio *Maximiliani Bethunii Ducis Sulliacenſis* complectitur. Is Henrico Navarræ, poſteaque & Galliæ Regi hujus nominis IV, addictiſſimus, & in bello civili ſtrenuam illi operam præſtitit, perpetuus fere Regis in præliis aliisque expeditionibus bellicis comes, & poſtquam is civili bello compoſito Galliæ Regnum quiete deinceps poſſidendum ſibi aſſeruiſſet, in graviſſimis quibusque negotiis fidem ſuam, induſtriam, dexteritatem, zelum abunde illi comprobavit; nec illi tantum, ſed & Reginæ Viduæ, cui poſt Regis obitum ſeptendecim librarum, ut vocant, milliones, (ingentem pro temporum illorum conditione theſaurum, quem ipſe ærario Regio Præfectus collegerat cuſtodiveratque) tradidit. Viciſſim Rex officia illius compertamque tot documentis ſinceritatem omni benevolentiæ ſignificatione remuneratus eſt. Nam & Amici titulo in literis pariter ac alloquio dignatus eum ſemper fuit, & ſplendidisſimis Regni muneribus admovit, & Sulliacenſis ditionis nomine Ducem Paremque Franciæ creavit: quin Comitis Stabuli ſupremam dignitatem ac Normanniæ præfecturam eidem obtulit, ſi exemplum ſuum ſecutus in ſinum Eccleſiæ Romanæ (ad quod adduci tamen nunquam potuit, etſi a Pontificibus etiam ipſis Paulo V & Urbano IIX per literas humaniſſime invitatus) recipi ſe pateretur. Memorabile quoque eſt, quod Henricus IV tum etiam cum Pariſiis a ſicario occideretur, in eo fuerit, ut Bethunium ſuum ipſe conveniret, de graviſſimis regni negotiis cum eo acturus. Tanto ergo tempore cum tanto Regi a conſiliis intimis in arduis quibusque Status negotiis fuerit, facile hinc colligitur, quantum ſibi emolumenti ex Commentariis Hiſtoricis de vita & geſtis Henrici IV, qui nomen ejus præferunt, etſi non niſi a quibusdam ejus ſcribis compilati fuerint, polliceri queant, qui ſolidam ſibi prudentiam politicam comparare deſiderant.

Honoratus d'Urfe inter illuſtres Gallos locum quoque meruit, vel ob *Aſtraam*, fabulam illam Romanenſem famoſiſſimam, ſumma ingenii

genii

genii felicitate ab eo compoſitam. Tametſi enim ea aliorum cenſuram non plane effugit, a Perralto tamen, accuratiſſimo harum rerum judice, tanto in pretio habetur, ut ipſius Homeri poëmatibus minime inferiorem, ſoluto licet ſermone ſcriptam, cenſeat. Nec fabulam tamen meram exhiberi monet, ſed propriæ vitæ fata variosque magnarum molitionum eventus ſub jucundo ſchemate ab Urfæo deſcribi. Quam in rem ſuffecerit paucis hoc loco repetiiſſe, quod Perraltus de eo memorat, non omnibus forte cognitum, ex quo totius operis argumentum facili conjectura ſagaciores aſſequentur. In prima nempe adoleſcentia amore Urfæus erga virginem nobilem Caſtromorantiam incenſus fuit, ſed quem proſequi tum non potuit, Ordini Equitum Melitenſium mature adſcriptus, inque inſula Malta pluribus annis continuis procul ab amaſia commoratus. Dum abeſt, contigit ut eadem virgo Honorati noſtri fratri natu majori nuberet, conciliantibus nuptias ab utraque parte conſanguineis, ut per eas antiqua inter illuſtriſſimas Forenſis provinciæ Domus, Urfæam & Caſtromorantiam, ódia extinguerentur. Redux noſter Caſtromantiam fratri ſuo matrimonio, ſed quod ſterile erat, junctam deprehendit, nec minus amorem priſtinum redintegrat urgetque, donec tandem, poſt tricas & difficultates innumeras, fratre impotentiam poſt decem conjugii annos faſſo, ipſe voto quo Eques olim ſe obſtrinxerat ſolutus, matrimonio ejus potiretur. Cæterum tametſi Viri, qui noſtra ætate in arte Romanenſes, quas vocant, fabulas apte adornandi, & in proſa, ut ſic loquamur, poëtandi excelluerit, exemplum proponere Perraltus vel ideo voluerit, quod & Veteres ea arte multum fuerint gloriati: candide tamen ac cordate fatetur, Aſtrææ hujus ſimiliumque fabularum lectionem nec fructuoſam iis eſſe, qui ſeveriori diſciplina morali imbui cupiunt, & aliis, juventuti imprimis ſuopte ingenio ad pravos amores pronæ, haud parum periculoſam.

De *Ægidio Menagio*, cujus creberrima in his Actis mentio injecta fuit, Viro Latinam linguam ſolo uſu & claſſicorum, quos vocant, auctorum lectione, nullo Grammatices adminiculo edocto, in eruendis vero Italicæ Gallicæque linguæ originibus ad ſuperſtitionem usque ingenioſo, unicam ex Perralto obſervationem ad finem properantibus ſatis fuerit produxiſſe, cur nimirum, qui ab Academia Furfuratorum (della Cruſca) in Italia magna honoris ſignificatione

ſue-

fuerat adoptatus, nunquam tamen receptus in AcademiamFranci. cam fuerit, etſi ipſe Pariſiis degeret, & ornamento futurus Academiæ fuiſſet. Cujus rei non alia fuit cauſa, quam quod ſub ipſis Academiæ incunabulis Satyram in eam ſcripſerat Menagius, ſub forma libelli ſupplicis, quo omnia, quæ extant, Dictionaria ad Academiam acerbas querelas deferebant, imminere nempe ſibi omnibus perniciem & interitum, ſiquidem, quod Academia moliatur, Dictionarium lucem adſpexerit: inventione quidem Academiæ in ſpeciem honorifica, ſed quam ſales innumeri ubivis adſperſi corruperant.

Inter Artifices denique, quos elogiis ſuis Perraltus dignatus eſt, *Philippus Collotus* quoque celeberrimus Lithotomus, A. 1656 defunctus, comparet. Ubi memorabile utique eſt, quod arcana illa ars ſecandi, & ex corpore humano extrahendi calculum, quæ a quodam Johanne de Romanis Gremonenſi circa annum 1525 primum inventa, & ab hoc Mariano Sancto de Barlettis communicata, ab eo porro Octavio de Villa, & ab hoc Laurentio Colloto concredita perhibetur, magno cum eorum, qui calculo laborarunt, fructu, a Philippi noſtri patre, avo, proavo (Laurentio nempe, quem diximus) nec non filio & nepote fuerit exercita. Etſi vitio vertit non immerito Perraltus Collotis illis, quod artificium tanti momenti, & conſervandæ hominum vitæ aut minuendis ſaltem acutiſſimis, qui ex calculo naſcuntur, doloribus inventum, tanto tempore ſecretum habuerint, nec cum quoquam alio communicare ſuſtinuerint.

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, Operum Tomus decimus.

Pariſiis, apud Franç. Muguet, 1690, fol. Alphab. 10. plag. 9.

EJUSDEM S. AURELII AUGUSTINI VITA EX EJUS potiſſimum Scriptis concinnata, nec non Indices in Tomos antecedentes Generales. Opera & ſtudio Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Pariſiis, apud eundem, 1700. fol. Alphab. 7.

De elegantiſſima Operum Auguſtini editione a Monachis Benedictinis e Congregatione S. Mauri adornata, & in Belgio nunc modo

modo recuſa jam tum A. 1683 Calendis Januarii, iterumque menſe Novembri A. 1688 p. 619 ſ. in Actis noſtris diſſeruimus, quo poſteriori in loco tomi quinti & ſequentium ad nonum usque contenta pro inſtituti noſtri ratione indicata fuerunt.

Acceſſit vero poſtea tomus decimus, quin & præter eum adhuc alius, de quo mox dicemus, modo decimi iſtius faciem adumbratam antea dederimus. Continet vero ille opuſcula polemica adverſus Pelagianos, utpote libros tres *de peccatorum meritis & remiſſione, deque parvulorum baptiſmo ad Marcellinum.* In illis cum aſſeruiſſet Auguſtinus, homines cum gratiæ auxilio poſſe ſine peccato in terris eſſe, licet ad hunc perfectionis gradum nulli adhuc pervenerint, aut perventuri etiam ſint, Marcellinus ea de re ulteriorem ab ipſo informationem petiit, quam in libro *de Spiritu & litera*, qui mox in hac editione ſubjungitur, eidem is ſuppeditavit. Tertium locum occupat *de natura & gratia* liber, cui anſam præbuerunt monachi juniores duo, Timaſius & Jacobus, qui cum a D. Auguſtino ab erroribus Pelagianis ad veram revocati eſſent religionem, quendam Pelagii librum ad ipſum miſere in extollendis nimis naturæ viribus occupatum, quem proin arrepto ſtatim calamo is refutavit. Sequitur hinc *de perfectione juſtitiæ hominis* epiſtola ſeu liber ad Eutropium & Paulum, *de geſtis* item *Pelagii* ad Aurelium liber, in quo demonſtrat Auguſtinus, Pelagium, cum ad Concilium aliquod Epiſcoporum quatuordecim Dioſpoli Palæſtinæ A. 415 habitum citaretur, Patribus tum congregatis impoſuiſſe, quando eam apud ipſos doctrinam fuerit profeſſus, quam ſcriptis tamen ſuis convellere allaboraverit. Libri duo *de gratia Chriſti & de peccato originali* contra Pelagium ad Albinam, Pinianum & Melaniam ſcripti, ſextum in hoc tomo locum obtinent, ſeptimumque duo ad Valerium libri *de nuptiis & concupiſcentia*, quorum priori matrimonium, utut infantes omnes naſcantur in peccato, non tamen ideo repudiandum eſſe probat, occaſionem mutuatus a Pelagianorum objectione, quam exinde adverſus peccatum originale formaverant. Poſteriori vero anſam præbuit Julianus, Epiſcopus Italus, qui ut nomen ſibi pareret, libris quatuor tractatum iſtum Auguſtini impugnavit, cui proinde paucis ille reſpondit in ſecundo hoc libro, prolixius vero ſex libris integris, qui heic poſt quatuor ad Vincentium Victorem *de anima & ejus origine*, totidemque ad Bonifacium libros

contra duas Pelagianorum epiſtolas exhibentur. Qui poſtmodum comparet *de gratia & libero arbitrio* ad Valentinum & cum illo Monachos Adrumetinos liber, eos impugnat, qui adſtruendo liberum arbitrium gratiam enervant, dum hanc ſecundum merita datam præſupponunt. Hujus vero libri lectione cum nondum ſibi ſatisfactum eſſe Monachi illi innuiſſent, alium *de correptione & gratia* ad eosdem ſcripſit Auguſtinus. Quemadmodum autem in hoc libro ſua ſimul principia, circa gratiæ Adamo in ſtatu integritatis conceſſæ diſcrimen a gratia hominibus poſt lapſum a Deo data; circa perſeverantiæ donum non omnibus, ſed certis tantum hominibus collatum; circa gratiæ efficaciam, & denique circa gratuitam electionem explicuit atque confirmavit: ita eandem materiam duobus ad Proſperum & Hilarium libris perſecutus eſt, inque eorum uno *de prædeſtinatione Sanctorum*, & in altero *de dono perſeverantiæ* latius diſſeruit; poſt quos ultimus adjicitur Auguſtini in Pelagianos conatus, opus imperfectum ſex libros complectens, quibus antiquum ſuum adverſarium, *Julianum*, refellit, poſteaquam ille contra librum ſecundum de nuptiis & concupiſcentia octo libros compoſuerat. Appendix pro more recepto & huic tomo ſubnexa in tres partes dividitur. Prima earum ſuppoſititia opuſcula tria exhibet, *Hypomneſticon* ſeu *libros* vulgo dictos *Hypognoſticon*, quos Auguſtino tribuerunt Scriptores noni ſeculi, & inter eos Hincmarus, dudum a Remigio Archiepiſcopo & Eccleſia Lugdunenſi in libro de tribus epiſtolis cap. 35 refutatus. Sixto, Presbytero Romano, Johannes Garnerius adjudicavit, verum *Mercatori* potius eosdem deberi, Benedictinorum conjectura eſt. Ad eundem ſuppoſititiorum cenſum liber *de prædeſtinatione & gratia* Fulgentio, Epiſcopo Ruſpenſi etiam, ſed præter rem, attributus, aliusque parvus *de prædeſtinatione Dei* itidem refertur. Appendicis ſecunda pars *varia ſcripta & monumenta ad Pelagianorum hiſtoriam pertinentia*, quorum comparatione polemicæ in eosdem hæreticos Auguſtini lucubrationes illuſtrari queant; tertiaque *Proſperi Aquitani pro Auguſtino contra iniquos doctrinæ illius de gratia & prædeſtinatione reprehenſores apologetica opuſcula*, nec non ejusdem Proſperi *ſententiarum ex Auguſtino* librum continet. His ſingulis ulterius ſubjungitur *Vita Auguſtini*, autore *Poſſidio*, *iſtiusque librorum*, *tractatuum ac epiſtolarum Poſſidii* ejusdem cura editus *indiculus*. Præfationis vero in vicem

cem hiſtoria Pelagiana ad primævos ſcriptores recognita, in lectionem librorum Auguſtini adverſus hæreſin hanc decertantium introducens repræſentatur.

Ad ultimum tomum quod attinet, primo ille loco *duas* exhibet *præfationes*, quarum altera editionem univerſam, altera appendices ſingulis tomis ſubjectas reſpicit. In iſta totius operis rationem, contenta, ordinemque Editores ſolertiſſimi exponunt, & cauſas, cur variis ſcriptiunculis adverſus induſtriam ſuam evulgatis nihil adeo repoſuerint, declarant, ſolenniſſimeque profitentur, quod eccleſiaſticis de Gratia inſtitutionibus, quas nuper Illuſtriſſimi Præſules, Carolus Mauritius le Tellier, Remenſis, & Ludovicus Antonius de Noailles, Pariſienſis, ediderint, ſincere per omnia adhæreant. In hac vero, cur ſpurias ſcriptiones a genuinis & ſinceris Auguſtini operibus ſegregatas in angulum peculiarem circa tomi cujusque finem rejecerint, palam oſtendunt. Præcipuum tamen, quod hunc tomum exornat, *Vita S. Auguſtini* eſt, octo libris prolixe ſatis ex ipſiusmet ſcriptis adornata, quæ inſtar eſſe poteſt Auguſtinianorum imo Eccleſiaſticorũ ejus temporis, quorum ſanctiſſimus doctor pars magna fuit, Annalium. Quandoquidem vero hi & aliunde ſatis noti, & prolixiores longe ſunt, quam ut in compendio exhiberi a nobis queant, iſta tantum hinc decerpſiſſe ſuffecerit, quod Auguſtinus anno Chriſti 354 Idibus Novembris natus, A. 386 converſus, ſequentique 387 baptizatus, Presbyter Hipponenſis A. 391 & A. 395 exeunte Epiſcopus ordinatus, tandemque A. 430 quinto Calendarum Septembris, ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto prope abſoluto, mortuus eſſe perhibeatur. Matris inſuper Auguſtini, quæ *Monnica* ubique Benedictinis noſtris audit, hiſtoria eaque accurata ſecundo hujus Vitæ libro ſubnectitur, in qua natam eam dicunt A. C. 332 parentibus Chriſtianis qui eandem pudice quoque & ſobrie educarint. Hinc laudabiles ejus in conjugio mores celebrant. Anno ætatis quadrageſimo orbatam viro, reliquam vitam omnem in piis operibus traduxiſſe referunt, ejusque imprimis circa filium ſuum adhibitam ingentem ſolicitudinem extollunt. Mortem denique illius in annum 387 & Idus quidem Novembris collocant, quanquam natalem ejus Eccleſiam quarto Nonas Maji celebrare, cauſamque iſtius inſtituti ſe ignorare, haud diſſimulent. Prolixiori illi Vitæ ſuccedunt *tres indices operum Auguſtini*, quorum pri-

mus ſiſtit ſeriem & ordinem cujusque tomi operum cum Lovanienſi, cui Eraſmianus fere concordat, comparatus; ſecundus ordinem antiquum cum novo collatum, tertiusque ſingula opuſcula ordine alphabetico digeſta. Sequitur mox *index univerſalis* & quidem copioſiſſimus omnium rerum, quæ in decem operum Auguſtini tomis occurrunt, tum index itidem generalis omnium Scripturæ Sacræ locorum, quæ in operibus iſtis ſparſim explicantur; quam diligentiam & circa ſpuria opuſcula in appendices cujusque tomi relata adhibere placuit. Cæterum in generali ad appendices has præfatione editiones operum Auguſtini præcipuæ commemorantur; ſed cum de iis in prima laboris hujus a Benedictinis ſuſcepti deſcriptione jam tum uberius a nobis actum fuiſſe recordemur, ſemel dicta nunc repetere ſupervacaneum exiſtimamus.

ELEMENS DE MECHANIQUE ET DE PHYSIQUE, où l'on donne Geometriquement les principes du choc & des equilibres entre toutes ſortes des corps, avec l'explication naturelle des machines fondamentales, par M. PARENT, de l'Academie Royale des Sciences,

i. e.

ELEMENTA MECHANICÆ ET PHYSICÆ, QUIbus principia conflictus & æquilibrii in omni corporum genere Geometrice traduntur, una cum explicatione naturali machinarum fundamentalium: Autore Dn. PARENT, e Regia Scientiarum Academia.

Pariſiis apud Flor. & Petr. Delaulne, 1700. 12.

Conſtant plag. 21. & fig. æn plag. 4.

QUoniam Phyſica pendent ex Mechanicis ſeu ex motuum legibus, hinc Autor ingenioſus, explicans doctrinam percuſſionis corporum, librum cenſuit jure vocari Elementa Mechanica & Phyſica. Leges percuſſionis derivat ex principio concurſus æquilibrium facientis cum aliis motibus compoſiti. Et ait ſe initio putaſſe, primo ſibi iſtam methodum occurriſſe, ſed poſtea comperiſſe, Hugenium, Walliſium & Mariottum eodem principio uſos: quoniam tamen non ſatis omnibus innotuiſſe videatur, & ideo celebres autores principia peculiaria habeant, & inter ſe diſſentiant, ideo ſibi operæ pretium viſum hanc Metho-

Methodum fuſius exponere, & ad varia applicare. Multum quoque ſe debere ait Dni Renaut libro de gubernatione navis, & Mechanicæ Dni De la Hire, ſed maxime Dno Sauueur, cujus magna ſint in Mechanicen & Phyſicam merita. Scripſiſſe ſe octo abhinc annis librum fundatum ſuper principio parallelogrammorum, per quod explicuerit omnem doctrinam æquilibrii circa punctum fixum & centra gravitatis; ſed cum eum tractatum Dno Sauueur oſtendiſſet, ut Academiæ Regiæ offerretur, hunc monuiſſe, jam Dnum Varignonium Mechanicen ſuam eidem principio inædificaſſe. Itaque cum præterea intellexiſſet, Patrem Lamy, & adhuc alios hanc inventionem ſibi tribuere, ideo ſeſe ab eo labore deſtitiſſe, & maluiſſe talia Mechanica deducere ex principio de maximis & minimis, gloria inventi aliis relicta, etſi non minus quam illi eam ſibi tribuere poſſet, cum nec ipſi fuerint primi; præterea principium parallelogrammorum non ſuccedere pro concurſibus liberis. Galilæi propoſitiones ſe omiſiſſe, quod ſint in imaginatione ipſius unice fundatæ, etſi pulchræ videantur & experientiis ſatis conſentiant. Tempus enim, quo Galilæus utatur in acceleratione corporum deſcendentium, eſſe rem imaginariam, qua poſſimus carere in ratiocinando.

Librum ſuum dividit *in tres partes*. *Prima* agit de motu & concurſu rectilineo. Ibi cap. 4 definit tempus, quod ſit effectus ſucceſſivus & uniformis, ſtabilitus vel aſſumtus ad menſurandum quicquid eſt ſucceſſivum. Ita ſpatium quod homo abſolvat æquali paſſu, eſſe tempus, ſic aquam ex clepſydra ejuſdem ſemper altitudinis elapſam, eſſe tempus &c. Potentiam vel vim (force) definit cap. 5 ſtatum præſentem motus corporis, comparatum ſtatui tali alterius corporis. Hos ſtatus non poſſe differre, niſi reſpectu maſſæ & celeritatis. Ex qua definitione inferre ſe poſſe putat, corpus duplo celerius altero æquali, eſſe etiam duplo fortius, præſertim quoniam in æquilibrio maſſa & celeritas ſe mutuo compenſant, cap. 6. Ubi etiam putat, vim deſtrui in corporibus cum æquilibrio concurrentibus, nec perfecte elaſticis. Ponit deinde 12 Axiomata (c. 8) iisque in ſupplemento ſeptem alia adjungit, quanquam fortaſſe ad pauciora multo reduci poſſent. Cap. 11 explicans motus reciprocos, qui ſcilicet cuilibet corpori attribui poſſunt, ſtatuit ſyſtemata Copernici & Tychonis coexiſtere, ſeu coincidere, etſi in eo maneat diſcrimen

 reale

reale, quod in hypotheſi Tychonis Sol ingreditur in orbitam Martis, in Copernicana vero nihil tale contingit, ut Mars veniat in locum, ubi aliquando Sol fuit. Nimirum phænomena oſtendunt, Martem interdum nobis eſſe propiorem, quam eſt Sol. Reliquis hujus partis capitibus examinat caſus concurſuum rectilineorum tam cum, quam ſine oppoſitione inter corpora mollia, ſemidura ſeu ſemielaſtica, & perfecte elaſtica. In quibus non diſſentit quoad concluſiones ab iis, quæ Mariottus aliique dedere. Vim ictus æſtimat a concurſu cum æquilibrio, & ita definit c. 17, ut ſi A & B cum æquilibrio concurrat in D, ſit vis ictus factum ex A in AD, vel ex B in BD. Vim relativam quidem agnoſcit manere eandem, ſed c. 16 & 18 defendit, vim abſolutam creſcere vel diminui per concurſum. Agnoſcit etiam, ſi corpora ſint homogenea, centrum gravitatis ſuam celeritatem & directionem non mutare, mutare tamen eam in heterogeneis; hinc ut utramque una regula complecteretur, ideo in Diario Eruditorum Pariſino 4 Maji 1699 hanc propoſuerat: in omnibus concurſibus in eadem recta corpora conſervant legem æquilibrii reſpectu puncti immenſitatis, quod movetur eadem celeritate poſt ictum, qua ante ictum ibat centrum commune maſſæ. Sed ne hic quidem explicuit, quid intelligatur per *punctum immenſitatis*, etſi regulam repetat ſub finem capitis 20.

Parte ſecunda agitur de concurſu corporum, quæ circulari motu feruntur, ubi eodem fere modo, ut in rectilineis concurſibus, procedit. Radium maſſæ vocat cap. 2, in quo corpora concurrerent cum æquilibrio: hinc radii hujus celeritatem non mutari. Inde cap. 9 agit de centro virium, quod Mariottus & alii appellarant centrum percusſionis; quemadmodum c. 14 centrum temporis vocat appellatione generaliore, quod Hugenius ad gravitatem reſpiciens, vocarat centrum oſcillationis. Putat autem & Autor cap. 15 naturam gravitatis ex hoc ipſo valde illuſtrari, quod experientia oſtendat, in oſcillationibus idem eſſe centrum temporis & centrum percuſſionis ſeu virium; uti ſane Mariottus oſtenderat, centrum ſuum percuſſionis idem eſſe cum centro oſcillationis vel agitationis Hugeniano. Et cap. 16 notat, centrum maſſæ in corporibus gravibus cum centro gravitatis coincidere. Unde & de centris gravitatis virium & temporis in variis figuris nonnihil tractat. Inde *parte tertia* tranſit ad motus obliquos, & compoſitos. Ubi notat, duos motus perpendiculares inter ſe compoſi-

Digitized by Google

tos id habere ſingulare,quod ſe mutuo nec juvant nec impediunt, cum acutum inter ſe angulum facientes ſeſe adjuvent,at obtuſum facientes ſibi ſint contrarii, cap. 4. Et eadem transfert ad motus circulares, cap. 5. Inde agit de reflexione corporis oblique incidentis cap. 6, & de variis corporum in idem incurſibus, cap. 7 ſeqq. ubi rurſus tuetur, centrum maſſæ inter homogenea motum ſervare, & vires relativas manere,ſed abſolutas imminui aut creſcere ; ſed non applicat huc punctum immenſitatis,quo ſupra erat uſus. Porro & cap. 18 agit de corporibus plicatilibus,qualia ſunt catenæ,aut funes,abſtrahendo hoc loco ab eorum maſſa propria; ubi quoque agit de trochleis. Inde cap. 19 & 20 procedit ad vectes & rotas, & c.21 ad plana inclinata, & c. 22 (quod eſt partis tertiæ ultimū)de polyedro findente ſeu de cuneo agit.

Pars quarta deſtinata eſt corporibus fluidis inter ſe vel cum ſolido combinatis; ubi cap. 3 promittit Dn. Autor, ſe aliquando tractatum de Hydraulicis editurum. Notat cap. 1, concurſus fluidorum hoc habere, quod ſint permanentes ſeu durabiles, cum ſolidorum concurſus ſint quaſi inſtantanei. Hinc in fluidis operæ pretium futurum eſt conſiderare, quantum ictus duret, & quod tanto major eſt quantitas agentis fluidi, quanto major velocitas. Ubi poſt alios notat,maximam velocitatem, quam grave in fluido per accelerationem acquirere poſſit, eam eſſe, qua fluidum ſurſum motum (ut in aquæ jactibus) hoc grave ſuſtineret. Attingit etiam æquilibrium liquorum cap. 5. Et paucis agit c. 6 de rotis, quæ trahuntur ab animalibus,affirmatque magnas rotas hic exiguis æquipollere. Et cap. 7 tractat de lineis curvis formatis per corpora flexibilia,quæ non extenduntur: ubi concipit ea trahi vel impelli aut conatibus parallelis inter ſe,aut perpendicularibus ad ipſas curvæ partes. Parallelis inter ſe agunt pondera, quæ intelligi poſſunt vel eſſe(primo) ipſæ curvæ partes ut in catena, vel hæc ponderis exortia fingendo, intelligi poſſunt pondera impoſita,quæ vel ſint inter ſe (ſecundo)ut ſpatia figuræ reſpondentia ſeu ſuperimminentia inde a recta horizonti parallela ; vel ſint(tertio)inter ſe æqualia. In primo caſu ait elementa diſtantiarum a dicta recta horizonti parallela,ſeu dy eſſe ut arcus a curva abſciſſos inde a vertice, usque ad punctum,ubi eſt elementum dy. Secundum caſum determinare ſe ait ex principio quodam Dni la Hire,cui ſe hanc gloriam relinquere ait, etſi ipſe duabus aliis viis eodem perveniat.

Ter-

Tertio caſu curvam ſtatuit eſſe parabolam. Cæterum operæ pretium eſt addere: problema primum in catenæ figura indaganda propoſitum fuiſſe a Galilæo, & primum ab Illuſtri Leibnitio nova ipſius Methodo calculi differentialis fuiſſe ſolutum; ingenioſiſſimum quoque Joh. Bernoullium, intellecto Leibnitiano ſucceſſu, (etſi nondum publicata ſolutione aut ejus artificio) ejusdem quidem calculi ope, proprio tamen Marte eodem perveniſſe, quemadmodum ex Actis noſtris conſtat; & Autorem noſtrum eadem calculandi ratione hic uti. Notat etiam primum caſum, (qui ſcilicet eſt lineæ Catenariæ (Gallis la Chainette) poſſe, ob maximum deſcenſum centri gravitatis catenæ, eo deduci, ut quæratur curva, ubi $y \sqrt{(dxdx + dydy)} : 2a$ ſit maximum. Sed hæc, inquit, relinquo combinationibus ſummatoriis Algebriſtarum; quanquam interim facile agnoſcatur, artificium inveniendi curvas, quibus maximum præſtetur, non ex combinationibus Algebriſtarum, neque etiam ex ſummationibus tantum, ſed ex alio ſingulari artificio pendere, quod nuper demum prodiit, cum linea breviſſimi deſcenſus a Dno Joh. Bernoullio propoſita & ab ipſo pariter ac paucis aliis ſoluta fuiſſet. Hanc autem Methodum maximi deſcenſus centri gravitatis putat Dn. Autor, ad ſolum caſum primum, non ad duos reliquos pertinere. Quæ omnia nos iis, qui hæc profundius examinarunt, conſideranda relinquimus. Cap. 9, 10, agit de figuris in fluido motis, ubi & quædam de gubernaculo & derivatione, poſt Dn. Regnault, & cap. 11 de proportione ponderis columnæ aeris. Tandem cap. 12 & 13 exponit modum hæc experiundi, & ſpeciatim modum, quo pendula ictibus ſuis concurſuum experimenta exhibent, quod jam præſtiterat Mariottus, ſed a Dno Autore magis promovetur. Speramus Cl. Autorem in hac ſcientia ornanda porro perrecturum. Interea optamus, ut *Nova Dynamices Scientia*, cujus aliquoties in his Actis facta eſt mentio, ab Inventore Illuſtri in lucem producatur, & pulcherrimum illud naturæ arcanum de eadem ſemper potentiæ motricis abſolutæ (debito ſenſu acceptæ) quantitate ſervanda explicetur & ſtabiliatur. Hujus enim doctrinæ defectus Dnum Autorem (cujus librum jam recenſuimus) & alios ſolius potentiæ relativæ conſervatione contentos eſſe coëgit.

MONU-

Digitized by Google

MONUMENTA VETERIS ANTII, HOC EST, Inſcriptio M. Aquilii, & Tabula Solis Mithræ variis figuris & ſymbolis exſculpta, quæ nuper inibi reperta nunc prodeunt Commentario illuſtrata & accurate explicata. Accedunt Diſſertationes de Beleno & aliis quibusdam Aquilejenſium Diis: & de Colonia Forojulienſi. Auctore PHILIPPO A TURRE, ex eadem civitate Forojulio. Additæ ſunt Fragmenta Inſcriptionum Fratrum Arvalium, recens in agro Romano effoſſa.

Romæ typis Cajetani Zenobii & Georgii Plachi, 1700 in 4.
Conſtant Alphab. 2, plag. 9, & fig. æn. 4.

ELegantiſſimum Opus, & varia reconditaque doctrina refertum, in quatuor partes diſtributum eſt. Prima & ſecunda occaſionem connexam habent, nuper in Antii, vetuſtæ urbis, ruderibus reperta Antiquitatis monumenta, quorum alterum inſcriptionem Aquilii tenet; alterum tabulam Solis Mithræ ſymbola & figuras referentem exhibet. Hinc pars prima voluminis de M. Aquilii inſcriptione eſt: ſecunda de ſacris Dei Mithræ. Cetera, quæ hoc volumine continentur, amore patriæ a nobiliſſimo Auctore ſunt adjecta. Quod enim Forojulienſis ex Carnis eſt, de Carnorum Diis, Beleno præcipue Aquileienſium, quæ civitas caput quondam Carnorum fuit, eruditam diſſertationem adjungit: cui aliam de ipſa patria ſua, Forojulienſi Colonia, ſummo ſtudio ex antiquitatum memoriis congeſtam ac compoſitam, ſuperaddit: quæ tertiam & quartam voluminis partem conficiunt. Accedunt Arvalium Fratrum tabulæ, nuper in agro Romano effoſſæ, quarum frequens in prima parte, Inſcriptionis Aquilii interpretatione, mentio habita fuerat. Superpondii ſunt inſtar Inſcriptiones Aquileienſes aliorumque Forojulienſis provinciæ locorum, omnes adhuc ineditæ, numero LXXVII.

Inſcriptio, quæ primam partem facit, nuper inter Antii rudera prope oppidum & portum Neptunium reperta, talis eſt:

M. AQUILIO. M. F
FABIA. FELICI
ACENSUS. EQUIT. ROMAN
PRAEF. CL. PR. RAVENNAT

PROC. PATRIM. BIS. PROC. HERED
PATRIM. PRIVAT. PROC. OPER. PUB
PRAEP. VEXILLAT. P.P. LEG. XI. CL
FR. PATRON. COL. OBMER. EIUS
ANTIAT. PUBL

Hujus interpretationem undecim capitibus eruditiſſimus Auctor diſtinxit. Primo de *Antii*, claræ quondam urbis & coloniæ, *religione* agit qua potiſſimũ Fortuna celebrabatur, eaque Gemina, cujus templum ibi maxime celebre nobiles illas *Sortes Antiatinas*, id eſt oraculum habuit. Geminam dixit, quia etiam nummus Q. Ruſtii gemina ſimulacra præfert, inſcriptus FORTUNAE ANTIAT. quas *veridicas ſorores* Martialis dixit: id quod veteri inſcriptione FORTUNIS ANTIATIBUS confirmatur. Quod vero alius nummus Antii itidem has geminas imagines habet, circumſcriptas DEI PENATES, & in poſtica Herculis ſignum conſpicitur; conjicit inde Auctor noſter doctiſſimus, in Penatibus cum Hercule, tanquam gentilitio Numine, fuiſſe Fortunam quoque numeratam: quia Romanæ Gentes Deos præſides Numina patriæ, unde ortæ erant, coluerunt, ſicut Gens Antia haud dubie, ut nomen fert, ab Antio Romam profecta, Fortunas, Antii cultas, in Penatibus ſuis habuit. Quod aliis exemplis Auctor illuſtrans in Atii Balbi nummum incidit, a Patino male inſpectum, ejusque occaſione, quod SARD. adſcriptum habet, in *Sardiniæ* etymon egreſſus, Bocharto ſuccenſet, qui poſthabitis veterum teſtimoniis, Silii, Pauſaniæ, Solini, Capellæ, Iſidori, *Sardiniæ* vocabulum non a *Sardo*, ut illi unanimi conſenſu, ſed ex Phœnicum lingua, unde pro libidine ſua (ſic vocat Auctor) fere omnia regionum populorumque nomina deducere conſueverit, ſine conſonantia arceſſat. Poſtquam deinde rurſus de Penatibus Laribusque dixit, a Suetonio invitatus, qui Calig. c. 57 *Antiatinas ſortes* memoravit, quid *Sortes* proprie fuerint, ex Cicerone & Macrobio exponit: at in templo Antiatium alio modo reſponſa data, ex eodem Macrobio I Saturn. c. 23 oſtendit, ut ita Suetonius id oraculum abuſive *ſortes* appellaverit, ſi modo appellavit, quia ex quindecim MSS. Vaticanis tantum duo *ſortes* habeant: ceteri, quibus & alii quatuor codices in Urbe conſentiant, *Fortunæ Antiatinæ*, quam omnino genuinam Suetonii eſſe ſcripturam cenſet. De numero Fortunarum, cur *geminas*

nas coluerint Antiates, illuſtrium virorum, Raphaelis Fabretti & Joſephi Mariæ Suareſii, ſententias adfert, quorum illi una bonorum eſt eventuum, altera malorum: huic, quod prope eodem recidit, geminæ Fortunæ ſunt duæ Nemeſes, una bonorum remuneratrix, vindex altera malorum. Tandem ad Taciti *Fortunæ Equeſtris ædem apud Antium* accedit, qua bene perluſtrata, negat eam celebre Fortunarum Antiatium templum eſſe: nec in altera, *ſequeſtri* Fortunæ, quod multis eruditorum placet, legendum eſſe concedit, & Theodoro quoque Ryckio, qui Freinshemii ſententiam in dubium vocavit, reſpondet.

Secundo capite de *Gente* agit *Aquilia*, in plura cognomina, Corvi, Juſti, Galli, Flori diſtincta, quæ diſcrimina etiam ſignis ad cognomen adludentibus in nummis familiarum exprimi, exemplis commonſtrat, in quibus quod nummum offendit Valerii Aciſculi, quo inſtrumentum malleo ferme ſimile excuſum eſt, de *aſcia* & *aciſculo*, tanquam parva aſcia, transpoſitis literis, pererudite diſſerit, & ex vetuſtis Gloſſis & Vitruvio monſtrat, aſciam aſciculumque ſive aciſculum, non tantum inſtrumentum eſſe quo ligna poliantur, verum etiam quo maceretur calx, & alia quæ lapidum ſtruendorum ſunt, perficiantur, ideoque in Gloſſis *Aciſcularius* λατόμος verti. Nomen vero Aquilii non ab aquarum fluxu, ut Pighio viſum; ſed ab aquilo colore, id eſt ſubfuſco & nigricante deducit.

Tertio capite verſus inſcriptionis, *Accenſus Equitum Romanorum*, explicatur: in quo primam vocem non *accenſus* legi poſſe, ex tribus generibus Accenſorum, quæ omnia infra dignitatem Aquilii, & ceteros in hoc lapide adſcriptos honores ſint, oſtendit: ubi ſane multa de Accenſis, etiam iis, qui *Accenſi velati* diſcriminis cauſa in marmoribus vocantur, doctiſſime adferuntur. Legendum ergo A CENSIBUS eſſe, exemplis aliorum lapidum probat; & *a cenſibus Equitum Romanorum*, cenſendis Equitibus præfectum eſſe interpretatur. Præclara hic de ipſo munere cenſorio, de lectione Equitum, de illorum præter cenſorem transvectione, & alia adjiciuntur.

Quartum caput ſequentem verſum, *Præfecto Claſſis Prætoriæ Ravennatis*, exponit, de cujus muneris auctore Suetonius, qui Auguſto tribuit, contra Cluverium defenditur: cujus ſucceſſores ad barbarorum usque in Italia dominationem eodem loco claſſem pro Italiæ ſecuritate habuiſſe, exemplis comprobatur. Deinde *Claſſiarii* utrum

ex legionibus an auxiliorum cohortibus fuerint, contra Lipſium, qui legionarios exemit, diſputatur, & tam ex nummis ac marmoribus, quam ex Livio, Tacito, Vegetio probatur; pro temporum neceſſitate & arbitrio imperantium, tam cives quam peregrinos in claſſibus militaſſe. Obiter, *claſſis* mentione facta, clariſſimus Auctor Livium a Tanaquilli Fabri caſtigatione circa *claſſium* in bello Fidenate notionem, lib. IV c. 33, defendit: & templum Neptuni Ravennenſe, & feſta Neptunalia itidem ex antiquis inſcriptionibus declarat. Cur vero claſſis illa, quæ ad Ravennam erat, *Prætoria* in marmoribus dicatur, doctorum conjecturam profert, exemplo cohortium Prætorianarum factum eſſe, quia ad Italiæ & Principis tutelam illa claſſis cum Miſenenſi, perinde ut Prætoriani in Urbe, excubarit. Ideo harum claſſium, Ravennatis & Miſenenſis, nomina in turri, ubi caſtra Prætoriana fuerunt, inſcripta eſſe, a Fabretto obſervatum memorat, cujus peritiſſimi antiquitatum Viri obitum, qui inante VII Idus Februarias CIↃ IↃCC inciderat, quamvis octogenarii, tanquam immaturum bonis literis vehementer luget. Quæ vero literæ SAL in Sex. Pompeji nummo torſerunt alios, has Noſter divinat legendas eſſe SALACIUS, quia Neptuni ille & Salaciæ filius, Appiano teſte, cenſeri & credi voluerit. Salaciam vero marinam deam, Neptuni uxorem, poëtarum fabulæ finxerunt. Ad hæc *Præfectos* claſſis utriusque equeſtris ordinis fuiſſe, ex eo probat, quia inde ad præfecturam prætorii quæ ex Mæcenatis conſilio equeſtris dignitatis erat, adſpirarint, usque ad Alexandrum Severum, quem Lampridius primum ſenatorium decus illi muneri attuliſſe, in Vita ejus narrat.

Quinto capite *Procuratores Cæſarum* pro munerum amplitudine diſtinguuntur, quorum quidam una præſides erant provinciæ, juri dicundo æque ac reditibus impoſiti colligendis: alii ſine jurisdictione ſolos reditus provinciarum curabant. Præter hos *Procuratores patrimonii* fuerunt, & hujus rurſus duplicis, vel ſacri & fiſcalis, quod cum imperio connexum in ſucceſſorem transmittebatur; vel proprium ſeu privatæ rei, idque hereditarium, quia privatus, antequam Princeps fieret, poſſederat, quamvis auctum poſtea, majusque ſæpe mirum in modum in principatu factum eſt. Spartianus ſub Severo *primum procurationem privatarum rerum conſtitutam*, cap. 12 in Vita tradit, quod Salmaſius perſtringit, quaſi inde ab Auguſti ætate hoc munus in Prin-

Principum aula fuerit: ad quod aliter Panciroſus in Notit. Imp. reſpondet, aliter noſter Auctor, qui ita Spartianum pag. 75 interpretatur, ut, cum antea tam patrimonium fiſcale, quam proprium uno eodemque procuratore regeretur, ea officia & munia diſtinxiſſe Severum, & antiquum procuratorem adminiſtrando fiſcali patrimonio, novum autem procuratorem ſuo patrimonio, jam in immenſum aucto, præfeciſſe cenſeat. Procuratores autem patrimonii poſtmodum dicti ſunt *Comites*, ut alter eſſet ſacrarum largitionum Comes; alter Comes rei privatæ. Quod vero Aquilius *bis procurator* dicitur, inde procuraturam non perpetuam, ſed annuo tempore definitam fuiſſe conſtat, quod Auctor per ſingulos annos atque conſules, quibus alius aliusque procurator ſucceſſerit, ex Codice utroque Theodoſii & Juſtiniani demonſtrat.

Sexto capite in muneribus Aquilii *Procuratura hæreditatium* ſuccedit, quam de illis bonis Auctor interpretatur, quorum heres Cæſar privatorum teſtamento ſcriptus pro more temporum illorum erat: quibus, quod ampla ſatis eſſent, etiam Procurator eſt præfectus, diſtinctus omnino a Procuratore viceſimæ, quod contra Cujacium, Pancirolum, Reineſium, & ipſum Fabrettum notatur, & ut perfectius quisque poſſit intelligere, hiſtoria viceſimarum ab inſtitutione, mitigatione & abrogatione illarum ſubjicitur. Procuratores autem equites plerumque & ingenui fuerunt: non raro etiam liberti, idque ex libitu & voluntate Principum.

Septimo capite *Procurator Operum publicorum* Inſcriptionis ordine ſuccedit, quod munus dignitatemque diligentiſſimus Auctor exemplis cum aliis declarat, tum præcipue Capitolii reficiendi cura, in L. Veſtinum a Veſpaſiano, ut Tacitus Hiſt. IV, 53 refert, collata. Unde in hiſtoriam Capitolii Flaviorum tempore ſemel, iterum reſtituti excurrit, illamque ex fragmentis marmorum, in via Oſtienſi effoſſorum, quibus Arvalium Fratrum ſacra deſcribuntur, mirifice ſupplet. Prima reſtitutio quibus auſpiciis & cærimoniis ſuſcepta fuerit primo Veſpaſiani anno, ipſo tum abſente, Tacitus dicto jam loco narrat: quem præſentem fuiſſe Suetonius tradit; quæ, quantumcunque pugnare inter ſe Lipſio videntur, noſter Auctor breviter pag. 94 conciliat. Hæc ergo prima reſtitutio, primo circiter Veſpaſiani anno facta, poſtquam paullo ante Vitelliano bello Capitolium conflagraverat. Altera eſt in marmore jam dicto, quæ ad Titum filium

pertinet, quod ex *Titi* præpoſito nomine probatur, nuſquam patri in antiquis monumentis attributo: dein ex eo, quod prioris auſpicia, Tacito teſte, facta ſunt XI Kal. Julias; hujus VII Idus Decembres, ut in ſaxo eſt Arvalium. Vix enim mortuo Veſpaſiano, iterum arx illa terrarum orbis incendio abſumta, ut Plutarchus in Publicola omnem rem plenius recenſet, Titi autem nullam mentionem facit; quod Auctor ex hoc marmore ſuppleri jubet, quia is quoque adgreſſus ſit Capitolii reſtitutionem, fato autem præventus conſummandam fratri Domitiano reliquerit. Deinde ex alio ejusdem tabulæ fragmento Conſules ejus anni, corrupte ab aliis nominatos, veris nominibus reponit: & Deam *Diam*, ibidem memoratam, ex ſacrificiorum genere Junonem interpretatur, quamvis Opin Sponius in Miſcellaneis malit, quem deſerit: Fabrettum autem, qui Heben eſſe crediderat, Strabonis auctoritate lib. IIX in Phliunte, excuſat. Tandem Grammaticam adjungit quæſtionem, ſitne v. gr. *ante diem* XVI *Kal. Junias* ipſe dies XVI, an, quod nonnullis viſum eſt, præcedens XV. Auctor eminentiſſimi Cardinalis Noriſii, cui prius in Piſanis Cenotaphiis placet, ſententiæ accedit, quam ex his marmoribus juvat, in quorum altero ſacrificium Deæ Diæ indictum traditur ANTE DIEM XVI KAL. IUNIAS, quod poſtmodum ſine præpoſitione ſimpliciter XVI. KAL. IUNIAS repetitum eſt.

Octavo capite *Procurationem publicorum operum*, quam digreſſio de Capitolii reſtitutione diſtulerat, perſecuturus, diſtinguit eam a cura viarum, aquarum, alvei Tiberini, & ceterorum, idque ex Auguſti inſtitutione apud Suetonium cap. 37, & teſtimonio lapidum. De cura collocandi ſtatuas, quamvis ſeparata & illa fuerit, ſtatuarum procuratoribus commiſſa, locum tamen, quo ponendæ eſſent ſtatuæ, per curatorem operum publicorum deſignatum eſſe, ex veteri inſcriptione obſervat, quæ quod in Gruteri Opere, & Faſtis Panvinii pravata eſt, integram ex Mabillonii Analectis profert: in qua quod *temporum Cæſarianorum* occurrit mentio, ad illa definienda novam digreſſionem facit. Scaligerum trium annorum prochroniſmi accuſat, qui epochæ Antiochenæ alliget, quod eum ex Alexandrino Chronico, ut vulgo appellatur, ſeu Siculis Faſtis hauſiſſe conjicit. Summum Virum, H. Noriſium iterum laudat, qui ex nummis Antiochenam æram integro anno priorem Pharſalico prœlio, a quo Cæſaris

Cæſaris tempora incipiunt, conſtituat. Deinde cum Antonio Pagi agit, qui verum quidem initium annorum Cæſaris poſuerit, at in computandis annis, in lapide illo expreſſis, uno anno aberret. Miſſis tandem chronologicis tricis, ad Opera publica regreſſus, illis Principis nomen inſcriptum fuiſſe, non Curatoris, niſi ſua pecunia extruxiſſet, oſtendit: artificibus autem minus in adſcribendo nomine licuiſſe, exceptis paucis, quæ memorantur pag. 120.

Nono capite *Præpoſituram Vexillationum*, quæ in lapide Aquilii adjecta eſt, expoſiturus Auctor, de Vexillariis, deſerto Lipſio, in Salmaſii ſententiam concedit, qui tirones & velites in vexilla diſtributos, ita nominatos eſſe cenſuit. Olim tam peditum quam equitum fuiſſe, ex Vegetio demonſtrat: quo tempore *Vexillationes* potius, quam *Vexillarii* dicebantur; iique tam legionum, quam auxiliariorum erant.


Decimo capite inſcriptionis ſiglæ P.P. LEG. XI. CL. FR. explicantur, quas, poſt varias literarum P.P. ſignificationes recenſitas, ampliſſimus Auctor legit *Præpoſito legioni undecimæ Claudiæ Fretenſi.* Præpoſitus autem in militia idem qui Præfectus eſt, id quod exemplis declaratur. Cognomen legionis *Claudiæ* ex Dionis libro LV exponit, quod Scriboniano res novas in Dalmatia moliente, hæc Claudio Cæſari fidelis manſerit: *Fretenſe* autem cognomentum fatetur decimæ in marmoribus, quæ in Hiſpania (forte ad Herculium fretum) diu ſtativa habuerat, unde a Veſpaſiani ducibus excita fuit, ut Tacitus Hiſt. IV. 68 adnotavit, attribui. Non autem dubitandum ait, quin ſequiori ævo etiam aliæ a caſtrorum ſitu *Fretenſes* ſint cognominatæ, undecima præſertim, quæ non ſolum Byzantino freto navali pugna Nigri claſſem vicerit, quo inſcriptionem apud Reineſium refert, LEGIONE XI. PRAELIO NAVALI FACTO &c. verum etiam, uti ex Gallieni nummo monſtrat, Neptuni effigiem & delphini referente, cum inſcriptione LEG. XI. CL. in maritima ora ſtativa tum caſtra habuerit.

Ultimo capite mos cooptandi *patronos*, (quo ſuprema pars inſcriptionis, *Patrono Coloniæ ob merita ejus Antiates publice*, ſpectat) explicatur: ſed eo brevior in illo Auctor eſt, quo præclarius id argumentum laudatiſſimus Noriſius in Cenotaph. Piſanis expoſuerat. Unam inſcriptionem addit, ab eodem etiam maximo Viro ex Gruteri Opere productam, cujus quod Noſtro autographum in ærea tabula inſpicere contigerat, emendatiorem proferre & mu-

neris

neris ſui & operæ pretium putavit eſſe. In qua quod municipium *Civiulimnum* memoratur, de quo aliter Vaillantius, aliter Harduinus, celebres antiquarii, judicarunt; Noſter utrumque ex titulo tabulæ, PROVINCIÆ VAL. BYZA Cenæ confutat, quo æque ruunt urbs illius Numidica, & hujus, quam acriter propugnaverat, Luſitana. Hanc autem inſcriptionem vel ideo repetitam voluit, quia formulam patronum ſuſcipiendi, & hoſpitalitatis teſſeram, patrocinio adnexam, continet. Morem vero id tabulis æneis incidendi, & in patroni domo adſervandi, exemplis probat & illuſtrat. Addit aliud genus patronorum adverſus iniquos tributorum exactores inſtitutum, cui vero quod fraus ſæpe adhæſiſſet, quæ juſta etiam tributa declinaret, in Codice Theod. de Patrociniis vicorum, abrogatum eſſe docet. Hinc ad prioris generis *patronos* redit *patronasque* (nam hunc ſexum etiam a civitatibus cooptatum eſſe, inſcriptionibus antiquis probat) honores a civitate illis habitos oſtendens, qui plerumque ſtatua erant publica, aut aliud inſigne monumentum, quale ab Antiatibus poſitum eſt Aquilio.

Altera pars Monumentorum eſt de *Mithra*, ejusque *tabulis ſymbolicis*, quia ejusmodi nuper tabula apud Antium reperta fuerat, TAB. V. quam & nos hic exhibemus. Primo & ſecundo capite figuræ ex tabulis Mithriacis, tam hac quam aliis, quarum tres ſuæ depictas addit, deſcribuntur, nempe juvenis cum recurva tiara ſive mitra Perſica, & chlamyde in auras fuſa, aut alatus, incumbens bovi, eique vulnus pugione faciens, adſtantibus utrimque pueris, quorum alter erectam facem, depreſſam alter manibus tenet, accedentibus ad bovem quadruplicis generis animalibus, cane, angue, cancro vel ſcorpio, cum pari volitantium. Addita Solis eſt effigies vel capite ſolo conſpicui, vel quadrigis vecti, cum Luna ex oppoſito, quam in Antiatina tabula pars lapidis fracta abſtulit. Variant quidem nonnihil inter ſe Mithriacæ tabulæ, tam ab Auctore noſtro productæ, quam tres aliæ, quas CL. V. Jacobus Gronovius Leonardi Auguſtini libro de Gemmis & Sculpturis adjecit, & nuper quoque in Hiſtoria Religionis veterum Perſarum celeberrimus Thomas Hyde repræſentavit, quarta inſuper addita, quæ ſymbolorum varietate reliquas omnes vincit: in plerisque autem conveniunt, niſi quod in Antiatina, recens inventa, culter Mithræ deeſt; quamvis nec manus ibi dextra, qua teneat illum, illæſa ac integra



gra videatur: in Burgheſiana pag. 160 fax utraque erecta eſt, ſecus ac in ceteris, quod poteſt ex artificis errore eſſe. Mithres autem vel Mithra conſenſu omnium Sol eſt, hoc nomine primum a Perſis, deinde ab aliis gentibus ſevera religione cultus. Quæ obverti huic plurimorum opinioni poſſint, ab Auctore perdocta diſcuſſione examinantur; etiam cur *Invictus* Mithra in marmoribus vocetur, præeunte Reineſio explicatur. Hinc ad interpretationem ſymbolorum cap. III & IV proceditur, quorum doctiſſimas explicationes nobis brevi ſumma proferre liceat. Mithræ fuſa chlamys, aut ejus loco alæ (quæ etiam in tertia Gronovii viſuntur) Solaris curſus celeritatem indicant. Taurus ſub antro a Mithra preſſus Lunam propter cornua ſignificat, ex cujus cum Sole pugna eſt latens & occulta (quaſi in antro) generatio omnium. Puerorum faces, erecta & inverſa, diei & noctis ſunt ſymbola; unde in alia tabula Solis & Lunæ ſigna ſuprapoſita conſpiciuntur. Scorpius tauri genitalibus adrepens, anni tempus, quo deſinit vis generandi, deſignat, ſicut Sole in Tauro exiſtente illa incipit & viget. Et cetera animalia, in tabulis expreſſa, ad Solem referuntur, auctorem generationis animantium.

Capite V ſacra Mithræ in antro ſub variis figuris animalium celebrata enarrantur, a quorum portentoſis ſimulacris ipſi initiati ſecundum genera diſtinguebantur, ut Corvi alii, alii Leones, rurſus alii Gryphii aut aliter appellarentur; quod ex Hieronymo, Tertulliano, Porphyrio, & antiqua inſcriptione demonſtratur. Quid? quod etiam Chriſtianorum myſteriis aliquid ſimile vel æmulum ibidem deprehenſum eſſe, Tertulliani & Auguſtini teſtimoniis docetur. Dura autem & gravia initiandis per LXXX dies, quos Gradus dixere, nec ſine ſanguine & vulneribus, injungebantur, poſt quorum demum tolerantiam fuerunt initiati. Capite VI *Natalis Invicti*, id eſt Mithræ, proponitur, in veteri Romano Calendario VIII Kalend. Januar. adſcriptus, quia eo tempore Sol renaſci putatur, bruma ſuperata. Eodem die Chriſtiani Natalitia Servatoris ſui celebrant. Unde quæſtio ſuborta, an nativitas Chriſti in natalem Mithræ ſit tranſlata? Negat Auctor noſter, quia ab initio Eccleſiæ Romani VIII Kal. Januar. Natalitiorum feſtum diem celebraverint, & Diabolo auctore putat factum, ut Mithræ turpiſſima ſacra in diem hunc Chriſtianis ſacroſanctum transferrentur. Contra Joannes Harduinus contendit an-

te Chryſoſtomi tempora nulli certo diei natalem Chriſti adfixum fuiſſe. Reſpondet Noſter, excuſſis verbis ſancti Patris ex Serm. 33 Tom. V, in Orientali quidem Eccleſia diu incertum illum diem fuiſſe, non autem in Occidentali, quam ipſe *a Thracia ad Gades uſque* ibidem definiat; in qua natalem Chriſti eodem die, quo tum Orientalis ſuſceperat, hoc eſt IIX Kal. Januar. *a primordio & ex antiqua traditione* cultum eſſe fateatur. Addit alia teſtimonia veterum, in quibus & illud Auguſtini eſt de Trinit. lib. IV c. 5, *a Majoribus* ita traditum fuiſſe. Quæ objicit Harduinus de vigiliis paſtorum, & ex Talmude comprobare ſtudet (locis ex Lightfooti Horis Hebr. ſine mentione auctoris petitis) ad ea etiam reſpondetur pag. 233 ſeq.

Ultimo capite cum loca & ſedes Mithræ ſacrorum, tum tempus & duratio illorum perquiruntur. Ex Oriente in Italiam delata, ſub Cæſaribus maxime fuerunt exculta, nec lapides, illorum indices aut teſtes, inveniuntur antiquiores. Plutarchus in Publicola, piratico Pompeji bello primum Romanis peregrina hæc ſacra audita fuiſſe refert. In Italia autem, quantum ex monumentis repertis conſtat, colebantur Cumis, Antii, Urbevetana Etruriæ regione, ac Mediolani. Inde in provincias, Galliam, Pannoniam, Noricum, Daciam provecta, in ſingulis veſtigia, quæ in ſaxis exſtant literatis, reliquerunt, a Grutero, Sponio, etiam Noſtro adnotata. Everſa tandem & ſublata hæc impia ſacra ſunt Romæ, aut ſuburbano agro, a Graccho Urbi præfecto, teſtante Hieronymo epiſt. VII ad Lætam; quo & Prudentius adverſus Symmachum lib. I adludit. Sed quo anno? Baronius erraſſe Hieronymum putat ſcribendo, *cum præfecturam gereret urbanam*; quia, quod ex Lege un. C. Th. *Ne in ſua cauſſa quis*, conſtet, Prætorii præfectus Gracchus, non Urbis, exſtitiſſet. Sed emendavit Gothofredus, & *Urbis* præfectum reſtituit. Lex vero illa ad Gracchum præf. Urb. data eſt Valente V, & Valentiniano juniore Conſulibus, qui annum abrogatæ Mithriacæ impietatis definiunt.

Hæc ex inſtituto Auctor pro explicandis Antiatium, quæ nuper detecta ſunt, monumentis. Quæ ſequuntur, amore patriæ adjecit de Diis Carnorum, & Colonia Forojulienſi. Prioris diſſertationis argumentum præcipuum municipalis Aquilejenſium Deus *Belenus* eſt, a Capitolino in Maximinis memoratus, quem Herodianus *Belin* vocat

vocat curtato nomine, bene autem Apollinem interpretatur, quod Capitolinus quoque innuit, cum Maximini milites jactaſſe refert, *Apollinem contra ſe pugnaviſſe*. Hinc plures inſcriptiones APOLLINI BELENO: & quædam BELENO AUG. quod cognomen Sponius de cura ſalutis Auguſtorum, huic Numini commendata, explicat: Reineſius in Principum adulationem putat additum, quod etiam Auctori noſtro placet, qui vero in FONTIS BELENI interpretatione a doctiſſimo hoc viro recedit. Nec vero in Carnis ſolum, ſed in Norico etiam & in Gallia id Numen cultum, ex Tertulliano & Auſonio probat. De origine vocis diſſentit ab iis, qui a Belo, Orientalium Deo, deducant. Quamvis enim Sol ille Belus videatur eſſe, & Sol ac Apollo idem vulgo cenſeatur; tamen id in Phyſica tantummodo interpretatione valere, non in mythica theologia, ubi Sol ab Apolline diſtinguatur; quod multis documentis declarat. Scite ergo hariolatur (nec enim pro certo prodit) ab *Heleno* forſan, Trojano vate, in Epirum cum Græcis translato, vocabulum *Belenus* eſſe, adſpiratione, ut ſæpe factum, in *V* mutata, & hoc deinde in *B*, vicinum elementum. Ex illa forte ſocietate Antenorem, & Henetos Paphlagoniæ, ad Hadriatici maris oram, quæ ſub Alpibus eſt, delatos, in regionem illam id Numinis invexiſſe. Vatem enim, propter divinandi artem, Apollinem creditum, ut inde eſſe videatur, quod Belenum dixerint Apollinem. Addit Apollinis *Carnii* vel *Carnei* cognomen apud Callimachum & Pauſaniam, a quo conjici poſſit Carnorum, ſubalpinæ gentis, nomen manaſſe, & forte etiam Carnutum Gallorum. De aliis Diis Aquilejenſium & circumjacentium populorum, *Brontonte*, *Fonione*, *Bona Pagana* &c. minus celebratis, ex antiquis inſcriptionibus quæ haberi poſſunt, adjecit.

Tandem de *Foro Julio*, patria ſua, quæ collegerat, Auctor adjungit, cujus nomen ab Julio Cæſare ducit, qui cum utriusque Galliæ proconſul eſſet, & quotannis in Ciſalpinam hiberno tempore ad jus dicendum proficiſceretur, hoc loco *forum* egiſſe videatur, & conventum habuiſſe juridicum. Eundem, cum Transpadanis jus civitatis daret, ut Dio lib. XLI refert, Carnis quoque & Forojulienſibus dediſſe cenſet. Coloniam Ptolemæus vocat, & coloniarum magiſtratus varios inſcriptiones produnt lapidum: ſed quando illa deducta ſit, certo haud liquet. Probabile autem, poſt Triumvirorum victo-

Digitized by Google

victoriam, ut in alias Transpadanas urbes, de quo Virgilius conqueſtus eſt, in Forum quoque Julium militarem coloniam deductam eſſe. Quod præterea in Carnorum gente coloniæ duæ fuerunt, Aquileja & Concordia; in utriusque deſcriptionem excurſum Auctor facit, & Concordienſis originem ac nomen ingenioſe ex Triumvirali fœdere p. 345 ſeq. deducit. Sed rurſus ad Forum Julium reverſus, miratur raram ejusdem apud antiquos ſcriptores mentionem, Plinio quaſi in tranſitu *Forojulienſes* ſalutante, ſolo Ptolemæo laudante coloniam. Cauſſam ſuſpicatur ex eo eſſe, quod Aquilejæ ſplendor obſcurarit Forum Julium, ut minor ejus ratio haberetur. Aquileja vero exciſa illud Forum Julii provinciæ caput factum eſſe, Paulus ille rerum Longobardicarum Scriptor, & ipſe civis Forojulienſis, prodidit. In qua dignitate diu ſtetit, etiam Patriarchæ ſedem præbuit, usque dum Utinum, vicina civitas, præmineret. Quod vero Utinenſes quidam vetus Forum Julium non in Cividal di Friuli, ſed in ſua urbe Utino inveniri putant, illorum argumenta excutit Noſter & configit, ac inſcriptionem, qua nituntur, malæ fidei & ſuppoſitam eſſe evincit ita, ut Utinenſis civitatis dignitati ac ſplendori nihil velit deminutum aut detractum.

ΤΑΤΙΑΝΟΥ ΠΡΟΣ ΕΛΛΗΝΑΣ. ΕΡΜΙΟΥ ΔΙΑΣΥΡ-*μὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων.*

Hoc eſt:

TATIANI ORATIO AD GRÆCOS. HERMIÆ IRRIſio Gentilium Philoſophorum. Recenſuit WILHELMUS WORT, A.M.
Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, A. 1700. 8.
Conſtat plagulis dimidiatis 39.

CÆteros Apologiſtas Græcos æque ac Latinos non ſine magna pompa & apparatu annotationum prodiiſſe omnes, unum vero Tatianum, reliquis nihilo inferiorem, haud dum reperiſſe, qui ſordes ſitumque ejus ſatis abſtergeret, ipſumque priſtino nitori reſtitueret, admodum miratus Autor eruditiſſimus, iſtam illuſtrandi, emaculandi, typisque Academicis denuo divulgandi provinciam eo lubentius

Digitized by Google

tius in ſe ſuſcepit, quo plus laboris in hac oratione Tatiani (quam A.C. 168 ſcriptam autumat,) cum excuſis aliquibus & manuſcriptis exemplaribus conferenda jam ante inſumſerat.

Primus omnium eandem luce olim donavit Joannes Friſius, qui exemplar manu exaratum nactus fuerat Venetiis, cui inſuper ad oram adſcriptas cognoverat alterius cujusdam Manuſcripti Lectiones variantes. Cum vero exemplar iſtud ſuum communicaſſet cum cive ſuo Conrado Geſnero, & perlecta hic Oratione ex ingenio ſuo conjecturas atque emendationes aliquot margini illeviſſet, editionem primam ad exemplaris hujus ita aucti fidem adornavit Tiguri A. 1546 Friſius, ſed Græcam ſolum, cui eodem anno comitem Latinam dedit Geſnerus una cum prolixis annotationibus. Poſtea haud ſemel inter Orthodoxographa Græce & Latine, ſed absque Geſneri notis, opuſculum hoc prodiit. Ad calcem præterea operum Juſtini, una cum opuſculis Athenagoræ, Theophili Antiocheni aliorumque, illud conjecerunt Pariſienſes A. 1615. Novem poſt annos eidem cum aliis multis in Bibliotheca Patrum edito notas ſuas pereruditas adtexuit Fronto Ducæus. Chriſtianus denique Kortholtus in Commentario ſuo Orationem hanc, inter alia primorum Patrum ſcripta, obſervationibus quibusdam locupletavit.

Ex his editionibus Tigurinæ imprimis præ cæteris rationem ſe habuiſſe dicit Autor, ſed tamen poſt collatas inter ſe ſumma cum diligentia primarias editiones reliquas, poſt expenſum accurate textum univerſum, lectaque plurima ſeu veterum ſeu recentiorum ſcripta, quæ illuſtrandæ huic Orationi quoquo modo inſervire viderentur, ſe inſpexiſſe quoque codicum manuſcriptorum trium Lectiones variantes aſſerit, quorum duos ſuppeditarit Bibliotheca Regia Pariſienſis, tertiumque Collegii Ætonæ Præſidis, Henrici Godolphin, ſingularis humanitas. Primum membranaceum appellat, ante annos, quod credatur, ſexcentos exaratum, cui ad oram hinc inde eruditi cujusdam Græci ſcholia adſperſa fuerint. Secundum chartaceum ſub Henrico II Galliarum Rege ſcriptum, & in margine alia manu paſſim emendatum fuiſſe teſtatur. Tertium apographum vocat tranſſcriptum A. 1534. Quibus ita præſidiis inſtructus ad editionem operis ſe paravit, & cum ſumma ipſi eſſet cura de textu Tatiani, tum nihil, quantum quidem liceret, præterire voluit eorum, quæ Viri docti ſive ex profeſ-

ſo, ſive etiam obiter in hanc Orationem annotaſſent. Hinc Geſneri verſionem paucis, quoad neceſſe erat, immutatam, integrasque ipſius annotationes dedit, uti & Frontonis Ducæi ac Kortholti, cumque loca quædam Tatiani (quibus eclogarum titulum dedit,) notis illuſtraſſet A. 1592 Henricus Stephanus, has itidem appoſuit. Singula porro, quæ a Viris doctis in hunc Autorem annotata reperit, collegit & ſuis quæque locis diſpoſuit. Ne quid etiam ad lucem, cultum aut ornatum Autoris deeſſe videretur, his omnibus adjiciendam curavit Tatiani ſententiam de Filii τῷ συναιδίῳ a Clariſſimo Viro G. Bullo erudite explicatam, egregiamque Nicolai Le Nourry diſſertationem in Tatiani Aſſyrii opera, quæ inter alias ejus Diſſertationes de ſcriptoribus ſecundi Eccleſiæ ſeculi, ſuo loco a nobis recenſitas, Lutetiæ prodiit.

Quinimo & novam plane in Tatianum Diſſertationem nondum hactenus editam in apricum producit, cujus autorem Virum vocat in hoc literarum genere incomparabilem, qui tamen ignorari quam nominari malit. Ejus itaque contenta paucis retuliſſe, e re fortaſſis Lectorum fuerit. Tatianum nempe Ethnicorum primo diſciplinis inſtitutum fuiſſe, multisque ſtudiorum artium ac literarum ergo peragratis regionibus, Romam perveniſſe dicit anonymus, ubi aliquandiu commoratus Ethnicam doctrinam contemſerit ac penitus abjecerit, & ad Chriſtianam animum applicuerit. In Chriſtianorum ergo cœtum Romæ admiſſus, in familiaritatem veniſſe dicitur celeberrimi illius Philoſophi, Juſtini, cui ſe diſcipulum præbuerit, imo & adjutorem in redarguendis & convincendis ementitis illis Sapientibus, quos inter Coryphæum velut egerit Creſcens Cynicus, cujus calumniis & artibus Juſtinus ſuppliciis affectus, ac Tatiano periculum intentatum fuerit; quanquam iſtud hic feliciter declinarit, Romaque poſt Magiſtri mortem diſcedens in Græciam ſe contulerit. Cum vero per id temporis Chriſtiani acerbiſſima vexatione jactarentur in quibusdam Romani Imperii provinciis & in Græcia ipſa, adverſarii Tatiani Græci animum ejus a religione, quam nuper ſuſceperat, minis atque metu deterrere potius quam perſuadendo avocare moliti, oppoſuerunt ipſi formidines & crudelis mortis pericula, atque ut ſaltem apta ad tempus ſimulatione pœnam ſubterfugeret, inſtigarunt: ſed irrito prorſus cum conatu; unde hactenus bene laudabiliterque geſſit Tatianus omnia. Verum ubi ad opuſculum hoc ejus contra Græcos

Ano-

Anonymus eruditiſſimus deſcendit,adverſariorum quidem in eo mucronem belle retuſum fuiſſe innuit, attamen & ibi nigræ loliginis ſuccum ſimul æruginemque meram deprehendi queritur. Nam errores, quos Tatianus noſter e Gnoſticorum penu depromptos jamdudum animo inſeverit, attamen ante Juſtini mortem propter Magiſtri ſui reverentiam diſſimulaverit, aperte ipſum heic defendere, de Chriſtiana doctrina interpolanda eum cogitaſſe, adſutis profanæ philoſophiæ pannis; qua in re Saturninum, Valentium & Marcionem, Gnoſticorum primipilos, imitandos ſibi ſumſerit. Singularis ſectæ parentem ipſum voluiſſe fieri, qualis & omnino evaſerit, cum ab eo Tatianiſtarum, qui Encratitæ dicti, hæreſis originem indepta ſit. Commenta itaque perniciosarum, pravarum, falſarumque ejus opinionum latius recenſet Anonymus, deque Evangelio imprimis, quod e quatuor Evangeliorum libris ille conflavit, & cui nomen διὰ τεσσάρων indidit, prolixe diſſerit.

Nondum vero hæc doctiſſimi Worthi Collectanea in juſtam libri molem excreverant, indeque de alio aliquo ſcriptore conſuluit, quem Tatiano comitem adjungeret. Occurrit ipſi Hermias, in eodem fere, quo Tatianus, argumento verſatus, Autor elegans, lepidus, &c, ut Eruditis quibusdam videtur, etiam pervetuſtus. Sed de hoc ſe nihil explorati habere, dicit Noſter, plurimum tamen ſe vereri addit, ne affectatæ iſtæ, quibus ſcatet, argutiæ ſapiant recentius aliquod ſeculum. Dedit vero hunc Gentilium Philoſophorum Διασυρμὸν ab Hermia conceptum ex manuſcripto codice celeberrimi Viri, Thomæ Galę, quem unum ſe impetrare potuiſſe profitetur, obſervationesque Poſſeſſoris eruditiſſimas ſimul annexuit; quanquam nec proprias in Hermiam non minus atque Tatianum omiſerit, in quibus ſe id egiſſe ait unice, ut locis, quæ ab aliis vel haud ſatis explicata videbantur, vel ſicco etiam pede præterita fuerant, lucem aliquam affunderet.

MEMOIRS &c.
id eſt:
COMMENTARII HISTORICI RERUM NOTABILIORUM ſeculo, quod rerum converſionem anni 1688 præceſſit, in Anglia geſtarum,

Auto-

Autore JACOBO WELWOOD *M. D. Archiatro Regio & Collegii Phyſicorum Londinenſis Socio. Editio ſecunda.*

Londini apud Tim. Goodwin, A. 1700. 8. Alph. 1. pl. 4.

EN alteram Commentariorum horum editionem, eo nobis tacendam minus, quo priori, quæ ad nos non pervenit, correctior prodit, quoque plura libellus ipſe continet notatu digna. Hiſtoriam orditur Auctor ab Eliſabetha, cujus imprimis laudat eruditionem in Philoſophia, Hiſtoria, Theologia, Oratoria, tum vero ſcientiam linguarum, ſigillatim Latinæ, Gallicæ, Italicæ, quas annos nata ſeptendecim pulcre calluerit, Græcæ præterea linguæ adeo gnara, ut duas Iſocratis orationes privato ſtudio in Latinum ſermonem converterit. Cum & Mariam e vivis exceſſiſſe, & ſe proclamari Reginam audiviſſet, in genua procubuiſſe dicitur, additis verbis Pſalmiſtæ: *a Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris;* quibus deinde verbis aureos quosdam nummos ſuos conſignavit. Admota primum ſceptro Regina, ſingulari prudentia de miniſtris idoneis ſibi proſpexit, quos inter Walſinghamum imprimis extollit Noſter. Is ut fideles paſſim haberet exploratores, nullis fertur ſumptibus peperciſſe. Quibus artibus factum eſt, ut & Hiſpanorum conatus in ventos abiret, & Jacobus Scotiæ Rex commodis Angliæ omnino implicaretur. At quam ſuam rem familiarem poſthabuerit publicæ, ejus potiſſimum morte patuit. Nam æris alieni poſt ſe tantum reliquit, ut eſſet ſine ulla pompa efferendus nocte obſcura, ne, cum vivo non potuiſſent, mortuo manum injicerent creditores. Ceterum quod ad Eliſabetham, eam laude, ſi ſupplicium forte Mariæ excipias, digniſſimam fuiſſe, ne quidem ipſe ejus ſucceſſor Jacobus I diſſimulavit; quandoquidem dicere conſuevit, Principes ab Auguſti ætate ſapientia & felicitate ab Eliſabetha omnes vinci. Is quidem Jacobus nulla re magis quam Theologiæ ſtudio inclaruit, quippe de dignitate Epiſcopali in conventu Hamptoncurienſi tanto cum applauſu diſſeruit, ut Archiepiſcopus Whitgiftus ſe plane perſuaſum diceret Regem Divino Spiritu impulſum iſta loqui. Jam de conſpirationis pulverariæ veritate dubium quidem nullum relinquit Auctor, at nec diſſimulat tamen, litteras Montaquileo in platea traditas, quæ ejus aperiendæ occaſio-

caſionem dedere, ab ipſo Rege fuiſſe ſubornatas, quandoquidem de ea re clam monitus ante ab Henrico IV fuerit, quem ideo quod ſecretum prodidiſſet, a perditiſſimo Ravillaco Catholicorum inſtinctu fuiſſe interemptum, non abſimile a veritate videtur Auctori. Multo plura de Carolo I habet, neque quidquam ex iis omittit facile, quæ crudele ejus ſupplicium videntur maturaſſe. Prædictum vero hoc mortis genus fuiſſe Carolo ab iis affirmat, qui ex Phyſiognomiæ regulis judicium tulerunt. Artem pictoriam & ſculptoriam, architecturam item & numiſmatum ſcientiam probe dicitur habuiſſe perſpectas; Theologiæ ſcientia Patri neutiquam conceſſiſſe, ſtyli elegantia viciſſe illum. Vix aliunde conſtat, quod de Scotorum bello altero contra Carolum eorumque in Angliam invaſione, quæ in annum 1640 incidit, refert Noſter, eo minus hoc loco prætermittendum, quo magis illud ſummo Principi fuit exitio. Nam cum priori bello arma extra Scotiam proferre auſi non fuiſſent, mirum videri unicuique poterat, eos id auſos ſecundo. Nempe quoniam timebant Angli, ne ſi Scoti ſua ope a Rege ſub jugum mitterentur, hoc ſibi ipſis fraudi eſſet, ideo & voluntas procerum in Parliamento a bello illo alienior erat, quod protinus ſignificatum Scotis fuit, & quod potiſſimum eſt, ad Scotorum fines acceſſit nobilis quidam Anglus, traditisque Comiti de Rothes ſpuriis litteris (nam duodecim nobilium nomina adulterina manu ſubſcripta fuerant,) quantis Anglorum votis expeteretur Scotorum exercitus, ſignificavit. Quæ fraus tametſi poſt pacemRipponenſem patuit, interea tamen non caruit ſucceſſu, Scotis illico expeditionem Anglicam decernentibus. Porro cum in Anglorum manus Rex perveniſſet, maturatum vel ideo Auctori dicitur ejus ſupplicium, quoniam timebant adverſarii, ne Rex, quod ſemel iterumque minatus erat, abdicata majeſtate, Regnum ad filios deferret. Ac forſan id quoque memoratu dignum, quod flagrante civili odio, Oxonii aliquando Bibliothecam Bodlejanam inviſens Carolus, conſpecto elegantiſſimo Virgilii codice ſortium Virgilianarum (quarum eo tempore vulgatus uſus) periculum ſuaſore Falcklandio fecerit. Incidit vero in ea verba, quibus Dido male precatur Æneæ, L. IV Æn. v. 615 ſeq.

At bello audacis populi vexatus & armis
Finibus extorris &c.

Nec felicior Falcklandius fuit, Evandri quippe verbis, quibus Pallan-

tis immaturum fatum flevit, omine haud proſpero repertis, L. XI Æn. v. 152. ſequ.

> Non hæc, o Palla, dederas promiſſa parenti,
> Cautius ut ſævo velles te credere Marti &c.

Cromwellii deinde characterem affabre depingit Auctor, viri prudentiſſimi, de quo Mazarinus dicere conſueverit, quod ne quidem Diabolum æque ac Cromwellium formidaret. Securitati ſuæ, quoad potuit, modis omnibus proſpexit. Nam ex quo tempore Protectoris nomen obtinuit, loricam ſub veſte texit & pugionem, nec cuiquam tuto fidit. Exploratores fovit magno ſumptu paſſim, quod illi tum quoque profuit, cum Dunquerkam una cum Gallis obſidione cingeret, quam Galli in Anglorum futuram poteſtate promiſerant. Nam cum fidem ſoluturos comperiſſet, minabatur, ni traderent urbem, claves Dunquerkæ ad Pariſiorum mœnia ſe poſtulaturum. Quamobrem & fidem datam ſemel ſollicite ſervavit Mazarinus, & Manzinum nepotem cum ſplendida legatione & litteris humaniſſimis in Angliam miſit. In Carolo II. obſervat Auctor, quantum Monkio, ut Regnum ipſi tandem reſtitueretur, debuerit. Quippe fuit illa eo admiratione dignior reſtauratio, quo minus externæ opis a Gallis Hiſpaniſque (quorum pacis tractatui ad Pyreneos montes ſine ullo emolumento interfuerat Carolus,) poterat ſperare. Quæ vero de rebus ſub hoc Rege in Anglia geſtis, maxime iis, quæ religionem ſpectant, habet Auctor, ex ipſo commodius hauriuntur. Ceterum veneno eum e medio fuiſſe ſublatum, non unam ob cauſam ſuſpicatur, eo imprimis tempore, quo Monmuthium ab exilio revocare, & Eboracenſem, ad quem omnes ceu ad orientem Solem convertebantur, a ſe dimittere ſtatuerat. In ejusdem charactere deſcribendo prolixus eſt admodum Noſter, Carolumque, ut alia taceamus, parem in ſcientia rei navalis habuiſſe neminem, Tiberio vero Cæſari non modo facie, quantum ex ſtatuis ejus appareat, ſed & plerisque aliis rebus ſimilimum fuiſſe aſſerit. Multa quoque habet de Monmuthio non admodum vulgaria, quæ ex ipſius pugillaribus & litteris nonnullis excerpſit. Tandem neque prætermittit quicquam, quod ad Jacobi II hiſtoriam ſpectat, atque eo usque factorum ſeriem deducit, donec Wilhelmus, cujus initia & bellum imprimis cum Gallis A. 1672 ſeq. geſtum deſcribit, afflictis Angliæ rebus ſubvenit.

Appen-

Digitized by Google

Appendicis loco Auctor ſermones in Parliamentis habitos, litteras item ſecretiores aliaque non ubivis obvia monumenta, quæ ad hanc ipſam hiſtoriam ſpectant, ne curioſitatem Lectoris morarentur, in unum faſciculum collegit; quod vel verbo ſignificaſſe, ex inſtituto noſtro ſatis eſt.

MICHAELIS BERNARDI VALENTINI, MED. PROF. Pandectæ Medico-Legales; ſive Reſponſa Medico-Forenſia, ex archivis Academiarum celebriorum ſcriptisque probatiſſimorum Medicorum deprompta, ac Latinitate donata. Accedunt Ejusdem Declamationes Panegyricæ, Polychreſta Exotica, & Diſſertationes Epiſtolicæ.

Francofurti ad Mœnum ſumpt. Joh. Adami Jungii, 1701, in 4to.
Conſtat 10 Alphab. & 10 plag.

JUreconſultorum exemplum, qui Deciſa & Reſponſa Prudentum quondam in Pandectas ſeu Digeſta collegerunt, ſecutus Author Clariſſimus, præſentem in lucem emittit tractatum. Quemadmodum enim Collectanea iſta Juridica eam ob cauſam dubio procul Pandectæ vocantur, quod, ſi non omnium, plerarumque tamen in foro occurrentium quæſtionum, quæ opera Senatorum, & magnorum Conſiliariorum ab Imperatoribus ad cauſas decidendas deputatorum reſolutæ fuerunt, ſyllogen & conſpectum præbeant: ita eodem, ſi non majori, jure integrarum, quas vocant, Facultatū, Conſiſtoriorum & Collegiorum Theologicorum, Juridicorum, ac Medicorum celeberrimorum Reſponſa Medico-Legalia, in unum quaſi faſciciculum collecta *Pandectarum* nomine inſignire non dubitat Noſter, cum, ſi non omnes, certe pleraſque in foro occurrentes quæſtiones Medico-Legales in actu, quem vocant, exercito ſiſtat. Imo ſi has ipſas *Digeſtorum* titulo appellare velis, non repugnat, quia non indiſtinctum aut confuſum chaos, ſed quæ alibi ſparſim aut ſigillatim, ſive in ſcriniis Medicorum ſive in ſcriptis Sapientum latuere, ordine in Academiis recepto propoſita in hoc libro inveniantur. Scilicet in duas partes diſpeſcuntur hæ Pandectæ, quarum prior 7 ſectionibus conſtans, Reſponſa Phyſiologica, Pathologica, Semiologica, Thera-

 peutica,

peutica, Diætetica, Pharmaceutica & Chirurgica Forenſia ſeorſim exhibet; altera pars in totidem ſectiones diſtincta, Deciſa circa vulnerum inſpectionem, capitis, pectoris, abdominis, artuum, & vaſorum vulnera, ut & infanticidia continet. In Reſponſis igitur Phyſiologicis difficultates, quæ circa vitam, ſanitatem, & exinde profluentes functiones œconomiam animalem, ut loquuntur, conſtituentes, ſe offerunt, expenduntur. In Pathologicis morborum, cauſarum morbificarum, eorumque ſymptomatum, tum præſentia, tum natura & efficacia examinatur. In Semioticis Reſponſa leguntur tum diagnoſtica, morbos tam ſimulatos quam diſſimulatos, ut & illos, qui a faſcino & veneficio orti putantur, patefacientia, tum prognoſtica de eventu morborum matrimonio obicem ponentium, & læſionum externarum judicantia. In Therapeuticis quæſtiones circa perſonas praxin exercentes, & modum curandi, item prophylactica ob incidentem morbum epidemicum & peſtilentialem ordinanda, & ſoſtrum Medico denegatum procurandum deciduntur. In Diæteticis Conſilia rationem victus, habitationis, & cibi potusve intoxicationem reſpicientia communicantur. In Pharmaceuticis Reſponſa de Pharmacopolis, num ſcilicet hi juramento ſint adſtringendi, praxin Medicam exercendi & medicamenta noxia clanculum divendendi jus habeant, erroris a miniſtris commiſſi rei ſint, & pharmacopoliorum viſitationes, remediorum taxationes, qualitates, præparationes & effectus concernentia exhibentur. In Chirurgicis denique expenditur, in quantum praxin Medicam circa morbum Gallicum potiſſimum exercere Chirurgis & Balneatoribus conceſſum ſit, quomodo eorum ut & obſtetricum errores ſint examinandi & puniendi, & quid de herniotomis vulgaribus & caſtratoribus ſit habendum. De parte ſecunda plura referre ſupervacaneum videtur, cum ſingulæ ſectiones caſus ſpeciales complectantur. Quæ vero hoc ipſo in opere deſiderantur, illa *Novellæ Medico-Forenſes*, quas nunc Author experientiſſimus colligit compenſabunt. Deprompſit autem indefeſſus Author Reſponſa & Conſilia, partim ex Facultatibus Academiarum per totam Germaniam celeberrimarum, Gieſſena puta. Lipſienſi Wittebergenſi, Jenenſi, Hallenſi, Helmſtadienſi, Erffurtenſi, Heidelbergenſi, Rintelienſi &c. partim ex libris typis impreſſis, ut Dedekennii Conſiliis Theol. D. Simonis de Impotentia Conjugali, Finkelthuſii Obſerv.
poſt-

poſthumis, Richteri Deciſionibus, Bened. Carpzovii Jurisprud. Conſiſt. Lentilii Miſcell. Medico-Pract. Timæi von Güldenklee Reſponſis, Ammani Praxi vulnerum lethalium, & Medicina Critica &c, ut privatos taceamus Doctores, quorum Conſilia ſunt adjuncta.

Ad Declamationum Panegyricarum Decadem, quas Author in ſolennibus Actibus Academicis Gieſſæ Haſſorum habuit, quod attinet, ſumma illarum capita recenſuiſſe ſufficiet. Agit ſc. I. de Medico Phyſico, II. de Legibus Artis & Naturæ, III. de Periodis morborum, IV. de Faſtidiis Rectorum, V. de Medicina Illegali, VI. de Eligendo Novo Rectore, VII. de Haſſiæ Literatæ Fatis, VIII. de Ortu & Progreſſu Philoſophiæ, IX. In Obitum B. D. Schefferi, & X. in Obitum B. D. Almacheri habita eſt.

Tandem de Polychreſtis Exoticis & Diſſertationibus Epiſtolicis Noſtri adjectis nihil attinet dicere, ſiquidem ea ſeorſim tum divulgata, menſe Jan. anni current. p. 29 prolixius jam recenſuimus.

FERDINANDI CHRISTOPHORI HARPRECHTI JCti, in alma Tubinga Anteceſſoris, Conſiliarii Würtenbergici & in Summo Juſtitiæ Tribunali Aſſeſſoris, Reſponſa Juris Criminalia & Civilia, præcipuam partem nomine Inclytæ Facultatis Juridicæ conſcripta.

Tubingæ, apud Aug. Mezlerum, 1701. in fol. 3. alphab. 6. plag.

ILluſtrem Autorem, de Jure dubitantes Conſiliis ſuis inſtruentem, hactenus aliquoties in Actis noſtris ſtitimus; nunc idem Reſpondendo bene mereri de publico amplius inſtituit. Volumen hoc ſedecim Reſponſis abſolvitur, quorum tria priora homicidium concernunt, quartum & quintum jus retractus perſequuntur. In ſexto quæſtio: utrum uxor partem bonorum, quam ſtatutum alioquin ob mariti adulterium uxori defert, ob denegationem debiti conjugalis amittat? exponitur. Septimum de tacita paterni in bonis peculii adventitii regularis uſusfructus remiſſione ſatagit. Octavum rapinam, ob concludentiſſima latrocinii indicia, capitaliter punitam exhibet. Ejus autem pœnam, alias in foro Würtenbergico imponi ſolitam, latius nonum ac decimum recenſent. Undecimum de ſolutione de-

ne debiti non-mercatorii conjecturata diſſerit. In duodecimo fideicommiſſum in ſcheda, ipſi fideicommiſſario a teſtatore tradita, relictum expenditur. Decimum tertium operas a filio, tum parenti, tum extraneo præſtitas, earumque mercedem tradit. Decimum quartum de crimine lenocinii & adulterii operoſa tractatione diſquirit. In decimo quinto de mercede molitoria, ſive macina, quam vocat Noſter, majore, per molitorem exacta agitur; quibus decimum ſextum, caſus bigamiæ ſpecialis explicatione, colophonem imponit. Ut de intentione & labore Illuſtris Autoris diſtinctius conſtet, duo exempla explanatius paulo recenſebimus. In reſponſo primo Nobilis Satelles cum Mauro, qui in ejusdem Principis ſatellitio operas præſtabat, ob imputatum huic chirothecarum furtum, rixas ſerere cœpit. Colliſione verbis & gladio, in ædibus ſutoris aulici, bis, ſed ſine alicujus læſione, facta & ſopita, cum tertia vice rixantes, præter adſtantium opinionem, ſtrictis gladiis congredi vellent, alius, qui mediatoris partes obiturus erat, a Nobili gravi ictu percutitur, ut poſt bihorium animam exhalaverit, Medicis ob vaſa ſubclavia inciſa, ſanguinisque enormiter proſilientis profuſionem, vulnus lethale pronunciantibus. Hoc caſu uti occiſio certa erat, nec de lethalitate vulneris valde dubitabatur (licet enim nonnulli vulnus lethale pronunciari non poſſe exiſtiment, ſi a ſolis Medicis, absque interventu Judicis vel Scabinorum cum Actuario, vulneris inſpectio peracta ſit, attamen nec illa ſententia ſimpliciter procedit, nec defectus perſonarum judicialium ex actis apparebat) ita circa qualitatem occiſionis, doloſa illa fuerit, nec ne? præcipua occurrebat difficultas. Pro reo igitur hæ conjecturæ, doli mali excluſivæ, ex doctrina Noſtri, militare videntur: quod occiſus occidentis haut fuerit inimicus, imo ille ab hoc, in rixæ fervore, vix viſus; deinde quod, cum occidens gladium in vagina recondere voluerit, ſutoris aulici uxor in ejus brachium impegerit, ac feralis illius ictus cauſa fuerit, actis hoc probabiliter docentibus; tertio quod veriſimile haut videatur, reum ſine ulla cauſa mediatorem, amicis verbis ſe alloquentem, voluiſſe interficere; quarto quod reus in perſona erraverit, qualis error ex præſtantiſſimorum JCtorum ſententia a dolo & pœna ordinaria liberare ſoleat: quæ doctrina licet forte in theſi adhuc ſit dubia, attamen in caſu præſente non incommode allegari queat cum reus ſuſcepti ictus proæretici liqui-

liquido convinci nequeat. Hæc licet occiſori faveant, a pœna tamen ordinaria idem abſolvendus Noſtro nondum videtur: quamobrem ejus Conſilium eo tendit, ut mediante ulteriori æthiopis examine, nec non territione rei verbali, de veritate facti amplius ſint ſolliciti Judices. Quod ſi his mediis adhibitis, res in ſtatu priſtino, hactenus delineato, maneat, tum reum, ſi per biennium operas militares contra juratum nominis Chriſtiani hoſtem præſtet, ſat ſupplicii ſuſtinere, Noſter tandem exiſtimat. In Reſponſo ultimo bigamiæ caſus ſpecialis expenditur. Contraxerat opifex cum virgine ſponſalia publica, ea tamen conditione, ut ante eorum conſummationem, per aliquod tempus, opificii magis excolendi cauſa, ſibi regiones & urbes nonnullas paragrare liceret. Dum alibi degit, ſtuprum fœminæ infert, ac ad eam ducendam vi aliqua adigitur. Poſtquam per aliquod tempus ei cohabitaverat, debito etiam conjugali ſubinde repetito, Lares patrios repetit, ac deſerta conjuge, matrimonium cum priſtina ſponſa init, ex eaque liberos ſuſcipit. Detecta, ad prioris conjugis denunciationem, bigamia, quærebatur an eadem doloſe ſit ſuſcepta, adeoque ordinaria criminis hujus pœna locum habeat? Licet autem reum a dolo liberare non poſſit coacta prioris matrimonii conſummatio, cum vis per ſubſequentem cohabitationem fuerit purgata, nec etiam vita propria alias non male acta, vel pravi mores prioris conjugis, aut ignorantia juris, vel poſterioris conjugis remiſſio, propria pœnitentia ac prætenſa præſcriptio, eidem patrocinari queant; attamen JCti Tubingenſes eum a dolo & pœna ordinaria, ea potiſſimum ratione, quod vis priori matrimonio interveniens, licet levior, dolum videatur excludere, cum homini rudiori facile ea inde ſubnaſci potuerit ſententia, non injuſtum ac capitali ſupplicio luendum facinus eſſe, a tali recedere matrimonio, immunem pronunciarunt, eundemque ad operas, per anni quadrantem, in exſtruendis ædificiis publicis præſtandas, ac refundendas impenſas judiciales condemnarunt.

METHODE POUR LA MESURE DES SURFACES, la Dimenſion des Solides, leurs Centres de Peſanteur, de Percuſſion & d'Oſcillation, par l'Application du Calcul integral, &c.

i, e.

i. e.

METHODUS PRO MENSURA SUPERFICIERUM, dimenſione ſolidorum, illorum centris gravitatis, percuſſione & oſcillatione, per applicationem Calculi integralis, per Dn. CARRÉ, Academiæ Regiæ Scientiarum Socio.

Pariſiis, apud Joannem Boudot, Bibliopolam Academiæ Regiæ Scientiarum, 1700, in 4. Plag. 16. Tab. 4.

Autor, a quo multa egregia nobis promittimus, in hujus ſui libri præfatione ait, ſcientias Mathematicas in tantum hodie creviſſe, ut qui novum aliquod inventum alicujus momenti proferre velit, eum rara ingenii facultate præditum eſſe oporteat. Pulcherrimum eorum, quæ hactenus inventa ſint, eſſe ſine dubio Calculum differentialem, ut appareat ex egregio libro IlluſtriſſimiHoſpitalii. Cujus contrarius ſit Calculus ſummatorius vel integratorius, ſed in quo cum aliæ difficultates occurrant, quæ non ſint hujus loci, tum illa, quod interdum inter ſummandum reſtituere oporteat quantitates, quæ inter differentiandum evanuere. Itaque ſi Calculus ſummatorius abſolutus eſſet, fore ut nihil amplius in Matheſi poſſet deſiderari. Autor hoc loco non tractat lineas tranſcendentes, nec niſi ſummam differentiarum ductarum in potentiam abſolutæ, veluti $x^e dx$, idque a ſe factum ut ſerviat loco introductionis. Calculus ſummatorius, ut conſtat, eſt calculi differentialis inverſus. Hinc ducitur eſſe $m \int x^{m-1} dx = x^m$, vel quod eodem redit, erit $\int x^m dx$ erit $x^{m+1} : m$. Hanc regulam generalem applicat ad caſus ſpeciales. Primus eſt ſadx (vel a ſdx) = ax quod eſt ſummatio æqualium, & ita habetur area rectanguli, ſuperficies cylindricæ &c. Poſt hunc caſus ſimpliciſſimus eſt ſxdx = xx : 2 qui dat aream trianguli, ad cujus imitationem habetur & area ſectoris circuli vel circuli integri, idque fit duobus modis, vel transformando ſectorem in triangulum, cujus baſis eſt arcus ſectoris, applicatæ intermediæ ſunt arcus concentrici, vel multiplicando ſectoris elementum infinite parvum, (quod eſt triangulum æquilaterum latera habens radios, baſin elementum arcus) per magnitudinem arcus ſectoris; quia idem elementum toties repetitur, quot ſunt elementa æqualia, in quæ arcus ponitur diviſus.

Digitized by Google

ſus. Eadem applicantur ad ſuperficiem Sphæræ & Coni, ſcilicet recti, ad Lunulæ Hippocratis menſuram, & Ellipſeos reductionem ad circulum. Tranſit Autor ad Parabolæ & Paraboloeidum, Hyperbolæ & Hyperboloeidum areas ex principio dicto, excepta Hyperbola ordinaria, in qua ſumma totalis fit infinita. Partiales ejus areæ pendent a Logarithmis. Datur & area Logarithmicæ, & Logarithmicæ ſpiralis & ſpiralis ordinariæ, vel etiam ſpiralis in qua potentiæ radii & circumferentiæ utcunque variantur. Si ordinata curvæ ſit $(a-x)x^{m:n} : a^{m:n}$ erit area $(na\,x^{(m:n)+1} : (m+n)a^{(m:n)} - (n\,x^{(m:n)+2} : (m+2n)\,a^{(m:n)}$ & tota area cum x fit a, erit $nnaa:(mm+3mn+2nn)$ Exhibetur & area Cycloidis, item Ciſſoidis, item area Conchoidis. Sectione ſecunda tranſitur ad ſolida, & ſoliditas priſmatis, cylindri, pyramidis, conoſphæræ, conoeidis, ſphæroidis, ſimili methodo exhibetur, ut & varia ſolida paraboloidum & hyperboloidum rotatione formata. Sectio tertia agit de centris gravitatis. Centra autem gravitatis habentur per ſuperficies revolutione genitas, & centra gravitatis ſuperficierum habentur per ſolida. Sectio quarta agit de centris percuſſionis vel oſcillationis, & ut pro habenda centri gravitatis diſtantia, ſumma momentorum dividenda eſt per ſummam ponderum; ita pro habendo centro percuſſionis ſumitur, productum ſummæ momentorum per rectas proportionales ſpatiis percurſis, vel quod eodem redit, pro partibus corporis moti, ſubſtituantur pondera celeritatibus proportionalia, & dividatur ſumma per ſummam momentorum. Operæ pretium faceret doctiſſimus Autor vel alius quiſpiam, ſi Tabulæ conderentur earum ſummationum, quæ jam paſſim habentur tam in terminis indeterminatis, quam in caſibus arearum vel ſummarum totalium, omiſſis licet demonſtrationibus, quoniam pro iis ſufficiunt ſpecimina, quæ jam dedit; & alioqui veritas talium enunciationum ſemper via differentiationis haberi poteſt.

HENRICI A DEVENTER MED. DOCT. OBSERVAtiones Chirurgicæ, quibus manifeſtatur Artis obſtetricandi novum Lumen.

Lugduni Batavorum apud Andream Dyckhuyſen, 1701. in 4.
Conſtant Alphab. 1½. cum fig. ænear. plag. 10.

VArii quidem jam proſtant libri, in quibus poſt Medicos Chirurgi obſtetricantes, aut Obſtetrices artem obſtetricandi tradere conati ſunt: verum quoniam iſti præter ſexcenta morborum & ſymptomatum genera, quibus prægnantes ante, ſub & poſt partum corripi ſolent, pauciſſima ſolum continent, ex quibus vera artem hanc exercendi methodus addiſci queat; animum induxit Author Clariſſimus, omiſſis illis, ſolam operam manuariam exhibere. Et cum ad unum omnes ſuppoſuerint hactenus Authores, partum difficillimum a prava infantum verſione in utero dependere, infantem vero bene verſum eſſe, ſi caput prævium ori uteri objaceat; e diametro contrarium ſtatuit Noſter: etiamſi infans talem in utero occupet ſitum, nihilominus exinde propter obliquam uteri poſituram partum difficillimum neceſſario ſequi, atque utero oblique poſito ſitum infantis magis inconvenientem obſtetricanti obvenire non poſſe, quam ſi caput prævium ad os uteri fuerit converſum.

Cap. 1. Quod ut eo felicius demonſtret Author, qualitates delineat fœminarum, quibus eæ ad obſtetricandum habiles cenſeri poſſint. Excludit enim ab hac arte exercenda fœminas provectioris ætatis, juniores natu, debiles, morbidas & tabeſcentes, gravidas, nimis denſas & corpulentas, mutilas, digitis ſc. manibus, cubitisque curvis vel rigidis, aut membris flaccidis vel laxis præditas, ſtupida & obtuſa, pervicacia & obſtinata obtinentes ingenia: eas potius ſeligendas ſuadens, quæ vigilantes, ſolertes, ſedulæ, & promtæ ſunt manu, gravitate & exercitata ſenſuum membrorumque agilitate gaudent, beneficæ, hoſpitales, miſericordes, benignæ atq; mites ſunt, conſcientiæ ſtudent, Deum venerantur, ac temperantiæ & ſobrietati operam dant. Chirurgis vero, qui

Cap. 2. ad hoc opus vocantur, caſtitatem, verecundiam & modeſtiam ſuadet. Obſtetricum theoriam ad 6 capita revocat. Noſſe enim illis convenit 1) partium muliebrium conditionem, 2) quomodo gravida debeat tangi? 3) quomodo ſecundina ſit excludenda? 4) quomodo fœtus pravum ſitum obtinentes verti aut pedibus extrahi debeant? 5) quænam res ad manum ſint, & 6) quomodo ſe gerere debeant poſt partum erga matrem & infantem. Partes genitales igitur breviter, quantum ſcil.

Cap. 8. ab obſtetrice ſciri convenit, explicat, atque in figuris ſiſtit. De utero agens, Domini Mauriceau ſententiam refutat, qui uteri impr ægnati parietes extenuari exiſtimat, atque probaturus, uterum diverſimode

poſſe

poſſe loco moveri, ſupponit, ligamenta quæ uteri nondum imprægnati fundo annexa videntur, tempore imprægnationis longe inferiorem occupare locum, imo uterum ea, qua ligamenta tranſcendit, parte duplo triplove grandiorem & graviorem evadere, cum extenſio & dilatatio uteri infinite magis in fundo quam alia parte ſuccedat: item uterum ſubinde accreſcentem plerumque altius elevari, & non amplius in pelvis anguſtia poſſe contineri; hinc ſupra ligamenta ampliorem, latiorem, multoque graviorem eſſe, quam infra; ac ratione ſuæ molis faciliime huc vel illuc ferri, & inclinare, nec dubium eſſe, quin ligamenta iſta poſſint laxari. Quemadmodum igitur uterus rectus & bene ſitus eſt, cujus pars acuminata recta tendit in cavitatem pelvis, fundus vero circa umbilicum verſatur: ita pravus ejus notatur ſitus vel quando fundus diaphragmati, uteri vero corpus ſpinæ dorſi nimis apprimitur, vel quando uterus in ventroſis mulieribus pronus propendet, ore ad os ſacrum converſo, vel quando fundus uteri in latere ſiniſtro aut dextro modo altius modo demiſſius ponitur, ore ad dextram aut ſiniſtram pelvis partem converſo. Ad tactum progrediens modum docet, quo obſtetrix uteri conditionem explorare debeat, ut cognoſcat 1) an vere gravida ſit mulier, nec ne? 2) an tempus pariendi inſtet? 3) an gravida genuinis ad partum corripiatur doloribus? 4) an gravidæ doloribus jam correptæ futurus ſit partus facilis vel difficilis? 5) an infantes bene ſiti ſint, nec ne? 6) quomodo parturienti ac fœtui ſit ſuccurrendum? 7) an extraordinario tempore partus ſit promovendus? Partus hinc naturalis requiſita recenſens, arctioribus, quam alii Authores ſolent, eum circumſcribit limitibus, ita ut illum naturalem tantummodo vocitet, qui ſola naturæ vi, ſine arte vel alieno auxilio perficitur, neque ulla obſtetricantium opera, præter eam, quæ in fœtu excipiendo, ejusque fune umbilicali abſcindendo locatur, opus habet ad excluſionem fœtus, ut eo diſtinctius partus p. n. & difficilis cauſas exhibere valeat. Ad quas recenſendas antequam ſe accingat, obſtetrices inſtruit, quæ inſtrumenta & medicamenta ad manus ſint oporteat, antequam operationem moliantur; ſella ſc. perforata, forfex acuta, filum quadruplex, linteamina, clysmata, medicamenta anodyna, confortantia &c. Qua igitur ratione morbi generales gravidarum, ut febris, epilepſia, hydrops &c. abigi, quantum poſſibile, & fœminæ partium conformatione prava labo-

Cap. 11. Cap. 15. Cap. 16. Cap. 17. Cap. 18. Cap. 19. Cap. 21. Cap. 22. Cap. 23. Cap. 26. Cap. 25.

Cap. 27. laborantes, ut gibboſæ, incurvatæ, tractari debeant docet. *Monſtrat* tum, quomodo parienti opitulari deceat, quæ pelvim nimis parvam
Cap. 29. vel nimis magnam, vel nimis planam, orificium uteri craſſum & præ-
Cap. 30. durum, vaginam prolapſam obtinet; dein quid agendum ſit, ſi mem-
Cap. 31. brana infantis nimis firma non rumpatur, aut placenta ab utero diſ- ſoluta, & ad oſtium dilapſa viam intercludat; ſi fœtus mortu-
Cap. 32. us ſit, (cujus certiſſimum ſignum ſupremæ capitis cuticulæ
Cap. 33. diſſolutionem pronuntiat;) ſi circa ſeptimum menſem, poſt enor-
Cap. 34. mem uteri hæmorrhagiam prodeat; vel ſi idem nimia gaudeat
Cap. 35. mole. Diverſas mox easque pravas infantis verſiones rimatur, ita quidem, ut eas in utero bene locato contingentes, non ſolummodo ex Authorum ſententiis hactenus receptis recenſeat, verum etiam monſtret, tales cum pravo uteri ſitu conjunctas partum longe difficiliorem reddere; modumque ſubnectit, quo fœtui pariter atque utero legitimus, quantum poſſibile, ſitus poſſit con-
Cap. 38. ciliari; notans infimul quosdam a Domino Peu in libro de Arte Obſtetricandi commiſſos errores. Quemadmodum itaque Author Clariſſimus novum Lumen hypotheſi hac arti obſtetricandi additurum ſe confidit: ita prolixius de partu difficili ex prave ſito utero agit, atque perpendit potiſſimum, cur ex utero nimis propendulo partus
Cap. 46. 47. 48. difficilis proveniat? unde cognoſci poſſit, uterum nimis propendere? & tandem quid agendum ſit, ad prævertenda mala inde oriunda? Quoniam autem partus non ſemper retardatur ex prava uteri poſitura, aut ex infantis pravo ſitu, ſed & alia ſymptomata enixum
Cap. 50. remorari poſſint, de his ſeorſim agit, & inter ea potiſſimum recen-
Cap. 28. ſet dolores pravos ac tergiverſantes. Quæ circa funiculum umbilicalem conſtringendum, ſecundinasque excludendas obſervanda ſunt, in peculiari capite pertractat. Appendicem operi addit, in qua de inſtrumentis Chirurgicis agit, quæ tamen in arte hac exulare jubet, duos ſi excipias caſus, nimirum ſi infantes ob monſtroſam magnitudinem totius corporis aut partis alicujus, pelvim integri tranſire prorſus non valeant; aut ſi propter negligentiam vel inſcitiam obſtetricis, in utero quam maxime obliquato, infantis recte verſi caput in anguſtam cavitatem pelvis delapſum, inibique ſimul cum humeris adeo coarctatum ſit, ut ad impetum dolorum validiſſimorum ne minima quidem percipiatur deſcenſio. Tandem ſilentio prætereundum

non

non eſt, quod Author Clariſſimus mentionem faciat Correctoris Univerſalis, herbas venenatas & opium ita corrigentis, ut abſque noxa aſſumi valeant, ut & Pilularum ſudoriferarum, quarum quidem uſum & virtutes prolixe exponit, modum tamen eas, ut & Correctorem præparandi retinet; aliam tamen herbarum & opii correctionem & præparationem communicat: ſcilicet R. herbas oleoſas, ſeu virides ſeu arefactas; has in pulverem ſubtiliſſimum, illas in pulmentum redige, tunde quam minutiſſime; adde medullæ panis ſecalitii recentis duplum vel triplum, (quadruplum vel ſextuplum ad opium) maſſam inde in vitream ampullam, probe conglutinandam, hancque balneo vaporis per 40 dies noctesque ſub æquali ignis regimine expone: digeſtione peracta, maſſæ in catinum fictilem inditæ tantum aquæ pluvialis affunde, quantum ſufficit eidem manibus rarefaciendæ, ut liquor a medulla ſeparetur expreſſione, deinceps decantandus, & in vitreis vel nitidis vaſis fictilibus ſenſim evaporandus, ad craſſiorem usque maſſam; opio adde anaticam optimi Croci portionem & hoc uſui ſerva. Cap. 26.

ARCANA IMPERII DETECTA; OR DIVERS SElect Caſes in Gouvernment &c.

id eſt:

DIVERSI CASUS EX RERUM PUBLICARUM HIſtoria ſelecti, una cum ſummorum quorumvis Politicorum ſententiis, argumentis atque decretis, quæ ad illos pertinent.

Londini apud Jacob. Knapton, 1701. in 8. Alph. 1. plag. 1.

Etſi hunc, quem jam exhibemus, libellum tituli imprimis ratione adducti, novum plane atque recentem eſſe primum arbitrabamur, multum tamen opinionem nos fefelliſſe cognovimus, cum *Diſquiſitiones Politicæ*, quas V. C. *Marcus Zuerius Boxbornius* Latine conſcriptas olim edidit, ad oculos noſtros pervenirent. Nimirum placuit Editori, ſub novo *arcanorum imperii detectorum* titulo, ſexaginta caſus politicos, quos laudatus *Boxbornius* in ſuis, quas diximus, *Diſquiſitionibus* jam jam propoſuerat, ordine paullum immutato denuo publi-

publicare, atque ſuppreſſo genuini Auctoris nomine, totidem verbis de Latina in Anglicam linguam traducere. Ne tamen omne libri hujus argumentum ex alienis ſcriniis depromtum eſſet, ſexaginta caſibus, quos *Boxhornius* confecit, admiſcentur decem alii, & quidem
Caſ. V. ſequentes: De Principe, qui quamvis non denuo laceſſitus fuerit, ob
Caſ. VIII. veteres tamen poſtulationes quasdam vicino bellum infert. An & quando Princeps ſuas ditiones relinquere, atque in externis regioni-
Caſ. XIIX. bus copiis præeſſe debeat? An Princeps, quacunque demum ſub ſpe-
Caſ. XXI. cie, fratris ſui uxorem matrimonio ſibi jungere poſſit? An Princeps a gubernaculis reipublicæ dejectus, ſi contra illum Principem conjurationem iniverit, in cujus terras atque tutelam ſe recepit, ſecundum
Caſ. XLIII. leges iſtius regionis jure puniri poſſit? De pace cum hoſte externo,
Caſ. XLVI. & num eandem inire ſemper expediat? An Princeps, qui quidem in ſuis ditionibus ſupremam poteſtatem habet, ſed legibus alicujus Imperii tanquam illius membrum adſtrictus eſt, tam graviter delinquere poſſit, ut ſuo prolisque ſuæ in proprias ditiones jure excidere &
Caſ. LIII. recte proſcribi queat? An iis religionis exercitium concedere expediat, qui in ſpiritualibus illum Principem, ſub quo degunt, haut ſupre-
Caſ. LVIII. mum agnoſcunt. An Princeps, qui ſolenniter renunciavit juri, quod per matrimonium cum ſuis poſteris in regnum aliquod obtinuerat, tanquam proximus ſanguine illud ſibi vindicare poſſit?
Caſ. LXI. An duo regna, quæ ab uno Principe diverſis legibus atque inſtitutis reguntur, in unum conflari debeant, aut quomodo & quatenus unio
Caſ. LXX. ejusmodi in utriusque ſalutem vergere queat? Num Principi cuidam alterius Principis cives, privilegiis atque libertate ſua ab ipſo exutos, in tutelam recipere liceat?

Errata in Actis Lipſ. m. Nov. 1700.

Pag. 509. l. 3. pro mfx^{m-1} leg. $mfx^{m-1}z$. Ibid. l. 11. pro $-z \mp sbx^{r-1}y^{s}z$: leg. $-zrsbx^{r-1}y^{s}z$. Ibid. l. 14. pro zy^{n} leg. $-y^{n}$. *In Indice Rerum 1700*, ſub Tit. *Curvarum, Oſculorum, Radii*, pro *quarundam, quibusdam*, leg. *quarumvis, quibusvis*. Sub Tit. *Centri*, pro *Cylindracei* leg. *Cycloïdici.*

LIBRI

LIBRI NOVI.

Paralipomena Theologiæ Moralis, ſeu varia de rebus moralibus Epiſtolæ. Auctore R. P. Natali Alexandro. Delphis apud Henr. Rhenanum, 1701. 8.

A Free Diſcourſe concerning Truth and Error, eſpecially in matters of Religion. By John Edwards D. London, printed for Jonathan Robinſon &c. 1701. 8.

The Earl of Arlington's Letters to Sir W. Temple, Bar. By Tho. Bebington. London, printed for Th. Bennet, 1701. 8.

Memoires of the Reigne of King Charles I, with a Continuation to the Happy Reſtauration of King Charles II. By Sir Philip Warwick, Knight. London, printed for R. Chiſwell, 1701. 8.

Le Chretien Philoſophe. A Lyon. Et ſe vend a Bruſſelles, chez Joſſe de Grieck, 1701. 12.

Parrhaſiana, ou Penſées diverſes ſur des matieres de Critique, d' Hiſtoire, de Morale & de Politique. Tome ſecond. A Amſterdam chez H. Schelte, 1701. 8.

Jus Publicum Statuum Imperii, ſive S. R. Imp. Electorum, Principum, Procerum & Civitatum Jus eminentius ac ſublime, explicatum a Jo. Wolffg. Textore. Tubingæ apud Jo. Georg. Cottam, 1701. 4.

Ichnographia nova contemplationum de Sole, concepta a Georgio Chriſtoph Eimmarto. Norimbergæ apud W. M. Endterum, 1701. fol.

Friderici Hofmanni Obſervationes Barometrico-Meteorologicæ & Epidemicæ Hallenſes anni 1700. Halæ Magd. in officina libraria Rengeriana, 1701. 4.

Joh. Gröningii Bibliotheca Univerſalis, ſeu Codex operum variorum. Hamburgi apud Gotfr. Liebezeit, 1701. 8.

Dan. Georgii Morhofii Deliciæ Oratoriæ intimioris, ſive de Dilatatione & Amplificatione Rhetorica Liber. Lubecæ, apud Petrum Böckmannum, 1701. 8

Jo. Muſæi Prælectiones in Epitomen Formulæ Concordiæ editæ ab Hæredibus Muſæanis. Jenæ apud H. Chr. Krökerum, 1701. 4.

Joachimi Tiedii Cyclus Lunæ-Solaris, eique ſuperſtructum Calendarium novum vere perpetuum. Kiliæ, literis Barth. Reutheri Acad. Typographi, 1701. 4.

Euclidis Elementorum Libri priores ſex, item undecimus & duodecimus, ex verſione Latina Federici Commandini. Oxoniæ, e Theatro Sheldon. 1701. 8.

Thomæ

Thomæ Broderi Bircherod Jac. F. Specimen antiquæ rei monetariæ Danorum, præſertim a tempore Chriſtianiſmi in Dania, ad initium auſpicatiſſimum Imperii Stirpis Oldenburgicæ. Hafniæ apud J. J. Erythropilum, 1701. 4.

Sentimens Critiques ſur les Caractères de Theophraſte de Mr. de la Bruyére. A Amſterdam, chez Paul Marret, 1701. 12.

Relation de la Cour de Rome, ou l' on voit le vrai Caractere de cette Cour, par Mr. Nodot. A Paris, 1701. 8. Et ſe trouve à Amſterdam chez H. Desbordes.

Chimia oppreſſa & deſpecta Gemitus ad Parentes Phœbum & Naturam, Elegiacis collecti & expoſiti ab Adriano Dominico Van Welt. Lugd. Bat. apud Corn. Boutenſteyn, 1701. 4.

Jo. Mauritii Trilleri Tractatus Practicus de officio Medici præſentibus contraindicationibus. Jenæ apud H. C. Crökerum, 1701. 12.

Heſiodi quæcunque extant, Græce & Latine ex recenſione Jo. Clerici, cum ejusdem & variorum Animadverſionibus. Amſtelod. apud G. Gallet, Præfectum typogr. Huguet. 1701 8.

Juſtini Hiſtoria Philippica. Ex nova recenſione Jo. Georgii Grævii, cum ejusdem caſtigationibus & notis integris variorum. Editio quarta. Lugd. Bat. apud Corn. Bouteſteyn &c. 1701. 8.

Juſtinus de Hiſtoriis Philippicis. Interpretatione & Notis illuſtravit Petr. Joſ. Cantel e Soc. Jeſu. Huic editioni acceſſere Jacobi Bongarſii Excerptiones Chronologicæ ad Juſtini Hiſtorias accommodatæ. Londini apud R. Clavel &c. 1701. 8.

M. Valerii Martialis Epigrammata, Paraphraſi & Notis variorum ſelectiſſimis interpretatus eſt Vincentius Colleſſo J. C. Numismatibus exornavit Lud. Smids. Amſtel. apud G. Gallet, 1701. 8.

Quinti Horatii Flacci Opera ad optimorum exemplarium fidem recenſita. Acceſſerunt Variæ Lectiones notatu digniores. Cantabrigiæ, typis Academicis, 1701. 12.

Traité du Serment, par Jean la Placette. A la Haye chez Abraham Troyel, 1701. 12.

Memoires contenant ce qui s'eſt paſſé de plus memorable en France, depuis l' Etabliſſement de la Monarchie jusqu' à preſent. A la Haye, chez Etienne Foulque, 1701. 12.

Memoires du Duc de Navailles & de la Valette, Pair & Marechal de France &c. A Amſterdam, chez Jean Malherbe, 1701. 12.

* * * * * * * * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno MDCCI.

HISTOIRE GENERALE DU JANSENISME.

i. e.

HISTORIA GENERALIS JANSENISMI, CONTInens ea, quæ in Gallia, Hiſpania, Italia & Belgio ob Janſenii Auguſtinum geſta ſunt. Tomi III.

Amſtelod. apud J. Lud. de Lorme, 1700. 8.
Alph. 3. plag. 8. cum fig. æneis.

QUæ abolitæ propemodum atque intermortuæ videbantur Janſenianæ lites, denuo in lucem prodeunt, multorumque calamos inpræſens exercent, inter quos Leydeckerum & Maſium nuper nominavimus. Ea enim hujus controverſiæ facies nunc eſt, ut ad Hiſtoricas disceptationes omnia ferme ſint reducta, & utrinque, quid olim ob Janſenii Auguſtinum, quo animo, quibus fraudibus geſtum ſit, diſputetur. Præſentis libri auctor, qui Abbatis titulo utitur, poſtquam in præfatione, Maſii, ſcriptoris *Hiſtoriæ V. Propoſ. Janſenii*, quam ſuperioris anni *M. Majo p. 214.* recenſuimus, fidem ſuſpectam dubiamque fecit, ſumma ſe integritate & ex documentis certiſſimis ſcripturum pollicetur. Equidem minutiſſima quævis hujus controverſiæ ſingulari cum accuratione perſecutus eſt, inter quæ rariora multa ſunt, quæ apud alios fruſtra quæras. Candorem quoque, etſi Janſenianæ parti ſe addictum fateatur, ubivis præ ſe fert, & cumprimis edita utrinque ſcripta accuratiſſime recenſet, expoſitis quoque præcipuis eorum argumentis, ut adeo Bibliothecæ Janſenianæ loco eſſe poſſit. Adjecit etiam librarius Janſenii, Arnaldi, Paſcalii, Boſſueti, Nicolii, aliorumque, qui his litibus nomen obtinuerunt, imagines. Nos, ut tædioſo eaſdem formulas repetendi labore careamus, com-

pendium libri, eo modo, ac ſi Auctor ipſe loqueretur, conficiemus, ſperantes, non minori cum delectatione quosdam ſyllogen hanc lecturos, ac hos prolixam Auctoris narrationem perlegimus. Nova de
A. 1640. prædeſtinatione & gratia dogmata Semi-Pelagiana, quæ Leſſius & Molina ſuſcitaverant, paſſim recipiebantur, cum Corn. Janſenius contra eadem *Auguſtinum* ſuum conſcriberet, quem moriens A. 1636 Fromondo & Henr. Caleno edendum commiſit. Hi editionem per Jac. Zegers, librarium, Lovanii curarunt. Jeſuitæ editione nondum conſummata, per Wiskerkium vix impreſſas plagulas acceperunt, ratique hoc libro Ordinis ſui doctrinam peſſundari, operam dederunt, ut interventu P. Stravii Nuncii Pontificii & Cardinalis Barberini liber ab Academia Lovanienſi ſupprimeretur, cum Pauli V Pontificis Bulla cautum eſſet, de hac materia ſine Pontificis indultu nihil edendum eſſe; quæ tamen ſuppreſſio mox librarii precibus ſublata eſt, & Janſenii *Auguſtinus* Pariſiis quoque cum approbatione ſex Sorboniſtarum
1641. prodiit. Interea Jeſuitæ aliam viam tentarunt, Romæ quidem per Cardinalem Cuevam, apud Leopoldum vero Belgii Gubernatorem per P. Viverum ſocium, qui *Libellum ſupplicem contra Janſenium*, *Tela ingeſta regeſta*, & *Menda querimoniæ emendata* edidit, quibus Derkennis & Jonghius, Jeſuitæ Lovanienſes, Theſes addiderunt contra Janſenium publice defenſas; ſed Janſeniſtæ his oppoſuerunt *Querimoniam Jac. Zegers*, *Clypeum contra Viveri tela*, *Spongiam mendorum ejusdem*, & ſpeciatim Jo. Sinnichius, Hibernus, Theologus Lovanienſis *Auguſtini Hipponenſis & Iprenſis Homologiam*, ac Petrus Stockmannus, JCtus Lovanienſis, *Somnium Hipponenſe*, ſive *Conventum Africanum*. Romæ Inquiſitio d. 1. Auguſti, Cueva urgente, *Auguſtini* Janſeniani lectionem prohibuit, quam prohibitionem nec Senatus regendo Belgio præfectus, nec Lovanienſes receperunt, eo quod Pauli V bulla in Belgio non eſſet publicata. Tres Theologi Lovanienſes, Jeſuitis addicti, Jo. Schinkelius, Chriſtianus Beuſecum & Guilelmus de Anges Janſenium Romæ accuſarunt, quem reliqui Lovanienſes ibidem defenderunt, quo tempore
1642. Fromondus *Anatomiam hominis* edidit. Sequenti anno Joannes Janſenius Cornelii ex fratre nepos, illum ſupplicibus ad Hiſpaniæ Regem literis defendit, Pontifex vero Urbanus VIII Bulla 1642. d. 6. Martii ſcripta Janſenium damnavit. Schinkelius contra Janſenium diſpu-

diſputans, Deum in actu primo peccare poſſe defendit, a collegis eam ob rem accuſatus. Jac. Pontanus a Janſeniſtis defecit; Pariſiis vero Richelii inſtinctu Alphonſus Monachus in academia, & Iſaac Habertus in templis, Janſenio ſe oppoſuere. Bulla Urbani VIII 1643.
Romæ publicata eſt, & in Belgium tranſmiſſa, ubi Schinkelius & Collegæ ejus Anti-Janſeniani eam quidem publicarunt, ſed contradicente Senatu Brabantiæ ſupremo & Lovanienſi Academia, quæ illam multis argumentis rejecit, ejusque rei cauſa Sinnichium & Cornelium de Paepe Romam miſit, qui defectus Bullæ ingenue Pontifici, Cardinalibus & Theologis propoſuerunt. Janſeniſtæ Galli ediderunt *Obſervationes in Bullam*, & ſpeciatim Franciſcus Gondrinus, Senonenſis Archiepiſcopus, *Auguſtinum per ſe docentem*; ex Anti-Janſenianis vero Petrus de S. Joſepho *Defenſionem Auguſtini Hipponenſis contra Iprenſem*, & Jac. Sirmondus *Prædeſtinatum*. Lovani- 1644
enſium Janſeniſtarum delegati multis precibus tandem obtinuerunt, ut Janſenii cauſa in Congregatione Cardinalium Spadæ, Pamphilii & Falconerii tractaretur, cui illi magna diligentia probatum iverunt, Janſenium damnata Baji dogmata non reſuſcitaſſe. Sed hæc Congregatio brevi finita, moriente Urbano VIII, nihil aliud quam Bullæ contra Janſenium confirmationem procuravit. Interea Schinkelius Janſenium hæreſiarcham proclamavit, reliqui vero Lovanienſes indicto conventu Theologorum, eum innocentem pronunciarunt: Epiſcopi Belgici juſſu Regis atteſtati ſunt, ejus *Auguſtinum* nemini dediſſe ſcandalum. Henr. Calenus, ut Ruremondano Epiſcopatu potiretur, coactus eſt jurejurando doctrinæ Janſenii renunciare. In Sorbona lites Janſenii cauſa exortæ ſunt, plurimis illi adhærentibus, Franc. Hallerio autem & Nic. Corneto ſe opponentibus. Auvræus *Cenſuram Prædeſtinati* contra Sirmondum edidit, & alii Janſeniſtæ *Difficultates Bullæ*, & *Epiſtolam ad Peripateticos de libero arbitrio*. Urbano VIII ſucceſſit Innocentius X, a- 1645.
pud quem Janſeniani & Anti-Janſeniani querelas ſuas renovarunt, illi quidem denunciatis XXII propoſitionibus in Auguſtinum injuriis, quas Schinkelius docuerat, hic vero edito *Statu Janſenianæ pertinaciæ*. Pontifex ad pertinaciam usque tuendæ auctoritatis Papalis ſtudioſus, Anteceſſoris Bullam confirmavit, &, ut in Gallia Belgioque publica auctoritate promulgaretur, imperavit, Carolo

 Her-

Herſento, Sorbonico, *Admonitionem ad illum contra Bullam* edente.
Sinnichius, collega mortuo, & Academia jubente, bona cum
Pontificis venia Lovanium rediit. Tum Ant. Arnaldus *geminam Apologiam Janſenii contra Habertum*, Habertus verò *Defenſionem do-*
1646. *ctrinæ Eccleſiæ & Sorbonæ de gratia* edidit. H. Calenus ſequenti anno ad Janſenianos rediit; Pontificis vero precibus dedit Hiſpaniæ
Rex, ut Bullam in Belgio promulgari mandaret: ſed Senatus Brabantiæ & Lovanienſes promulgationem literis ad Regem datis deprecati ſunt. Antwerpiæ Landsherius Jeſuita in Janſenium debacchatus eſt, quem Macarius Semeomo refutavit. In Gallia Habertus *Vindicias Græcorum Patrum circa Gratiam* edidit, & octo propoſitiones Hæreticas Janſenii Romæ denunciavit: Carmelitæ Diſcal-
1647. ceati, & Religioſi Flagellantes Janſenium damnarunt. Poſthæc
Jac. Boonius Archiepiſcopus Mechlinenſis, & Trieſtius Epiſcopus Gandavenſis, Bullæ ſe opponere cœperunt, quam novus Belgii Gubernator Leopoldus omni conatu & viribus defendit. Janſeniani ediderunt plurima, ſpeciatim Petrus Cobbartus *Rhythmicam conſiderationem conſilii divini*, Simeomo *Collationem Antverpienſem, & Novum Proſperum*; ex Anti-Janſenianis Franc. Veronus *Auguſtinum liberatum a Sophiſtica Iprenſi*, Renatus Maulpeou *Tract. contra Janſenium de gratia efficaci*, Jo. Geneſtus *Proluſionem de morte Chriſti pro*
reprobis, Petrus a S. Joſepho *Theologiam hodiernam examinatam*,
1648. Dion. Petavius *Libros II. de Lege & Gratia*. Interea Leopoldus
formulam contra Janſenium confici curavit, quam omnes ſignarent, qui ſacras vel civiles dignitates adire vellent. Academia Duacena animum a Janſenio alienum literis ad Leopoldum ſcriptis teſtata eſt, ſpeciatim Valent. Randurus, Georg. Colvenerius, Theodorus Couverdenſis & Franc. Sylvius Theologi, cum quibus Lovanienſes amicam collationem fruſtra tentarunt. In Gallia P. Mareſius Presbyter Oratorii, Concionator Janſenianus, miſere vexatus ejectusque eſt, artibus Jeſuitarum Aulam paulatim ſibi devincientium. Edita ſunt a Janſenianis, ſigillatim Fromondo, ſub nomine Vinc. Lenis *Theriaca adverſus Petavium & Campſium*, a Sinnichio *Auguſtinus, Proſper & Fulgentius dimicantes*, ab aliis *Lupi Servati liber*; ab Antijanſenianis, ſpeciatim Verono *Condemnatio Janſenii*, Sirmondo *Hiſtoria Prædeſtinatiana*, Petavio *Elenchus* & Campſio *Reſponſio*
con-

contra Theriacam Fromondi, Franc. Pinterello Jeſuita *Origo Janſe-*
niſmi detecta, Jo. Martinez de Ripalda *Liber contra Bajanos*, a
Franciſco vero Macedo, tum Janſenio favente, *Cortina & Oracula*
Auguſtini, qui poſtea ſcriptis Janſenianos aggreſſus eſt. His geſtis 1649.
Archiepiſcopus Mechlinenſis, Abbates Ordinis Præmonſtratenſis, &
Academia Lovanienſis Rechtium ac Gillemanum, Theologos Lova-
nienſes, in Hiſpaniam miſerunt, qui Janſenii cauſam apud Regem
agerent, ſed irrito ſucceſſu, cum mox Regiis literis promulgatio
Bullæ imperata ſit. Lovanienſes tum *Planctum Auguſtinianæ veri-*
tatis, & *Vulpem captam contra Ripaldam* ediderunt. Inter Ignati-
um Huartum, Janſenio addictum, & Matthiam Hauſeur, multa
ultro citroque ſcripta ſunt, ut & inter Fromondum, Petavium &
Campſium. Duacenſes publicarunt *Veritatem & æquitatem Bullæ*
Urbani VIII; cui Lovanienſes oppoſuere *Lucernam Auguſtinianam.*
Pariſiis Nicol. Cornetus notiſſimas V Propoſitiones Janſenii Facul-
tati Theologicæ cenſendas obtulit, quas ex cenſoribus conſtitutis
Pereiretus, Hennequinus, Grandinus, Bailius & Nicolai ut hæreti-
cas damnarunt, publicis ſcriptis ſe opponentibus Abbate Bur-
zeiſio, & Antonio Arnaldo. Hæc res Sorbonam in duas factiones di-
viſit, Jeſuiticam videlicet, quam Cenſores cum Claudio Morello,
& Franc. Hallerio ſequebantur, & Janſenianam, quam Ludovicus
Santamorius, Arnaldus, Minceus, Coppinus, Nicolius amplexi
ſunt. Eodem anno ediderunt ex Janſenianis Burzeiſius *Epiſtolas ali-*
quot, ex eorum adverſariis Cl. Morellus *Veram Eccleſiæ ſententiam de*
gratia, Nic. Foreſtus *Præcautiones contra innovationes fidei*, Vero-
nus *Sententiam condemnationis Janſenianæ*, P. a S. Joſepho *Senten-*
tiam Auguſtini circa V Propoſitiones. Jubilæo anno factiones ad- 1650.
verſæ in Sorbona lites publicas in ſupremo Senatu Pariſienſi geſſe-
runt. Illi qui Janſenio ſe opponebant, damnatas V Propoſitiones
Pontifici tranſmiſerunt: Capucini Janſenianam doctrinam publico
decreto damnarunt. Hiſpaniarum Regis juſſu Bulla Anti-Janſenia-
na, quicquid Archiepiſcopus Mechlinenſis & delegati Lovanienſes
contra machinabantur, tandem in Belgio promulgata eſt: Inquiſi-
tio autem Hiſpanica XXII Jeſuitarum Propoſitiones Auguſtino in-
jurias damnavit. Controverſiæ Lovanienſium & Duacenſium ſenſim
creverunt, præſertim Fromondo *Emunctorium Lucernæ*, & *Reſponſio-*

nem ad Randurum edente. Tum Janſenianus quidam Matth. Faideau rogatu Epiſcopi Ambianenſis, & Anti-Janſenianus libellos, eodem Catechiſmi Gratiæ titulo, inſtruendæ in hac controverſia plebis gratia, ſcripſerunt: utrumque Pontifex damnavit, prioris vero defenſionem Mechlinenſis Præſul & Janſeniani Galli ſuſceperunt. Ordo Minimorum Janſenii doctrinam publice repudiavit. Ex Janſenianis Gilbertus Mauguinus *Vindicias Prædeſtinationis*, Sinnichius *Molinomachiam*; ex Anti-Janſenianis Abellius *Medullam Theologicam*, Pereiretus *Apparatum ad Tract. de Gratia*, Vavaſſor *Janſenium ſuſpectum*, Annatus *Catholicam diſceptationem contra Fromondum*, publicarunt. Diſceptationes inter Abbatem Burzeiſium, Petavium & Campſium editis Burzeiſii *Dialogis* auctæ ſunt. Enata quoque lis eſt inter Alph. Monachum, Sorbonicum, & Abbatem Lalanium, Janſeniſtam, quorum hic *Diſſert. de initio piæ voluntatis*, & *Notas*, ille *libellum de Gratia* edidit. Multa quoque occaſione concionis P. Bernagii contra Janſeniſtas, & Jo. Nigri pro illis, ab Arnaldo & Nueto ſcripta ſunt. Iſaacus Habertus, recens renunciatus Epiſcopus Vabrenſis, pleroſque Galliæ præſules permovit, ut literis ab ipſo conſarcinatis ſub-
1651. ſcriberent, in quibus Pontificem rogabant, ut V Propoſitiones Janſenii damnaret, Arnaldo hos auſus publico ſcripto ſtatim carpente. Sequenti anno Archiepiſcopus Senonenſis & Epiſcopi Aginnenſis, Aurelianenſis, Catalaunenſis, Bellovacenſis, Valentienſis, Ambianenſis, Convenarum, aliique epiſtolæ, quam Habertus nomine Cleri Gallici univerſi ſcripſerat, contradixerunt, & Santamorium, qui Janſenii cauſam defenderet, Romam miſerunt; Regina autem Galliæ, inſtinctu Vincentii, Janſenianis valde ſe inimicam oſtendit. Romæ Generales Magiſtri Ordinis Dominicanorum & Auguſtinianorum pro Janſenio laborarunt. Pontifex Congregationem Cardinalium Spadæ, Romæ, Ginetti & Cochinni ad examinandas V Propoſitiones inſtituit. Santamorio ab Epiſcopis Gallis adjuncti ſunt Lalanius Abbas, & Lud. Angranus Sorbonicus, qui pari diligentia Romæ rem geſſerunt. Interea Janſeniſtæ *Catholicam expoſitionem V Propoſitionum*, & Annatus *Janſenium de Auguſtino peſſime meritum* ſcripſerunt. In Gallia lis de Catechiſmis Gratiæ recruduit. Jeſuitæ, ut Hibernos Pariſiis docentes ac diſcentes in ſuas partes traherent, multis fraudibus uſi ſunt; quæ res tandem penes Senatum ſummum Pa-

Digitized by Google

Pariſienſem in litem abiit, Sorbona ideo iterum in partes diviſa. Jeſuitæ Calaghanum Janſeniſtam Hibernum miſere vexarunt. Arnaldus *Apologiam Patrum* contra Alph. Monachum & Morellum edidit, Lalanius *Gratiam victricem:* Præmonſtratenſis Ordo in Gallia Janſenium damnavit. Holdenus & Duvalius, Doctores Sorbonici, conciliationem partium fruſtra tentarunt. Ex Anti-Janſenianis Campſius *Arcanum Janſeniſmi detectum*, Briſacerius *Janſeniſtas pro Calvinianis agnitos*, Petavius *Differt. de Adjutorio ſine quo non*, Jac. du Boſc *Chriſtum pro omnibus mortuum*, Annatus *Janſenium profligatum* ediderunt. Fromondus quoque, Campſius, & Randurius literarium certamen continuarunt, & Sinnichius *Peregrinum Hieroſolymitanum* publici juris fecit.

Dum controverſia Janſeniana Romæ tractatur, ibidem Annati *Liber de incoacta libertate*, Janſenianis necquicquam ſe opponentibus, prodit. Janſeniſtæ ibidem Auguſtini ſcripta quædam, magna cum Jeſuitarum renitentia, ediderunt. Interea ex Anti-Janſenianis 1651.
Gallis Hallerius Romam venit, qui Santamorio, Lalanioque reſiſteret, & condemnationem V Propoſitionum procuraret. Pontifex vero Congregationem Cardinalium, Spadæ, Ginetti, Cechini, & Chigii, ad examinandas iſtas Janſenii propoſitiones confirmavit, illique Conſultores dedit Vincent. Candidum Magiſtrum Palatii, Generalem Auguſtinianorum, Luc. Wadingum, Thom. Delbene, Sfortiam Pallavicinum aliosque, quorum de propoſitionibus iſtis judicia toto fuerunt cœlo diverſa. Briſacenius ediderat *Janſeniſmum confuſum*, in quo monialibus Portus Regii, Calaghano aliisque Janſeniſtis Calviniſmum & varia crimina tribuebat: hunc librum Archiepiſcopus Pariſienſis publice damnavit, Arnaldus edita *Innocentia Monialium P. R.* refutavit. P. a S. Joſepho cum Mareſio Janſeniſta collationem Sulpicianam Pariſiis habuit, ut & Sambovius Janſeniſta cum Labbeo. Tum Burzeiſius edidit *Auguſtinum Calvini & Molinæ victorem*. Vexationes Janſeniſtarum in Gallia creverunt, multis, v. gr. Maneſſerio, Cordono, a munerum publicorum aditu excluſis. Godofredus Hermantius Janſenianus edidit *Catechiſmum Gratiæ a corruptelis Mareſii Calviniani vindicatum*, oſtenſurus, Janſenianis cum Calvino prorſus non convenire: Annatus vero publicavit *Auguſtinum a Bajanis vindicatum*, & Martinonus *Anti-Janſenium*. Pontifex

Digitized by Google

tifex Præſulem Mechlinenſem & Gandavenſem Romam evocavit, ut a Janſeniſmo ſe purgarent; ſed illi, privilegia Belgii obtendentes, non comparuerunt. Sequenti anno Hallerius Dominicanos fru-
1653. ſtra in ſuam partem trahere allaboravit: hi ſero Janſenii cauſæ tandem acceſſerunt. Nam Pontifex auditis Conſultoribus, pridie Kal. Junii V Propoſitiones damnavit. Bulla hæc & in Gallia, & in Belgio magna cum multorum obmurmuratione publicata eſt. Cumprimis ægre ferebatur, quod Epiſcopi Pariſiis habitantes, quos Aulicos vocabant, eam ſine Fratrum aut Concilii Nationalis conſenſu recepęrint, utque ubivis promulgaretur, circularibus literis mandaverint, literas euchariſticas ad Pontificem ſcripſerint, & hæc omnia Mazarini ac P. de Marca inſtinctu nomine totius Cleri Gallicani egerint. Unde Catalaunenſis, Alectenſis, Aurelianenſis, Senonenſis & Bellovacenſis aliique Præſules bullam additis limitationibus promulgarunt; duo poſtremi etiam, ſcriptis Paſtoralibus literis, Janſenium in bulla Innoc. X non damnatum eſſe contenderunt. Interea Anti-Janſeniani victoria elati multa ediderunt, ſpeciatim Bailius *Lib. de beneficio Crucis*, Boſc *Triumphum S. Auguſtini*, Bagotus *Defenſionem libertatis*
1654. *& gratiæ Chriſtianæ*. Senonenſis Archiepiſcopi auſus, qui omnium maxime ingenue ſcripſerat, ita offendit Pontificem, ut judices ipſi Gallos quosdam Præſules daret, qui diu multumque, ſed fruſtra, collaborarunt, ut ad canendam palinodiam Senonenſem permoverent. Interea Pictavii, opera Fillonis, Advocati Regii, multæ contra Janſeniſtas excitatæ turbæ ſunt, & publica ſolennitate Janſeniſmus damnatus eſt. Eadem occaſio litem inter Epiſcopum & Canonicos Bellovacenſis excitavit. Campſius *librum de Hæreſi Janſeniana*, P. Adamus *Sepulchrum Janſeniſmi*, Labbeus *Bibliothecam Janſenianam & Annatus Cavillos Janſenianos* ediderunt, quos Janſeniſtæ poſt refutarunt. Conventus Epiſcoporum Aulicorum Pariſienſis præſide Mazarino declaravit, V Propoſitiones ab Innoc. X damnatas Janſenii doctrinam eſſe, & in ſenſu Janſenii eſſe rejectas, quibus tandem Præſul Senonenſis ceſſit. Inquiſitio Romana omnes Janſenianorum libros damnavit. In Belgio, Roſio Conſilii præſide loco mo-
1655. to, & Fromondo mortuo, res Janſenianæ collabi cœperunt. Poſt hæc Epiſcopi Aulici Pariſiis formulam profeſſionis fidei confecerunt,
quæ

qua Janſenius hæreticus pronunciabatur, multiſque Jeſuitarum artibus obtinuerunt, ut Rex eam confirmaret, adeoque illius ſubſcriptio toti Galliæ imperaretur: quæ res nubem litium turbarumque attulit. Presbyteri Pariſienſes Ducem Liancurtium ab Euchariſtiæ uſu ob Janſeniſmi ſuſpicionem excluſerant, quem Arnaldus duabus Epiſtolis defendere conatus eſt; ſed cum in poſteriori docuiſſet, neminem obligari poſſe,ut credat,Janſenium damnatas V Propoſ. docuiſſe (cum hæc facti quæſtio ſit, in qua Pontifex errare poſſit) & præterea, Petro, dum Chriſtum abnegabat, gratiam defuiſſe, affirmaſſet, Sorbona ejus libellos damnavit,damnato ad Pontificem provocante. Epitaphium Janſenii honorificum Pontificis juſſu ſublatum eſt. Sequenti annoArnaldus exSorbona ejectus eſt una cum Sanbeuvio:Chamillardus & Nicolai Sorboniſtæ contra illum ſcripſerunt,quos e veſtigio refutavit: Paſcalius ſub Montaltii nomine magno cum applauſu *Literas Provinciales* ſcripſit, Arnaldus vero *Thomæ veram de gratia efficaci & ſufficienti doctrinam*, nec non *Vindicias Thomæ*, & *Diſſertationem de Propoſitione controverſa*. Interea Minardus Janſeniſta Liburnienſis gravisſimas vexationes paſſus eſt. Epiſcopi Galli denuo ſubſcriptionem formulæ Anti-Janſenianæ urſerunt, & Arnaldi Propoſitio ab Inquiſitione Romana damnata eſt. Alexander VII novus Pontifex Janſenianis quoque inimicum ſe præſtitit. Paulo poſt vexationesJanſeniſtarum graviores fieri cœperunt,quas Feydeau Sorbonicus Doctor Pariſiis & Meloduni perpeſſus eſt. Alexander VII nova Bulla declaravit, V Propoſitiones damnatas ipſius Janſenii doctrinam eſſe,qua deciſione turbæ non tantum non diminutæ ſunt,ſed potius accreverunt, Arnaldo & Nicolio in hac,quam facti quæſtionem appellabant, Bullæ ſe maſcule opponentibus. In Belgio Creuſius, novus Præſul Mechlinenſis, Janſeniſtas aggreſſus eſt, Lindium præſertim & Vernimmium. Interea tumultus Janſeniſtici inter Canonicos Bellovacenſes orti aucti ſunt, Epiſcopus vero ſubſcriptioni formulæ fortiter reſtitit. Edita ſunt Moſis Burgenſis *Janſeniſmus damnatus*, Zachariæ Lexovienſis *Gyges Gallus*, R. Rapini *Evangelium Janſeniſtarum*. In Belgio crudelitas Creuſii & Jeſuitarum verſutia Lindium & Vernimmium mire exercuit, quorum illum ſcortationis per plures nefandas fraudes,hunc hæreſeos accuſarunt. Cæterum vexatio acropoli Janſeniſtarum,monaſterio nempePortus Regii,

1656.

1657.

1658.

1659.

Digitized by Google

ſenſim propior facta eſt, ex quo Arnaldus Andillius, Ex-Senator Regius, defendendæ familiæ ſuæ (quæ Arnaldum, Sacyum aliosque Janſeniſtas tulerat) cauſa ad Reginam & Mazarinum ſæpius ſcripſit. Bellovacenſes controverſiæ nondum conquieverunt. Tum
1660. Wendrokii & Stubrokii Notæ in Epiſtolas Provinciales prodierunt, Enthuſiaſtæ plures, præſertim Solitarii Cadomenſes, Olerius, Manorius aliique, libellis ſtultiſſimis & publicis clamoribus Janſeniſtas aggreſſi ſunt, excitantibus Jeſuitis. Apud Rhedonenſes Sevallius Presbyter Janſenianus, apud Pariſienſes Portus Regius graves vexationes paſſi ſunt. Cum Jeſuitæ fruſtra laboraſſent, ut Senatus ſupremus & Theologi Burdegalenſes Montaltii literas damnarent, tandem ſupera imis miſcentes obtinuerunt, ut in Conſilio Regio Pariſiis illud fieret. Interea P. a S. Joſepho *Defenſionem formulæ*, Amelottus *Defenſionem Pontificum & Epiſcoporum* ediderunt, quos Arnaldus refutavit. Lalanius *Explicationem facti & ſenſus*
1661. *Janſenii* ſcripſit. Interea formulæ Anti-Janſenianæ ſubſcriptio, ipſo Rege jubente, per univerſam Galliam facta eſt, quam qui recuſabant, in exilium pulſi, muneribus excluſi, maleque habiti ſunt. Oppoſuerunt ſe huic violentiæ quatuor Epiſcopi, Alectenſis, Andegavenſis, Convenarum, & Vincienſis. Moniales Portus Regii ejusdem formulæ cauſa graviſſime vexatæ ſunt, & propemodum ſupra exemplum. Sanbeuvius & Burzeiſius formulæ ſubſcribentes, a reliquis Janſenianis diſceſſerunt. Nunc ad *Partem tertiam* digredi-
1662. mur. Jeſuitæ initio anni ſexageſimi ſecundi in Collegio Claromontano defenderunt, Papam eodem non fallendi privilegio, quo Chriſtum ipſum, præditum eſſe; quam hæreſin Arnaldus ſcripto publico Præſulibus Gallis denunciavit. Lalanius Defenſionem Clericorum, qui formulæ ſubſcribere recuſabant, edidit, cujus recuſationis argumenta ad duo reduci poterant, videlicet, factum a jure diſtinguendum eſſe; ad factum pertinere, quod Pontifex V Propoſitiones damnatas in Bullis Janſenio tribuat; in hoc eum falli potuiſſe, nec cœcam ipſi obedientiam deberi: deinde, damnationi V Propoſitionum nude & ſine addita ſenſus hæretici explicatione non eſſe ſubſcribendum, ne gratia efficax ſimul damnaretur, quam Auguſtinus & Thomas defendant. Idem Andegavenſis aliique Epiſcopi ad Regem & Papam perſcripſerunt, verum irrito effectu. Paſca-

calius tum e vivis exceſſit, omnium Janſeniſtarum acerrimus. Epiſcopus Convenarum conciliationem partium ſtudioſe tentavit. 1663.
Ejus opera factum eſt, ut Lalanius Janſeniſta & Ferrerius Jeſuita Pariſiis colloquerentur, quos paci proximos Annatus disjunxit. Alexander VII novis literis Janſenii damnationem confirmavit, quibus firmati Epiſcopi aulici, Regem obnoxium habentes, Lalanii aliorumque Janſeniſtarum explicationem mitisſimam V Propoſitionum, in colloquio Pariſienſi licet initio Jeſuitis ipſis approbatam, Regi Pontificique oblatam, ut hæreticam notarunt. Janſeniſtæ ediderunt *Juſtos planctus*, *Jeſuitarum machinationes*, & *Defenſionem Epiſcoporum formulæ adverſariorum*, dum Niger & Richardus ob 1664.
Janſeniſmum exilio puniuntur. Annus ſexageſimus quartus plenus fuit vexationibus monialium Portus Regii, quas Archi-Epiſcopus Pariſienſis excommunicavit, monaſterio ejecit, & indignis modis tractavit. Janſeniſtæ editis *Epiſtolis imaginariis* ſuam ſortem que- 1665.
ſti ſunt. Pontifex Alexander VII precibus Galliæ Regis permotus, ut ſubſcriptioni ejus autoritas accederet, d. 15 Febr. anno 1665 novam formulam Gallis tranſmiſit Bullæ inſertam, quam omnes ſignarent. Hanc cum Epiſcopus Alectenſis promulgaret, addidit Eccleſiam, quantum ad factum Janſenii, non fidem, ſed quietem & reverentiam diſciplinæ poſcere, nec per Pontificis Bullam doctrinam de gratia per ſe efficaci ſublatam eſſe, quam Andegavenſis, Apamien- 1666.
ſis aliique ſecuti ſunt. In hos Pontifex ſcriptis acerrimis literis invectus eſt, judicesque ipſis delegatos novem Epiſcopos dedit, qui præſertim Alectenſem vexarent. Interea Alexander VII obiit, cui 1667.
Clemens IX ſucceſſit ad pacem pronior, ad quem XIX Epiſcopi Galli pro accuſatis epiſtolam ſcripſerunt. Ejus Nuncius ad Gallos miſſus, Bargellinus, Archiepiſcopi Senonenſis hortationibus locum dans, de ineunda pace cogitare cœpit. Cujus opera factum eſt, ut Epiſcopi, ſcriptis apologeticis ad Pontificem literis, & novis promulgationibus Bullæ factis, in gratiam reciperentur, nec ipſi ſolum, verum etiam Arnaldus aliique Janſeniani, etſi Sorbona eos ſibi reconciliatos habere noluerit. Atque hic definit Auctor, & ſub finem, quo pacto XXII Jeſuitarum & Schinkelii Propoſitiones ab Inquiſitionibus Hiſpanicis damnatæ ſint, additis etiam documentis, enarrat. Cæterum id obſervatu dignisſimum exiſtimamus, quod ex hoc libro addiſci posſint rationes, cur Dominicanorum familia

Pp 2 Jan-

Janſenii cauſam, quæ cum controverſia de Auxiliis arcte adeo connexa videatur, tam remiſſe tractaverit, imo nonnunquam illi ſe oppoſuerit, & quibus in momentis Janſeniani a Dominicanis diſſentiant. Nam Dominicanos gratiam ſufficientem & inefficacem, præter illam, quæ efficax vocatur, admittere notum eſt; hanc, vel ut Auctor ſentit, iſtud potius vocabulum, Janſenius repudiavit: præterea Dominicani efficacem gratiam etiam in ſtatu naturæ integræ admittunt, quam Janſenius negatum ivit. Nos, ſi quid preces noſtræ apud doctisſimum Auctorem valent, publico eum nomine rogamus, ut Hiſtoriæ hujus continuationem, cujus ſubinde ſpem facit, propediem nobis pari induſtria exhibeat. De cætero Lectorem monemus, nos in recenſione hujus libri Auctoris ſententiam ſecutos: neque enim hanc controverſiam noſtram facimus, fideles etiam impoſterum utriusque partis interpretes, quantum in compendio fieri poterit, futuri.

TRACTATUS PRÆCIPUI DE RENUNCIATIONIbus, ut pote Huberti Giphanii, Andreæ Dalneri, Henrici Breulæi, Bartholomæi Kellenbenzii, cura ac notis, itemque cum præfatione JO. SCHILTERI. Acceſſit Index ad omnes tractatus directus.

Argentorati ſumtibus Joh. Reinh. Dulſſeckeri, 1701, in 4.
Coſtant 6. Alphab. 2. plag.

JUri publico, i. e. publice ab Imperante conſtituto, pactis privatorum derogari non poſſe, & tamen cuivis licitum eſſe, juri pro ſe introducto renunciare, trita ſatis in ſcholis juridicis ſunt dicteria. Quæ quidem, ſi obiter eadem expendas, inter ſe pugnare videntur; ſed ſi leges obligantes & permittentes, ac inde ortas obligationes & jura diſtinguas, facile illa conciliaveris. Quemadmodum autem regulariter licitum eſt, juri ſuo renunciare, cum invitis illud leges obtrudere non ſoleant: ita renunciationes etiam in vita civili ſunt frequentisſimæ; quæ res effecit, ut renunciationum materiam dudum Viri Conſultisſimi dignam judicaverint, cui meditationes ſuas impenderent. In hanc claſſem præcipue referri debent, quorum Nomina clarisſima modo in Rubrica exhibuimus. Giphanii tractatus brevitatem propriam Conſiliorum illuſtrium adjuncto-

rum

rum ubertate facile penſat. Dalnerus Epitomen de Repreſſaliis addidit, ac Giphanio paulo prolixior eſt. Breulæus Dalnero fere æqualis, ſed Kellenbenzius omnes prolixitate operis vincit. Duo priores præcipue videntur reſpexiſſe ad jus civile, ac de capitibus renunciationum ſyſtematice exhibendis fuerunt ſolliciti. Aſt duo poſteriores juris Germanici rationem quoque habuerunt, & renunciationes, quas familiarum illuſtrium atque nobilium Fœminæ, in gratiam Fratrum & Agnatorum, ad conſervandum Generis ſplendorem facere ſolent, perſecuti ſunt. Sed de his Autoribus diſſerere jam non attinet: dudum enim eorum ſcripta Eruditorum manibus teruntur, ut nunc recenſum moliri, nimis ſerum ſit. Illuſtris Schilterus, qui nullam de re literaria & publica præclare merendi occaſionem facile elabi patitur, laudatos Autores uno volumine conjungi curavit, utilemque iſtam ſocietatem ſuo condecoravit præloquio. In eodem ambiguitatem vocabuli *renunciandi* evolvit. Nam aliquando renunciare idem eſt, ac aliquid, per nuncium inprimis, referre, declarare, vel exponere, quod Germani per verba *kund thun*, *verkündigen*, *berichten*, *verrathen*, exprimunt; aliquando vero diſceſſum ab obligatione, non præciſe ſtringente, illa vox innuit, ut ſi quis ſocietati mercatoriæ, vel matrimonio (quando ſcil. divortia ut licita ſupponuntur) renunciet, quem ſenſum Germanorum *uſkündjgen*, *abſagen*, ſatis ſignificanter exhibet. Denique id nominis abdicationem juris competentis notat, quæ notatio eſt frequentisſima, ac a Germanis per *verziben* vel *verzicht thun*, non infeliciter exprimitur. Poſtea celeberrimus Autor, repetita ex Jure Naturali & Gentium renunciationum origine, inter varias earum ſpecies, illam, quæ circa ſucceſsiones hereditarias cernitur, præeminere cenſet, & licet eam leges Romanæ improbent, attamen & jure naturali permitti, & plurimarum, ac inprimis Germanicarum Gentium legibus, praxi & obſervantia, juxta quam familiarum illuſtrium Fœminæ frequenter ſucceſſionibus, ne Alſatia quidem, ſecus ac exiſtimaverat Knipſchildius, excepta, renuncient, corroborari amplius docet. Denique jure Gentium, ad renunciationem nihil niſi ſerium conſenſum requiri, nec juramentum, licet Eſavus, prærogativæ ſuæ renuncians, a fratre Jacobo ad illud fuerit adactus, aut judicis præſentiam, neceſſaria

eſſe, contendit Illuſtris Autor, cumque jus Saxonicum, aliaque jura Germanica, cum illa juris Gentium ſimplicitate convenire exiſtimet, hinc memorabilem infert concluſionem, quod, ſi in foro Germanico, de valore renunciationis injuratæ & extrajudicialis, proponatur quæſtio, illa non ex Juſtinianeo vel Canonico, ſed Germanico potius jure decidenda & adeo affirmanda ſit, quam veritatem major lux Aſtrææ hodie affulgens cordatioribus etiam inſinuet, utut paucis olim vera hæc juris principia fuerint cognita.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΟΥΣΤΙΝΟΥ ΑΠΟΛΟΓΙΑ ΠΡΩΤΗ ὑπὲρ Χριστιανῶν.

h. e.

SANCTI JUSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS Apologia prima pro Chriſtianis ad Antoninum Pium, edita a JO. ERNESTO GRABE.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1700. 8. Plag. dimid. 28.

SPicilegii Patrum & Hæreticorum, cujus duos jam faſciculos orbi erudito clariſſimus Grabius obtulit, tres alios ſpiſſiores atque meliores, præter novam Irenæi editionem, dum a ſolertia ejusdem expectamus, priorem hanc Juſtini Martyris Apologiam pro Chriſtianis Antonino Pio oblatam interea accipimus; quem libellum ideo ſibi admodum placuiſſe ſcribit Editor, quod nullum ſit Chriſtianæ fidei dogma, nullum vitæ recte agendæ præceptum, nullum ſacramentum, cujus tenorem non declaret, ordinemve exponat. Quid? quod argumentis etiam ex Sacra Scriptura, nec non ſanæ rationis dictamine, petitis ſingula confirmet, ac, quomodo Ethnicis quoque ex ipſis eorum ſive Poëticis commentis, ſive Philoſophicis documentis probata, vel potius probabilia reddi queant, luculenter oſtendat. Atque hoc doctrinæ divinæ compendium eo majoris æſtimandum eſſe dicit, quo propius Autor ejus ad SS. Apoſtolorum ætatem acceſſerit, eorumque aut diſcipulus extiterit, aut non procul ab illorum temporibus inter religionis Chriſtianæ ſectatores maxime floruerit. Genuinum vero S. Martyris opus eſſe apologiam hanc, probatione haud egere aſſerit, cum nemo iſtud iverit inficias, atque tam ex internis argumentis, quam externis Patrum teſtimoniis, quin & iteratis pro-

prolixis ejus apud Euſebium in Hiſtoria Eccleſiaſtica allegationibus, iſtud ſatis conſtet. Dolendum modo id venire innuit, quod injuria temporum parte quadam mancus, aliquibus etiam partibus, per negligentiam vel imperitiam ſcribarum,uno alteroque articulo parumper mutilatus vel corruptus hic libellus ad nos pervenerit. Ad methodi rationem quod attinet, duabus partibus integrum abſolvi monet opuſculum, quarum priori Chriſtianorum ac doctrinæ Chriſtianæ innocentiam, bonitatem utilitatemque, & hujus cum quibusdam Ethnicorum placitis dogmatibusve affinitatem Juſtinus probet, & ſimul, quam inique Gentiles ac violenter Chriſtianos inſectati, quamque ſubdole Dæmones adverſus eos machinati fuerint, luculenter ob oculos ponat: poſteriori autem Chriſtianæ fidei veritatem plane demonſtret, argumento a prophetiis, velut firmiſſimo, petito,quod per omnes illius articulos egregie deducat, tandemque Chriſtianorum conventuum ac Sacramentorum in iis adminiſtratorum ordinem exponat, atque rationem eorundem reddat, Ethnicorum quoque ſacrorum in quibusdam ſimilitudinem a Dæmonibus, malo quidem fine, procuratam obiter oſtendat. In gratiam autem eorum, qui totius Apologiæ ſeriem & ſummam diſtinctius cupiant perſpicere, Johannis Langi (quem dudum de Juſtino Martyre bene meritum fuiſſe, norunt Eruditi,) præfationem huic editioni integram præfigi curavit. In ea quidem occurrere nonnulla refert, quæ animadverſionem mereantur, ſed præterire ſe hæc velle addit, ultimis verbis exceptis, ubi Apologiam Juſtini ad Marcum Antoninum, cujus Nicephorus meminerit, extare ille inficietur. Omnino enim haberi eandem, & ab ipſomet Lango cum reliquis Juſtini tractatibus Latine verſam eſſe oſtendit. Græcum textum e Roberti Stephani exemplari tanquam prototypo expreſſit, nullosque præſto ſibi fuiſſe manuſcriptos codices conqueritur. Operam tamen ſe daturum ait, ut quendam in Bibliotheca Regia Pariſienſi conditum cum hac editione impoſterum conferre queat, & annotata inde haurienda exhibeat in calce alterius voluminis, ejusdem cum hoc formæ, quod poſteriorem Juſtini Apologiam & Orationes contra Gentiles, una cum libello de monarchia Dei complectetur. Latinum textum ex Langi verſione dedit, quippe quam Geleniana & Perioniana meliorem duxit, aſt plurimis tamen hanc

ipſam

ipſam quoque in locis mutavit & correxit, partim quod ſæpe eltra neceſſitatem redundans paraphraſi propior eſſet, partim quod ſenſum autoris aut non dilucide expreſſerit, aut prorſus ab eo aberrarit. Denique notas doctiſſimorum Virorum, Roberti ac Henrici Stephanorum, Perionii, Billii, Sylburgii, Scaligeri, Halloixii, Caſauboni, Montacutii, Grotii, Salmaſii, Valeſii, Cotelerii, ſumma cura undique collegit, plurimasque proprias addidit, & quæ ad verborum ſententiarumve Juſtini emendationem vel neceſſariam expoſitionem pertinere duxit, continuo textui per ſingulas paginas ſubjecit. Prolixiores vero Langi & Kortholti annotationes ad calcem libelli reſervavit. Unum tamen atque alterum nimis generalem nimisque prolixum Langi tractatum, de myſterio Trinitatis & Sacramento Euchariſtiæ, deque Sacramentis in genere, conſulto ſe omiſiſſe haud diſſimulat.

RECHERCHES SUR LA NATURE ET LA GUERIſon des Cancers &c.

i. e.

DISQUISITIO DE NATURA ET CURA CANCRI. Autore DESHAIES GENDRON, *Doctore Medic. in Univerſitate Monſpelienſi.*

Pariſiis, apud Florentinum & Petrum Delaulne, 1700. in 12. Conſtat plagulis 7.

INter tumores, qui præter naturam hominem affligere ſolent, periculoſiſſimus ſine dubio eſt, qui Cancri nomine inſignitur. Sive enim refractarium ejusdem genium attendas; ſive loca, quæ non raro ſatis nobilia infeſtat, perluſtres; ſive graviora ſymptomata concurrentia dubiumque curationis eventum contempleris; nil niſi miſerrimam hac labe laborantis ægri conditionem deprehendes. Quandoquidem vero quæ majori cum periculo conjuncta, majori etiam ſtudio pertractanda ſunt, laudem haud exiguam merentur, qui poſthabitis omnibus præconceptis opinionibus, in naturam & curam pertinaciſſimi hujus mali inquirere, operæ pretium ducunt. Videamus brevibus, quid hoc in libro Dn. Gendron, Medicus Monſpelienſis, præſtiterit, ac quibus rationibus præſentem ſuam

Digitized by Google

am de Cancro diſquiſitionem ſuperſtruxerit. Obſervamus autem primo ſtatim limite, in explicanda affectus hujus natura Autorem ab antiquorum juxta & modernorum dogmatis penitus recedere: & cum veterum doctrina ex humore atrabilioſo aduſto ac corrupto originem hujus mali deduxerit, modernorum vero plerique acidum fermentum in generando hoc tumore accuſare ſoleant; Autor noſter neque hanc, neque illam approbare ſententiam videtur, dum naturam & cauſam hujus mali in partibus corporis noſtri ſolidis quærendam eſſe ſtatuit. Uno verbo, nihil aliud ſub Cancro concipiendum eſſe putat, quam partium nervoſarum, glanduloſarum, vaſorumque lymphaticorum transformationem omnimodam in ſubſtantiam quandam homogeneam, duram, compactam, accretionis atque exulcerationis capacem, quam a ſolo defectu & ceſſatione ſucceſſiva roboris fibrarum, vaſorum excretoriorum & glandularum naturalis originem trahere perſuaſus eſt.

Præmiſſis igitur capite primo de cognoſcendo hoc tumore generalibus, incipit capite ſecundo tractationem ipſam cum deſcriptione Cancri accuratiori. Siquidem autem malum hoc, reſpectu originis, progreſſus & ſituationis ſuæ, adeo diverſe ſe repræſentare ſolet, ut ſimplici quadam definitione comprehendi nequeat, optimo conſilio ſingulas Cancri ſpecies ſingulari deſcriptione proponit, initium faciendo a Cancro mammarum, progrediendo poſtmodum ad uteri, oris, narium, cutis, aurium atque oculorum tumores cancroſos, quos ſigillatim a primo germine ad ultimum usque exulcerationis terminum exacte deſcribit.

Capite tertio examen ſubſtantiæ cancroſæ anatomicum inſtituit: ad quod ſuſcipiendum certæ quædam Autorem circumſtantiæ invitabant, in cura Cancri frontis obſervatæ, quæ tales erant: applicabat ulceri cancroſo in medio frontis viri cujusdam conſpicuo remedium corroſivum, atque eſchara hinc excitata & delapſa, vulnus conſolidabat. Elapſo aliquo tempore, juxta cicatricem de novo apparebat durities quædam exigua, livida & valde dolens, quam applicato eodem corroſivo extirpare ſatagebat. Cum autem, poſt decurſum aliquot menſium, æger eodem malo iterum infeſtaretur, tertia vice, aucta tamen doſi, corroſivum illud remedium repetebat: tentabat autem hac vice, impatientia motus, e-

Digitized by Google

ſcharam cum ſtylo commovendo, ex ſede ſua eandem deturbare, obſervabatque in interſtitio illo, quod carnem atque eſcharam intercedebat, alba quædam filamenta, dura quodammodo, quæ ope forcipiculæ una cum eſchara tandem extrahebat, non ſine inſigni tamen patientis dolore. Erant autem hæc colore & ſubſtantia filamentis radicum porri non abſimilia, atque originem ex diverſis frontis partibus ducebant. Poſtquam tandem ſimplici quodam emplaſtro vulnus conſolidaverat, malum poſtea nunquam apparebat, ſed perfecte curatum deprehendebatur. Ex quo, ut & aliis Cancri examinibus anatomicis quamplurimis, per integros octo annos, ſedula attentione inſtitutis, ſequentia formare non dubitat axiomata:

1. Cancrum naſci in partibus glanduloſis, nervoſis & locis illis omnibus, ubi vaſa lymphatica atque excretoria occurrunt numeroſiora, eundemque perpetuo ſub una eademque comparere ſubſtantia dura, compacta, plus minusve dolente, accretionis itidem atque exulcerationis capaci.

2. Subſtantiam illam perfectiorem obſervari in mammis atque utero, ubi cum cornu teneriori & vaſis ſanguineis referto comparari non incongrue poſſit.

3. Subſtantiam illam compactam & duram, quæ in Cancro ſemper & ubique invenitur, Cancrum conſtituere eſſentialiter, ac formatam eſſe per deſtructionem ſtructuræ glandularum vaſorumque lymphaticorum, quæ, ceſſante functione conſueta, ad filtrationem amplius non ſint idonea, atque ideo, tractu temporis, in ſubſtantiam abeant jam deſcriptam.

4. Non confundendam eſſe cum ſubſtantia Cancri ipſa excreſcentiam illam fungoſam, in Cancro exulcerato aliquando conſpicuam, quippe quæ formetur ſaltem ex ſola diſciſſione fibrarum carnoſarum vel muſculorum, qui, facta jam exulceratione, denudantur; hinc etiam ſubſtantiam ejusdem mollem eſſe, minus ſenſatam atque extirpatu faciliorem.

5. Livorem circa tumores cancroſos conſpicuum, qui ut effectus acidi corroſivi communiter ab autoribus conſideratur, ex ſola interruptione circuli ſanguinis eſſe deducendum.

Poſtquam ſub initium capitis quarti objectionibus veterum & modernorum, de cauſa hujus mali in acido quodam corroſivo quæren-

renda ſatisfecit, ſuam de genuina Cancri cauſa in eodem hoc capite proponit ſententiam, quæ, ut ſupra jam facta eſt mentio, hæc eſt: nimirum veram tumoris cancroſi cauſam nullam eſſe aliam, quam deſtructionem ſucceſſivam roboris canalium vaſorumque excretoriorum naturalis, quæ (ſc. vaſa,) ceſſante functione ſua ordinaria, in ſubſtantiam illam duram & compactam, quam Cancrum appellamus, abire neceſſe ſit.

Non ſufficit autem Autori, dediſſe naturam & cauſam hujus affectus; pergit itaque capite quinto explicando accretionem vel incrementum ejusdem. Hoc ſequentem fere in modum fieri ſibi concipit: ſuppoſito ſcilicet perpetuo illo commercio, quod glandulæ ratione uſus & functionis inter ſe habent invicem, fieri aliter non poſſe putat, quam ut Cancri germen, vel indurata illa parva ſubſtantia, cum vicinis glandulis, vaſis ſanguiferis ac nervis communicet per compreſſionem continuam certas quasdam alterationes, quæ impediant, quo minus ſpirituum & ſanguinis ſufficiens quantitas ad partes illas deferri queat; quo facto, robur earundem naturale labefactari, & functiones conſuetas ceſſare, atque hoc modo corruptionem illam, quæ in induratione partium conſiſtit, ulterius propagari evidens ſit. Atque ex hoc ipſo fundamento, quod ſcilicet maſſa cancroſa ex deſtructione & coalitione fibrarum nervoſarum & glanduloſarum formetur, ex humore lymphatico nutritionem capiat, atque absque ullo impedimento indies ad ſenſum accreſcat, putat, non inconvenienter poſſe incrementum hujus mali per cornuum generationem in quadrupedibus explicari. Imo, prout ejusmodi cornua, accretione ſua continua, dolorem vel pruritum animalibus in fronte excitare ſolent, ita & Cancri ſubſtantiam duritie ſua partes nervoſas ſatis moleſte comprimentem, ad dolores excitandos ſufficere poſſe, absque falſa acidi corroſivi ſuppoſitione, omnino perſuaſus eſt. Negat præterea, per bonam conſequentiam, dolorem eſſe characterem Cancri ſpecificum atque individualem; id quod nec Avicennæ ignotum fuiſſe aſſerit, quippe qui jam ſuo tempore differentiam inter Cancrum dolentem atque indolentem agnoverit.

Caput in ordine ſextum orditur a cautela illa, quæ in diſtinguenda exulceratione Cancri & Cancro ipſo obſervari debet. Putat

Digitized by Google

tat enim, diverſam omnino eſſe cauſam Cancri ab exulcerationis ejusdem cauſa; hanc autem neceſſario ſupervenire Cancro putat, ſtatim ac tumor cancroſus integumento cutis naturali ſpoliatur. Rupta enim, propter accreſcentem quotidie Cancri tumorem, cute, ſimul & vaſa illa dilacerantur, quæ ad ſubſtantiam cancroſam ſuccum afferre ſolebant nutritium, quibus disruptis imprimi humoribus illis extravaſatis aceſcentiæ cujusdam ſpeciem, quæ a corruptione nullo modo defendi poteſt, probabile ſit. Eandem enim cauſam proximam, ex Autoris noſtri ſententia, Cancri exulceratio agnoſcit, quam reliqua ulcera pleraque experiuntur: quod autem adeo differant, ratione difficillimæ curationis, ulcera cancroſa ab aliis ulceribus, a ſola dependere videtur ſtructura cancroſæ ſubſtantiæ, quæ adeo quidem a ſtatu naturali recedit, ut nihil ſuperſit, quo natura ad reductionem in ſtatum priſtinum uti queat.

Explicatis hoc modo natura, cauſa, incremento atque exulceratione cancri, neceſſarium ducit Autor applicare ideam illam, quam de ortu & natura cancri dedit, phænomenis in aliis tumoribus, qui in cancroſos degenerare ſolent, obſervandis. Agit itaque capite ſeptimo de ſcirrho, ſcrophulis, polypo, ſarcomatis, epulide atque ozæna, i. e. tumoribus illis, qui tractu temporis, ſi negligantur, cancroſi fieri ſolent. Horum autem transformationem facillime concipi poſſe putat, ſi conſideremus, ſecundum autoris opinionem, quod omne id, quod durum eſt, compactum, cornu teneriori ſubſtantia ſua ſimile, cancroſum appellari mereatur, & quod durities illa compacta nihil aliud ſit, quam transformatio partium nervoſarum vaſorumque lymphaticorum in corpus ejusmodi calloſum, quod denique per collectionem partium homogenearum ac nutritionem illam, quam continuo recipit; incrementi ſenſibilis, ac ſi ulterius augeatur, exulcerationis capax evadit; uti jam explicatum in præcedentibus fuit.

Supereſt caput ultimum, octavum nimirum, in quo curam Cancri tam veram quam palliativam proponit. Et veram quidem duplicem iterum facit, aliam nimirum per exſectionem vel amputationem partis cancroſæ; aliam per applicationem cauteriorum inſtituendam. Et quamvis alias autorum nonnulli operationes chirurgicas omnes in Cancro maxime ancipites faciant, nihilominus

nus tamen Autor noſter ferro inſtituendam extirpationem ejusdem eſſe aſſerit in tali caſu, quando tumor cancroſus mobilis eſt adhuc ad ſenſum, & nullibi lateraliter adhæret, conſequenter nulla de ſe ſpargit adhuc filamenta, quæ vicinas partes jam inquinaverint. Hujus autem naturæ Cancrum eſſe omnem, qui a ſcirrhoſo vel ſcrophuloſo tumore originem trahit, conſequenter huic curationem ferro inſtituendam nunquam denegandam eſſe, ſatis ingenioſe probat. Annotari etiam meretur, quam hac occaſione inculcat cautelam, facta jam ſectione tumoris cancroſi probe obſervandam: imtempeſtivo nimirum conſilio a quibusdam præcipi, ut paulo diutius ſanguis efflui e vulnere permittatur; id quod omnibus modis improbat, & ſibi potius conſuetum eſſe docet, ſtatim poſt operationem linea carpta corroſivo quodam arſenicali imbuta applicare, ad vaſa ſanguinea cauteriſanda, eſcharamque ita ſeparandam, ut ſimul evellatur quod de filamentis cancroſis ſupereſſe poteſt. Neque vero alteram curandi rationem per ſic dicta eſcharotica penitus improbat, quamvis eandem ab imprudentibus Helmontianis ac Paracelſiſtis infelici utplurimum ſucceſſu in uſum vocari frequentius, non neſciat, quin potius duo diverſa proponat exempla curatorum per eſcharotica a ſe ipſo ejusmodi tumorum: alterius quidem in gingiva mandibulæ ſuperioris, alterius vero in palpebra oculi ſiniſtri ſuperiori; qua occaſione ſimul artificium illud publicare non dubitat, quo mediante, oculi bulbum a contactu applicati corroſivi, maxime nocivo, defendit, auro nimirum foliato, quod inter palpebram & bulbum ipſum, ante cauterii applicationem, ſumma cum circumſpectione intruſerit. Monet autem in curatione per eſcharotica in genere maxima opus eſſe cautione, ut cauſticum illud vel corroſivum remedium inter partem ſanam & duritiem ipſam cancroſam ſemper applicetur; quod ſi enim cauſticum imponatur ſubſtantiæ cancroſæ ipſi, facile poſſe per dolorem illum, quem producere ſolet, occaſionem dari filamentis nervoſis vaſisque lymphaticis abeundi in ſimilem cancroſam ſubſtantiam, atque ita ex tumore cancroſo ſimplici occultum fieri atque incurabilem.

Hæc de cura cancri vera & radicali. Supereſt, ut de palliativa ad mentem Autoris quædam proferamus. Putat autem, quod ante

re omnia monendum, curæ huic palliativæ nullo modo contrarium eſſe Hippocratis aphoriſmum 38 Sect. 6, ubi hæc leguntur verba: quibus occulti cancri fiunt, non curare melius. Nunquam enim Hippocratem, ut falſo nonnulli aſſerere audent, docuiſſe, penitus relinquendos eſſe ejusmodi ægros, qui cancro occulto, i. e. incurabili, laborant: ſed dicendo *non curare melius*, illorum ſaltem inſtitutum improbare, qui ferro aut cauteriis cancrum occultum, i. e. per diſperſas jam hinc inde ac profundius infixas radices ſuas incurabilem, tractare temerario auſu conantur. Impoſſibilem enim in ejusmodi cancro induratæ ſubſtantiæ reſolutionem, atque exulcerationis conſtantem conſolidationem, haud ignoraſſe Hippocratem, certiſſimum eſſe putat. Quam funeſtum autem temerariæ cancri occulti curationes ferro aut cauteriis inſtitutæ exitum communiter habeant, comprobat illuſtri Reginæ Galliæ, Annæ Auſtriacæ, hodierni Regis Galliarum matris exemplo, quæ cancro occulto mammæ ſiniſtræ affecta, reiteratis multoties Regis atque Aulicorum ſuorum precibus, cogebatur curam ejusdem temerario cuidam Helmontiano committere, adeo infelici autem ſucceſſu, ut non ſolum a malo hoc non liberata, ſed & inſuper in longe pejorem ſtatum translata fuerit, ita ut paucis ab inſtituta cura annis, ex eodem cancro tandem interierit. Colligit inde ſatis judicioſe, nunquam curam cancri occulti radicalem a conſcientioſo Medico tentandam eſſe; interim tamen tam ante, quam poſt ejusdem exulcerationem, palliativa remedia locum omnino habere. Ex his autem palliativis remediis alia, ſecundum Autorem, interna ſunt, quæ *non niſi* in tali caſu conveniunt, ubi ab interna cauſa malum hoc originem trahit, e. g. aurum diaphoreticum Poterii, remedia ♂ialia, præparationes lumbricorum terreſtr. variæ, & Tinct. ♁ii, ad mentem Baſilii Valentini parata. In applicatione externorum ſequentia ſedulo advertenda eſſe docet: nimirum præſente dolore nimis pruriginoſo aut pungente cavendum, ne per diuturniorem ejusdem continuationem cancri involucrum ad exulcerationem usque augeatur, id quod impediendum narcoticis potiſſimum, quale eſt *ſolanum* furioſum, ab Italis Bella Donna dictum, quo Abbas Gendron, Autoris cognatus, in cancri cura ſuo tempore omnium feliciſſimus, & Percivallus Willughby, Anglus, ut arcano uſi fuiſſe

fe-

Digitized by Google

feruntur; huic autem Autor noſter tantillum ſachari ♄ni, pro rei exigentia & cum cautione, addere ſolet: ſtatim ac vero dolores iterum ceſſaverint, narcotica hæc etiam auferenda eſſe ſerio ſuadet, quippe quæ, ſi continuentur nimis diu, pejora prioribus ſymptomata excitare valeant. Contra nimiam partis cancroſæ indurationem commendat ſacculos Abbatis illius, cujus jam facta eſt mentio, quorum præparatio conſiſtit in calcinatione lapidis cujusdam poroſi, in Belſia, Franciæ juxta Ligerim provincia, reperiundi, ex quo ſal lixivioſum extrahere ſolebat; hujus autem topici virtutem per additionem ♁is ♂is, ♄ni & ♀is multum augeri poſſe ſimul monet.

Exulceratione jam facta, ita tractandum eſſe malum hoc Autor noſter docet, ne a ſimplici & ſuperficiali exulceratione ſtatim degeneret in ulcus profundum, cum effuſione continua tinctæ ſeroſitatis, fœtore cadaveroſo, labiis durioribus inverſis, atque excreſcentiis fungoſis conjunctum. Hunc in finem non inconvenienter applicari poſſe linea carpta ſucco plantaginis, ſolani & melle imbuta, hac tamen cautione, ne per diuturniorem eorundem uſum, extremitates fibrarum exulceratarum plus juſto emolliantur, atque ita conſuetis alterationibus magis obnoxiæ reddantur. Ab hoc remedio deveniendum ad uſum aquæ ex plantagine, bella donna, albumine ovorum, melle, vitriolo albo & cancris fluviatilibus deſtillatæ, qua ulcus non ſolum lavandum, ſed faſciæ etiam imbuendæ. Hac ipſa aqua enim valde demulceri dolores, certiſſimo experimento affirmat; ne tamen plus juſto emolliatur ulceris fundus, ſtatim poſt ejusdem uſum adhibere iterum aquam plantaginis deſtillatam, in qua lapidis medicamentoſi Crollii parum ſolutum fuerit, neceſſarium ducit. Prout autem ultimo hoc ulceris fundus nimium etiam deſiccari poſſit, ad mentem Autoris neceſſe erit, interponere applicationem mumiæ mineralis Poterii cum tantillo myrrhæ, quibus conſpergendum ulcus, ac contegendum probe linteo duplicato oleo olivarum & lithargyrio imbuto, pro arcendo aëris acceſſu, ulceribus ejusmodi admodum nocivo. Ad extirpandam ulceris excreſcentiam fungoſam commendat Autor præ cæteris pulverem arſenici & Realgar ad mentem Theophr. Paracelſi paratum. Aquam autem quandam phagædenicam cum tantillo myrrhæ atque aloës mixtam, in

Digitized by Google

in tali caſu convenire aſſerit, ubi ulcus ipſam ſubſtantiam cancroſam penetret profundius, & diſpoſitio ad putredinem vel ſphacelum jam adſit. Tandem finiendo totum tractatum fatetur, cardinem curationis unice in hoc conſiſtere, ut probe obſerventur a Medico indicationes omnes, quæ commutationem jam allegatorum topicorum poſtulant.

D. VITI RIEDLINI, ULMENSIS, PHYSICI AUGUſtani & Academici Curioſi, Linearum Medicarum Annus Sextus & Ultimus.

Auguſtæ Vindelicorum, impenſis Laurentii Kronigeri & hæredum Theophili Göbelii A. 1701. in 8. Conſtat Alph. 4. plag. 3.

SExtus agitur annus, ex quo Autor noſter Experientisſimus, inſtar arboris perquam frugiferæ, novos ſemper fructus Medicos, Linearum Medicarum titulo ubertim protulit, a nobis quoque in Actis quoad partem ſedulo decerptos. Nec impoſterum plures ſub alio nomine porrigere deſiſtet, modo Deus, quas ſerio apprecamur, clementer concesſerit vires, atque Bibliopola diſtribuere eosdem voluerit, veluti ad cujus nutum præſenti anno Lineis finem debuit imponere. Sed quo ex ſingulis nunc menſibus aliqua obſervatio innoteſcat, lubet doloroſum manuum ſpaſmum, qui in matrona tenerioris conſtitutionis, non tam remediis ſpirituoſis, quam rei cuique frigidæ arreptæ cedat promtiſſime, ex *Hiſtoria XXX Menſis Januar.* primum innuere, hincque pergere ad alia. Etenim inſignis Arcani duplicati in affectibus melancholicis efficacia, quam Langelott quondam apud Schrœderum celebravit, per experientiam quoque in *Lin. VI Februar.* corroboratur, poſtquam vidua quinquagenaria major in melancholia habituali multum levaminis a laudato habuit ſale, noctesque transegit quietius. Quemadmodum morbilli aliquando & variolæ non partes ſolum externas, verum internas etiam ſolent infeſtare: ita aphthas pariter non in ore atque faucibus ſubſiſtere, ſed ad ventriculum interdum atque inteſtina prorepere, in *Linea V Mart.* filioli nondum quadrimeſtris exemplo detegitur, quippe qui tum demum, quando aphthæ ſedem ſuam conſuetam reliquerunt, peſſime ſe habere cœperit, ac febre vehementi primum, hinc ſucceſſive etiam raucedine, vomitu atque fluxu

alvi

alvi torminoſo corripi, non ceſſante prius, quam cum plures cruſtulæ & aphtharum reliquiæ cum excrementis ſeceſſiſſent. Fœminæ tenuioris conditionis arthritide vaga decumbenti purgans magis, quam medicamenta alia profuiſſe, in *Hiſtor. IV. April.* traditur, quod vitioſi in eadem humores nec per inſenſibilem tranſpirationem omnes dispelli, nec per ſudorem evacuari potuerint. *In Hiſtor. XIX. Maji* ſequens remedium adverſus calculum communicatur, quia in monaſterio quodam pro arcano habitum nonnullis monachis contulerit, quinque ante prandium horis calide ſumendum: ℞ Pulv. Millep. pp. ʒj vel ad ſumm. ℈iv. Aqu. vitæ ℥ß. Jur. Cicer. rubr. ℥ix vel x. Miſc. Num calculo tamen etiam majori & duriori comminuendo habeatur proportionatum, non ſine ratione dubitatur. In *Lin. X. Jun.* egregiæ ſtercoris vaccini in abſceſſibus v. g. ad dentes carioſos rumpendis atque ambuſtis ſanandis enarrantur vires, cum nec graviſſimum Medicum pudeat talia ſordida ſuadere, ubi neceſſitas poſtulaverit, aliaque præſertim medicamenta ad manus non fuerint. Exemplum graviora minantis brevique ceſſantis dyſenteriæ in *Lin. XXVII. Jul.* exhibetur. Piſtor videlicet placentarius quinquagenario major, intra triduum, beneficio potionis alexipharmacæ, Rhabarbari toſti & Methridatii perfecte reſtitutus, etiamſi poſt iram, triſtitiam atque curas de torminibus atque fluxibus alvi ſanguinolentis primum, mox de rigore etiam & æſtu febrilibus, cum virium proſtratione, conqueſtus fuiſſet. Ab improvido uſu Tincturæ bezoardicæ, quam multi adhibere prius malunt, quam Medicum conſulere, ſæpe pathemata ingraveſcere, in *Lin. XX. Auguſt.* oſtenditur, dum Eryſipelas in virgine ab eadem uſurpata non unam amplius faciei partem, ſed integram eam occupare cœpit, calorque in tantum augeri, ut animi deliquia imminerent. Vir quadragenario major arthritide pedis ſiniſtri laborans, remedium tandem in Veſicatorio ſe inventurum, atteſtante *Lin. VII. Septemb.* fruſtra credidit, quoniam emplaſtrum veſicatorium haud procul a digito pedis dolente applicatum veſicas quidem excitavit, dolores tamen auxit potius, mitigavit minime. *In Lin. VII. Octobr.* præſtantia Sem. Coriandri atque Aniſi in nimio menſium fluxu compeſcendo per experientiam mulieris comprobatur, quæ a Medicis tali in caſu auxilium nullum, a duobus autem dictis ſeminibus pro uno crucigero comparatis præ-

Digitized by Google

ſentaneam perſenſerit opem. Ut de virtute flor. cyani ophthalmica conſtaret certius, *Obſ. XXX. Novembr.* nobilis ſiſtitur matrona, cui in tanta viſus debilitate, ut objecta vix amplius diſcernere potuerit, aqua cyani oculis inſtillata, profuerit egregie. Tandem *Hiſtor. XII. Decemb.* eo minus omittenda, quo utilius opium exinde monſtratur maniacis, quod virgo maniaca a fortuita deglutitione unguenti, cui ſcrupulus unus opii Thebaici in aceto ſoluti admixtus erat, quodque Medicus ponderis duarum drachmarum pro temporibus inungendis ordinaverat, ſubito convaluerit.

MEMOIRES DE MONS. D' ABLANCOURT &c.

h. e.

FREMONDI D' ABLANCOURT COMMENTARII Hiſtoriam Portugalliæ ab A. 1659 uſque ad A. 1668 complexi.

Pariſiis apud hæredes viduæ de Marbre Cramoiſi, 1701. in 12. Conſtant Plag. 16.

Libelli hujus, ſive nunc primum in lucem prodeuntis, ſive jam antea typis excuſi auctor eſt *Fremondus d' Ablancourt*, Perroti d' Ablancourt, tot libris Latinis in Gallicam linguam feliciter traductis celeberrimi, nepos ac alumnus. Hic eo tempore, cum inter Hiſpanos & Luſitanos bellum ferveret, jamque palam Galli Anglique Luſitanorum partes tuerentur, in Luſitaniam a Galliæ Rege miſſus, ut ſubſidiariam pecuniam, quæ ex Gallia ſubminiſtrabatur, diſpenſaret, Comitique Schombergio eſſet a conſiliis, & quacunque oblata occaſione commodis Heri ſui invigilaret, oportunitatem nactus eſt, Regni Luſitanici ſtatum omnem intimius noſcendi, hoſque commentarios compoſuit, tanto magis æſtumandos, quod eorum, quæ in iis commemorantur, ipſe pars magna fuit, ſincerumque nusquam non præfert veritatis ſtudium, nec quicquam a ſe profitetur dictum, niſi quod vel ipſemet oculis ſuis viderit, vel acceperit a viris fide digniſſimis.

Tametſi vero nonniſi paucorum annorum, nec integri decennii Hiſtoriam Nobiliſſimus Auctor promiſiſſet, temperare tamen ſibi non potuit, quin altius narrationem exorſus exponeret, quo pacto ingens illa rerum in Luſitania converſio A. 1640 contigerit, quo Lu-

Luſitani Hiſpanorum jugum, quod per ſexaginta annos ſuſtinuerant, felici auſu excuſſerunt, Johanne Bragantiæ Duce, ad quem jus in Regnum ab avia Catharina, Eduardi Guimerani Ducis filia, Emanuelis Luſitaniæ quondam Regis nepte, fuerat derivatum, in ſolium evecto. Sed hæc quidem ſatis ſuperque aliunde nota ſunt. Aſt non æque omnibus exploratum, qui factum fuerit, ut non graviſſimum inde bellum inter Hiſpanos ac Luſitanos illico exarſerit. Tametſi enim Hiſpanis, bello tum Gallico occupatis, vindicta in rebelles in tempus commodius differenda fuerit; Luſitanis tamen defutura occaſio & facultas non fuiſſet, invadendi ditiones vicinas Hiſpanicas, longiusque propagatis Regni finibus, adverſus vim aliquando certo certius metuendam ſe communiendi. Sed ejus quidem rei cauſam Ablancurtius noſter unice miti placidoque novi Regis Johannis IV ingenio tribuit, qui ut ægre, nec niſi conjugis Ludovicæ Franciſcæ Guzmaniæ, ex Ducum Medinæ Sidoniæ gente viraginis, precibus ac hortatione victus, Regnum admiſerat: ita poſtea contentus avita in Luſitaniam jura vindicaſſe, nullis rationibus politicis adduci potuerit, ut alienis bonis, in quæ nullum ſibi jus eſſe noſſet, manum injicere ſuſtineret. Itaque per annos ſedecim, quibus Johannes IV regnavit, tranquilla ſatis omnia fuere. Aſt ſimul ac e vivis ille A. 1656 exceſſiſſet, filiis minorennibus Alphonſo ac Petro, filiaque Catharina viro jam matura relictis, viduaque Guzmania regni habenas ſuſcepiſſet, ad arma utrinque proſultum: hinc Hiſpanis orbatam nuper Rege Luſitaniam facili negotio ſubactum iri ſperantibus; inde cornua maſcule obvertente Regina vidua. Ac occupata quidem A. 1657 ab Hiſpanis Oliventia, Præfecto turpiter dedente, idque propter in Indiam a Regina relegato: ubi nativi in Hiſpanos odii documentum urbis incolæ dedere, qui etſi permanendi ac domiciliis ſuis bonisque perfruendi libertatem pacti, migrare tamen maluerunt. A. 1658 vero Luſitani quidem Pacem Auguſtam (Badajos) irrito auſu obſederunt: viciſſim Hiſpani, tametſi raro exemplo primarius ipſe Regni ſub Philippo IV tum adminiſter, Ludovicus Harojus, copias duceret, Elva, quam per quatuor menſes obſederant, accepta clade fuerunt dejecti. Suſpenſa autem velut arma viſa iterum ſunt, cum in montibus Pyrenæis de pace inter Hiſpanos Gallosque ſancienda agi cœptum eſſet, eaque & ſe comprehenſum iri Luſitani ſperarent, & Galli, ut id fieret, omnes ner-

vos intenderent. Aſt cum contra accidiſſet, Gallique pacem conſtituiſſent, non excluſis tantum Luſitanis, ſed & poteſtate iis quocunque modo ſuppetias ferendi abdicata, tum vero actum omnino de Luſitaniæ regno videri potuit, nullo cum exteris ſubnixo fœdere, pecunia, milite, aliisque ad belligerandum requiſitis deſtituto: cum contra Hiſpanis, difficillimo cum Gallis bello liberatis, ex Italia Belgioque veteranos evocare milites, omneque robur ſuum in Luſitanos convertere integrum eſſet. Nihilominus Luſitani non plane deſponderunt animum, comparatis pro virili, quibus vim propulſarent, & accito ex Gallia Friderico Comite Schombergio, cujus perſpecta dudum prudentia bellandique peritia in rebus creperis uterentur. Hic enim, Mareſchallo Turenio, qui odio in Hiſpanos bene Luſitanis cupiebat, conciliante, non dubitavit ſe Luſitanis addicere, adjunctis ſibi aliis ſtrenuis expertæque fortitudinis belli ducibus: *Aula* quidem Gallica diſſenſum præ ſe ferente, adeo quidem, ut Legato Hiſpanico poteſtas fieret, Schombergium ubicunque deprehenſum in vincula conjiciendi. Aſt is in Angliam primum, indeque, cum Magnæ Britanniæ Regi Carolo II, in Regnum non ita pridem reſtituto, matrimonium cum Infante, quam vocant, Luſitanica Catharina propoſuiſſet, in Luſitaniam evaſit, ſuisque conſiliis & induſtria plurimum contulit, ut primus Hiſpanorum impetus feliciter ſatis cohiberetur. *Etſi* enim hi Luſitaniæ fines juſto cum exercitu, ipſo Joanne Auſtriaco, Philippi IV Regis filio naturali, ductore ingreſſi eſſent, nihil tamen, tanto apparatu quod dignum eſſet, effectum, niſi quod Aruncis, (Aronches) modico in confinio Extremaduræ oppido, captis, horreum ibi & armamentarium in futuros belli uſus Hiſpani condiderunt. Neque diſſimulat tamen Auctor, Auſtriaci progreſſibus occulta Reginæ Hiſpanicæ machinatione, cui ambitio Viri ſuſpecta erat, objecta fuiſſe impedimenta: quemadmodum nec minus de eo paſſim conqueritur, quod Luſitanorum expeditiones, æmulatione Ducum & erga Schombergium invidia, lentisque nimium Aulæ decretis, diſturbatæ ſæpius fuerint. Commodum inde Luſitanis accidit, ut conjugium inter Carolum II Magnæ Britanniæ Regem ac Infantem Catharinam ſtabiliretur, copiisque auxiliaribus ex Anglia firmaretur Luſitanorum exercitus: & Galli etiam, quorum vel maxime intererat, ne Hiſpanorum vires acceſſione Luſitaniæ increſcerent, paulatim promiſſorum

rum

rum in Pace Pyrenæa obliti, non vererentur amplius milite ac pecunia Luſitanos ſuſtentare. Viciſſim & Hiſpani, excitis undique copiis, formidandum exercitum inſtruxerant, ut Eboram etiam, præcipuam poſt Oliſipponem Luſitaniæ urbem, A. 1663 aggredi auderent, exercitu Luſitanorum licet inſpectante, & decretorium moliente prælium. Et occupata quidem Ebora ab Hiſpanis præter omnium expectationem, ſed & mox eodem anno recepta a Luſitanis,poſtquam Schombergius,renitente licet Imperatore ſupremo,Comite Villaflorio,cumAnglicis Gallicisque, quæ ejus imperio ſuberant, auxiliaribus copiis, & Luſitanici exercitus legionibus plerisque, ipſa Hiſpanorum caſtra aggresſus, luculentam victoriam reportaſſet, inter Proceres (Grands) etiam Luſitaniæ propterea, ſub *Comitis de Mortola* titulo, receptus. Jucundum erit hæc, & quæ porro ad pacem usque A. 1668 conſtitutam utrinque geſta ſunt, enarrantem Ablancurtium ipſum legere, iis cumprimis, qui prudentiam ſibi militarem comparare deſiderant. Paſſim enim magno ſtudio exponit Auctor militiæ Luſitanicæ ante adventum Schombergii defectus, & qua is ratione paulatim eos emendarit; quibus conſiliis, quo apparatu, quo ſucceſſu, expeditiones utrinque fuerint ſuſceptæ: quæ ſingula nobis quidem uberius commemorare non licet. Neque minus legi merentur, quæ de Aulæ Luſitanicæ triciis & varia mutatione memoriæ Auctor prodidit, non ubivis forte obvia. Ubi id diſſimulare non poſſumus, ſiniſtre eum ubivis de Alphonſo Principe natu majore ſentire, de minori Petro magnifice. Alphonſum enim graviſſimo in pueritia morbo debilitatum ſic fuiſſe refert, ut per valetudinem ejus, rigor ſeveritasque educationis adhiberi non potuerit: animo fuiſſe abjecto, truculento tamen ac ſævo: cum infimæ plebis pueris ſcurriliter conſueviſſe: paulo adultiorem vagæ indulſiſſe libidini, perque plateas urbis in obvios quosque graſſatum. Vix fidem inveniet, quod Auctor inter alia narrat, cum Cometa affulſiſſet, Alphonſoque, quid is portenderet, interroganti reſponſum eſſet, per eum malos Principes caſtigatum iri, hunc exploſo verſus Cometam velut feriendum ſclopeto, iram animique impotentiam prodidiſſe. Reginam itaque matrem refert eo ſemper collimaſſe, ut Alphonſo, quod ineptus ad regnandum eſſet, vitæ monaſticæ mancipato, Petrum miris prudentisque ingenii Principem in thronum eveheret. Prævaluiſſe tamen, poſt varias colliſiones,

 quas

quas brevitatis ſtudio prætermittimus, Alphonſi factionem, Reginamque, ut regimine ſe abdicaret, idque ſolidum Alphonſo committeret, compulſam, ingreſſamque monaſterium, in quo non multo poſt vitam finiverit, Principe Petro multam, Rege nullam doloris ſignificationem edente. Hinc nova Aulæ facies, fidiſsimis Reginæ miniſtris in exilium pulſis, Comite de Caſtello Meliore primarii Regni adminiſtri munus occupante, Rege tamen non exuente mores priſtinos. Unum ſupererat, ut decoro ac fructuoſo matrimonio Regnum firmaretur. Selecta, quam Rex duceret, ex Gallia Virgo Princeps egregie dotata, omnibusque ſexus ſui ornamentis exſplendeſcens, *Maria Franciſca d' Aumale*, e Domo Nemoroſia. Sed unde quærebatur præſidium, inde nata occaſio, quæ Alphonſum poſt varias tricas peſſum tandem dedit. Animadverſum ſtatim, frigidius quam pro dignitate exceptam, cum in Luſitania appuliſſet, Sponſam Regiam: conſummatis etiam nuptiis, mutui amoris, qualis inter novos nuptos fervere conſuevit, nulla deprehenſa indicia; ut mox rumor de impotentia Regis, ſeu naturali, ſeu per intemperantiam, exhauſta in juventute Venere, contracta in vulgus emanarit: quin indigne tum a Rege, tum ab adminiſtro Comite de Caſtello Meliore, habita Regina, neque minus duriter frater Regis Petrus. Hinc accenſis paulatim odiis mutuis, ad extrema tandem perventum. Primi in perniciem Alphonſi conſpirarunt Reginæ & Petri Confeſſarii, Schombergio tamen etiam in partem arcanorum conſiliorum vocato: mox Regina in monaſterium ſe recondit, Regis impotentiam accuſat, dotem repetit, in Galliam receſſura: Rex a Fratre oppreſſus, regimini renunciat: Status Regni congregati, Alphonſum regnandi incapacem declarant; Petrum, quod Regis titulum deprecaretur, regni Regentem renunciant: Regis cum Aumalia Principe matrimonium a Senatu Eccleſiaſtico ipſo jure nullum declaratur: Petrus & Aumalia, rogatu Regni Ordinum, & diſpenſatione a Cardinale Vindocinenſi, qui tum in Gallia Pontificii Legati a Latere munere fungebatur, impetrata, quam & confirmare poſtea Clemens IX Pontifex nullus dubitavit, matrimonio junguntur: Alphonſus, Regis titulum retinens, in Terceram inſulam deportatur. Inter hæc, conciliante Magnæ Britanniæ Rege, pax inter Hiſpanos ac Luſitanos coaluit, cujus leges Auctor Gallice æque ac Latine repræſentat.

The-

Digitized by Google



Digitized by Google

THESAURI REGII ET ELECTORALIS BRANDENburgici Volumen III: continens Antiquorum Numiſmatum & Gemmarum Rariora, ut & Supellectilem Antiquariam uberrimam. Auctore LAURENTIO BEGERO.

Coloniæ Marchicæ, impreſſit Ulr. Liebpertus, 1701. fol. Conſtat Alphab. 5. plag. 13, & figurarum æncarum, præter innumeras, quæ textui inſertæ ſunt, tabulis 43.

TAndem Theſauri nuper Electoralis, nunc & Regii Brandenburgici, Volumen III prodiit. Ultimum hoc eſt, Supplementum nempe Operis, cujus Tomum primum in Actis hiſce Eruditorum A. 1696, pag. 433 ſqq. ſecundum A. 1700, pag. 145 ſqq. recenſuimus. De Illuſtri Auctore, ejusque inſtituto aliisque circumſtantiis ibi abunde dictum. Supereſt, ut paucis contemplemur res ipſas, hoc volumine Erudito Orbi propoſitas. Non aliæ vero ſunt, quam quas, pauciſſimis exceptis, Sereniſſimus & Potentiſſimus Rex Pruſſiæ, aliquot abhinc annis, certe poſt editos Tomos priores, demum coëmit; quod vel inde intelligas, quod rariſſimorum Numiſmatum, tam Græcorum quam Romanorum, tantum non continuatas ſeries etiam in hoc volumine exhibeat Auctor celeberrimus, quæ ſane in prioribus non omiſiſſet, ſi tunc ei præſto fuiſſent. Fatetur id ſub initium capitis primi his verbis: *Etiam Numiſmata eo numero eaque raritate hactenus Elector noſter coëmit, ut omnino ſpicilegium nobis inſtituendum ſit.* Spicilegium appellat, quod alii meſſem appellaſſent. Primum enim caput ad paginam 74 nihil niſi Numiſmata Græca continet, vel a Regibus vel ab Urbibus percuſſa, quorum pauca hic proponere & oculis etiam Lectorum uſurpanda in tabula exhibere volupe eſt, ex quorum raritate reliqua facile metiaris. TAB. VI. Fig. 1. Statim in limine occurrit, quod nobis etiam primum eſt, Amyntæ Regis Macedoniæ, antiquiſſimi illius, qui ſub ætatem Cyri regnum nactus, quinquaginta annos imperaſſe traditur. Vetuſtatem Illuſtris Auctor ex rudi artificio, figuraque literæ O quadrata, impreſſoque Cancro ſibi videtur indubie colligere: quod illud ſequentibus hoc nomine Regibus non conveniat; iſta temporibus reſpondeat; hic commode ex prudentia interpretationem recipiat, qua tempeſtates Cancer evitare ſolet non minori ſolertia, quam qua & Amyntas tempeſtatem belli Perſici, uti latius apud Juſtinum legere eſt: quanquam & alias conjecturas Auctor admiſceat. Pag. 6 proponuntur numiſmata Fig. 2. 3. duo,

duo, quæ nobis ſecundum & tertium ſunt, Bituci videlicet & Bitovii Regum Arvernorum. Incognita hæc ſunt, & niſi de Bituito hiſtoria ex Floro & Eutropio aliisque innotuiſſet, vix affundi iis lumen potuiſſet. Sed conjecturam firmavit Eutropii Metaphraſtes, qui inter cætera BITOTITON appellat, quæ vox in altero nummo aperte legitur. Non obſtat litera C; hanc enim jam ſub libera Republica in uſu fuiſſe, etſi rarius quam a Domitiani temporibus,exemplis firmatur. Non obſtat Clava, non Leo, non Inſcriptio Græca: hanc enim Gallis in uſu fuiſſe, ex Strabone conſtat; iſtum vel a Maſſilienſibus, vel certe ab Hercule deſumptum, cujus fortitudinem & Clava indigitat, merito credi; indeque & lucem affulgere Numiſmatibus Lugdunenſi-
Fig. 4. um, quæ eodem Leone percuſſa ſub Antonio innotuere. Pag. 8 eſt Nummus Mithridatis Philo-Romæi, Magni parentis, in quo id ſingulare eſt, quod non ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ, ut hactenus in omnibus, ſed ΜΙΘΡΙΔΑΤΟΥ, ut libri præferunt, aperte legatur. Notanda venit & Tiara, de qua pluribus Auctor. Sed hæc de Regibus, quorum Nummi hoc in volumine ad triginta quatuor adſurgunt. Nummi Urbium ſunt quadraginta ſex, omnes exquiſitæ raritatis, quo-
Fig. 5. rum duos ſpeciminis loco repræſentamus. Pagina nempe 52 proponitur Numiſma ΑΙΝΙΑΝΩΝ, nobis quintum, hinc Minervam, inde Mercurium Palæſtritam exhibens, nunquam, quantum Auctor me-
Fig. 6. minit, vulgatum. Pag. 66 Numiſma Tarſenſium occurrit, nobis ſextum, hinc cum Jove ſedente & victoriolam præferente, quem Jovem Terſium eſſe, a quo Urbi nomen, ex Euſtath. in Dionyſium ad v. 868 conficitur; illinc cum Clava in corona populea, indubio cultus Herculei argumento.

Secundum Caput exhibet Nummos Romanorum ad Valerianum usque. Duodecim ſunt ante, nonaginta duo autem poſt Cæ-
Fig. 7. ſarem percuſſi. Illos inter pag. 80 Nummus Carbonis, nobis ſeptimus, eminet,cum capite Herculis, ſub familia Papiriorum hactenus in-
Fig. 8. cognitus. Inter hos pag. 92 eſt Nummus Tiberii, octavus inter noſtros,cum Mercurio in promontorio ſedente, referturque ad promon-
Fig. 9. torium Mercurii, in quo, Plinio teſte, Clupea Africæ urbs fuit. Pag. 153 eſt Nummus Getæ & Caracallæ maximi moduli, nobis nonus, in cujus averſa Centauri ſiniſtris lampades ferentes,dextris Æſculapium extollunt. Percuſſus hic nummus eſt a Pergamenis, Prætere Flavio Xeno-

Xenocrato, reſpondetque ei, quem ſub L. Vero cuſum celeberrimus Morellius in Spicilegio ex cimeliarchio Celſiſſimi Comitis de Schwartzburg protulit, cum Æſculapio Centaurorum bigis inſiſtente; cujus rationes Epiſtola profundisſimæ eruditionis tradidit Illuſtrisſimus Ezechiel Spanhemius, nobilioris hujus notitiæ ſuo merito & vere Dictator.

Poſſemus plura hic addere; ſed ne longiores ſimus, ad caput tertium properamus. Continentur hoc Numiſmata Imperatorum a Valeriano ad Julianum Apoſtatam, triginta quatuor numero; additæque ſunt Gemmæ novendecim, quas inter pag. 188 Vas Murrhinum viſitur, figuris Ægyptiacis inciſum, & magnitudine & raritate illuſtrisſimum: pag. 192 Hercules Cerberum vinciens, onyche exciſus, opus Dioſcoridis, qui ſub Auguſto claruit: pag. 202 Alexander M. cum matre Olympiade, opere elevato ex Sardonyche ſculptus, cujus & magnitudinem & artificium merito ſuſpicimus.

Tria hæc capita Numiſmatibus & Gemmis dedit Illuſtris Auctor. Tria ſequentia Supellectili Antiquariæ reliquæ, Statuis, Imaginibus, Marmoribus, Inſtrumentis, aliisque his affinibus deputavit Nimirum Caput IV, quod de Diis eſt, ſeptuaginta quatuor Simulacra & Toreumata continet, Statuis hinc inde & Thoracibus integri folii magnitudine expreſſis. Memoria dignum eſt, quod pag. 221 columba capiti arietis inſiſtens ad origines Oraculi Jovis Ammonis refertur, de quibus Silius Italicus L. III de Bello Punico ſecundo:

Lanigeri capitis media inter cornua perſtans
Marmaricis *Ales* Populis reſponſa canebat.

Pag. 302 Urnula ſimulacrum Iſidis eſſe ex Apulejo demonſtratur, qui mirum quantam ſanctitatem & religionem ei circumponat Metamorph. Lib. XI.

Caput V, quod Homines & Animalia proponit, Italicis Thoracibus, aliisque huc pertinentium generibus quinquaginta abſolvitur, plerisque integri folii magnitudine æri inciſis. Notari meretur pag. 324 Battus IV & Pheretima, Cyrenæorum Rex & Regina: pag. 329 Titus Manlius Torquatus: pag. 331 Scipio Africanus, & ut reliquos tranſeamus, pag. 352 Probus & Uxor in clypeis figlinis, adeo rari, ut Uxoris effigies vix ex numiſmate unico, nomen autem ex nulla hiſtoria hactenus innotuerit.

Caput VI & ultimum Inſtrumenta aliaque adhuc reſidua exhibet, numero centum ſeptuaginta novem, quæ inter & Fibulæ, & Lampades, & Urnæ connumerantur. Multa hic notatu dignisſima occurrunt, ſed nos ſpeciminis loco Menſuras quasdam exhibebimus. Pag. 456 Cyathus exhibetur, ille ipſe, quem nobilisſimus Cauſæus, & poſt eum ſculptor Theſauri Græviani, ſimpulum arbitrati ſunt. Sed Cyathum menſuram eſſe duas uncias continentem, evincit Auctor, & experientia, & adſcriptis in manubrio duabus lineolis, quæ aliud nihil indigitent, niſi duas illas uncias, quas Cyathus hic ad amuſſim capiat. Pag. 458 proponitur Sextarius caſtrenſis, quod & ipſum Illuſtris Auctor experientia firmat. Capit enim exacte duos Sextarios urbicos, idque ſecundum Agricolam, qui de his pluribus commentatus eſt. Pag. 460 eſt Quartarius, inde dictus, quod quartam Sextarii urbici partem exacte capiat. Elegans eſt hiſtoria de Manlio, cui milites inter cætera, ut Livius Lib. V habet, etiam Quartarios vini contulere, rem parvam dictu, ſed argumentum ingens charitatis.

Sed hæc delibaſſe ſufficiat! Qui plura noſſe cupit, & quantum ex his Commentariis ad illuſtrandas omnis generis Antiquitates hauriri queat, vel ex libro ipſo petat, vel ſi hic ad manus non ſit, ex Auctoris celeberrimi præloquio, cujus partem maximam huc transſcribimus, quod uberius cuncta enarrare prolixum nimis & ab inſtituto noſtro alienum, contrahere vero, quæ in præloquio ipſe Auctor ediſſeruit, aut impoſſibile, aut nullius uſus foret. Ita vero Ille:

Tandem promisſis ſatisfacio: Tandem THESAURI ELECTORALIS BRANDENBURGICI *Tibi Supplementum ſiſto: Supplementum, ſi ad priora reſpicias: Si in ſe conſideres, Theſaurum pretioſiſſimum, rariſſimum. Hic enim continet Numiſmata non* Græcorum *tantum &* Regum *&* Urbium; *Sed &* Romanorum, *tam* Illuſtrium, *quam* Imperatorum: *Continet Gemmas quasdam ſelectiores: Continet* Deorum *&* Hominum Illuſtriſſimorum *Statuas, Clypeos, Imagines: tandemque & Inſtrumenta, tam* ſacra *quam* profana: *Pleraque omnino hactenus incognita, quædam novo Commentario conſpicua, in univerſum omnia indubio genuinæ antiquitatis fulcro innixa, eo numero, ea raritate, qua, neſcio, an alibi prodierint unquam. Jactantius hoc a me dici, ubi rem inſpexeris, non arbitror Te judicaturum. Quis enim* Amyntæ *Antiquisſimi ſub ætatem*

tem Cyri Macedonum Regis Numiſma unquam protulit ? Quis Bitucum & Bitovium *Reges Arvernorum ? Quis* Mithridatem Philo-Romæum , *Magni Parentem , Tiara Pontica inſignem ?* Tryphænam *Antiochi Epiphanis Syriæ Regis Uxorem ?* Cleopatram *Ptolemæi Evergetæ Regis Ægypti Conjugem ?* Ptolemæum , *licet incertum, tamen cincinnis ornatum hactenus publicavit ? Quis Reges Cappadociæ ,* Ariarathem V & Ariarathem IX, *tandemque* & Ariobarzanem *determinavit ? Quis* Aquilam *κεραυνοφόρον* & Jovem *in Nummis Antiochi Dei Epiphanis propoſuit ? Quis* Iſidis Mithram *ſub Antiocho Evergete agnovit ?*

Sed hæc aliaque de Regibus. Si ad Urbes deſcendas , vix minor exſurget raritatis gloria. Ubi quæſo , quæ hic producimus, Numiſmata ΑΙΝΙΑΝΩΝ & ΑΙΝΙΩΝ ? *ubi* ΙΑΙΕΩΝ , ΜΑΙΟΝΩΝ , ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ , & ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ ? *Quis* Herculem Aſtrochitonem *in Nummo Chiorum ?* Apollinem Ἀγυιέα *in Apolloniatarum ?* Minervam cum Olea , Theſeumque advenientem *in Athenienſium?* Aſiaticorum originem a ſerpentibus *in Pergamenorum?* Jovem Terſium *in Tarſenſium ?* Thyrſum duplicem *in Apamenorum Nummis hactenus oſtendit ? Quis ſub Romanis* Numiſmata *noſtra* ex ære gravi ? *Quis* Familiarum Imperatorumque decora *vel recens producta , vel novis luminibus donata ? Quis* Liviam *cum Corona quercea & anno Auguſti Trigeſimo nono ?* Tiberium *cum Mercurio in Promontorio ſedente ?* Claudium *cum εὐτοκίᾳ ſive fertilitate?* Neronem *cum capite Africæ & nomine Acroſiatarum Libyæ ?* Veſpaſianum *cum Victoria Palladium Imperatori tradente ?* Domitianum *cum Bellona & Tropæo ?* Hadrianum *cum Apide invento ?* Commodum *cum Victoria Orbis Britanici in Græcia percuſſum ?* Peſcennium Nigrum *cum Fortuna reduce ſedente ?* Septimium Severum *cum Boſtra in Templo & literis Numeralibus ?* Juliam Domnam *cum Venere Victoria ?* Caracallam & Getam *cum Centauris Æſculapium extollentibus ?* Getam *cum Lampteriis Coloniæ Juliæ ?* Macrinum & Diadumenianum *cum Mercurio Marcianopolitarum ?* Elagabalum & Mœſam *cum Æquitate ?* Gordianum Pium *cum Serapide & Fortuna ?* Tranquillinam *cum Diana Venatrice Cervo inſidente ?* Valerianum *cum Diana Epheſia & infantibus ?* Gallienum *cum Jove & Pallade ?* Saloninam *cum Fortuna inter caduceum & Victoriam ?*

am ? Quietum *cum Apolline conſervatore ?* Claudium Gothicum *cum Neptuno ſpicam præferente ?* Aurelianum *cum* Vaballatho *ſub Laurea diademato?* Carum *cum* ΑΦιερώσεως *Ara & litera Numerali ?* Diocletianum *cum Iſide ?* Maximinum *cum Victoria Conſtantini ?* Conſtantinopolin *cum Victoria ſedentem coronante ?* Decentium *cum prænomine Magnentii ?* Julianum *cum Virtute exercitus Gallicani ? Quis, inquam, hactenus hæc protulit ? Quis ære & typis vulgavit ? Taceo mantiſſam Gemmarum undiquaque rariſſimarum :* Vas Murrhinum *cum figuris Ægyptiacis, magnitudine illuſtriſſimum :* Onychem cum Hercule Cerberum vinciente, *opus Dioſcoridis artificioſiſſimum :* Cameum cum Apolline & Marſya *pretioſiſſimum:* Jaſpidem cum Fauno Saltante *elegantiſſimum :* Achatem cum Cupidine *ab Achiophilo ingenioſe cælatum :* Sardonychen cum Alexandro M. & MatreOlympia *opere elevato ſplendidiſſimum. Sed Statuæ & Imagines, Signa & Sigilla tacenda non ſunt. Multa hic offendes, licet vulgo cognita, novo tamen ornatu, novis luminibus memoranda : Talis eſt ſplendidisſima* Dianæ Epheſiæ *ſtatua ; nam differt a plerisque, quas Meneſtrier vulgavit : Talis ſtatua* Prætextati cum Bulla & Scrinio : *Tales* Dii Deæque, Reges & Illuſtres, Imperatores & Auguſtæ, *non jam in Numiſmatibus, ſed nativa plerique, imo & Heroica magnitudinis in Thoracibus conſpicui ; Licet ne ſic quidem gloriam eorum attingant, quæ paſſim, tanquam inter ignes minores, omnigena raritate coruſcant. Quis unquam* Oraculi Ammonii Originem *in Antiquitatum reliquiis oſtendit ? Quis* Mercurium inter Cornua copiæ, *capite Cygni inſignitum ? Quis* Eundem in Promontorio *ſedentem ? Quis* Faunum *vel cum Tigride gradientem, vel cum crotalis ſaltantem ? Quis* Satyrum *vel ridentem, vel hinnuli geſtatorem? Quis* Priapum *vel tintinnabulo inſtructum, vel Saltationis rudimenta exercentem ? Quis* Triptolemum *in Statua ?* Vertumnum *in Sigillo ?* Oſiridem & Cynocephalum *in marmoribus ? Et quod inſtar omnium eſt, quis* Iſidem *non humana tantum, ſed &* Urnulæ *figura delineatam ? Quis inquam hæc protulit inter Deos ? Quis protulit inter Illuſtres* Actæonem *? Quis* Hippolyten Amazonem *fugientem?* Battum & Pheretimam *Cyrenarum Regem & Reginam ?* Manlium Torquatum ? Antonium Felicem & Druſillam ? *Quis* Trajani Statuam *Tripedaneam habitu Gladiatoris ? Quis* Thoracem Scipionis Africani *magnificentiſſimum ? Quis* Clypeos Probi

bi *&* Conjugis, *non magnitudine tantum & opere, ſed & ideo rariſſimos, quod Conjugis Probi ne nomen quidem in Hiſtoria ſupereſt? Quis inquam hac protulit? Quis Antiquorum* Inſtrumenta *varia eo numero, eaque raritate, qua hic ſe ſiſtunt*?

Hactenus Auctor. Poſtquam vero de Antiquitatibus earumque ordine & ſelectu dictum eſt, pauca quædam addenda de cultu Operis ornatuque videntur. Charta regia eſt. Typi elegantes ſunt & majuſculi, præfixæque capitibus quibuſvis ſculpturæ non otioſæ, ſed decora Regio-Electoralia Brandenburgica adumbrantes, non priſcorum Electorum, ſed FRIDERICI Regis & Electoris gloriam. Hic videas 1. Sciagraphiam urbis Regiæ quintuplicis. 2. Regium Palatium ex priſcis ruderibus magnificentisſime reſtitutum. 3. Theatrum Venationis, quod Berolini eſt, hilaritati publicæ deſtinatum. 4. Equile Brandenburgicum novem palatiis diſtinctum. 5. Academiæ Artium Cives, inter ſtatuarum ectypa conſidentes, artisque incrementa captantes, ſcholæ Apelleæ aut Parrhaſiæ inſtar. 6. Palatium Reginæ Luceburgicum. 7. Canalem media in Urbe Regia lapideum, qui antea ligneus fuerat. Hæc omnia Regia magnificentia hactenus exſtructa Regis Munificentisſimi gloriæ fidiſſimus Auctor non publicavit tantum, ſed & variis ornamentis excoluit, & cum totum hoc Opus auſpiciis Electoris confeciſſet, commode ſub finem nuncium Regium memoravit, adeoque FRIDERICI Regis Pruſſiæ Glorioſiſſimi Proclamationem Regiam in operis fine, Unctionem in limine indicis, Dignitatem & Merita ante dedicationem & præfationem, Vota denique in dedicationis fine expresſit. Vota excipimus & nos. Deus FRIDERICUM Pruſſiæ Regem Glorioſiſſimum, Electorem Brandenburgicum Potentisſimum, diu Muſis, diu Germanorum Genti, diu & Orbi Terrarum ſuperſtitem ſervet!

FRIDERICI SPANHEMII F. F. PROFESSORIS BAtavi Primarii, Operum Tomus primus, continens Geographiam, Chronologiam & Hiſtoriam Sacram atque Eccleſiaſticam utriusque temporis.

Lugd. Batav. apud Bouteſtein, Luchtmans, du Vivie & Severinum, A. 1701. fol. Alphab. 13.

EX quo in Lugdunenſem Batavam e Palatina Academia accitus fuit A. 1670 celeberrimus Spanhemius, variis eandem ſcriptis tam Theolo-

logicis, quam quæ ad Eccleſiæ Hiſtoriam referri debent, illuſtravit, dumque de iis in certos Tomos colligendis conſilium cepit, a poſterioribus nunc auſpicatur, & Theſaurum exhibet univerſæ Antiquitatis Sacræ, quoad ea ſe ad loca, tempora, rerumque in & extra Eccleſiam geſtarum ſeriem extendit, Geographiam quippe, Chronologiam, & Hiſtoriam Sacram ac Eccleſiaſticam utriusque Teſtamenti accurate deductam ſiſtens.

Equidem ſingulorum ex his Tractatuum ſpecimina velut aliqua dudum edidit, ceu & nos jam olim ex parte monuimus in Actis A. 1683 p. 422, & 1688 p. 271; ſed plenam tamen nunc demum meſſem cum Eruditis communicat: ac primo *Geographiam* ſacram & Eccleſiaſticam ita expolitam dat, ut in deſcriptione primi orbis ac ſedium Patriarchalium, vicinarumque his regionum, urbium locorumque, multa incerta, multa a vero devia, aut vana traditione fulta, ſeu a veteribus ſeu a neotericis pro certis, ſaltem pro veriſimilibus, poſteritati tradita fuiſſe evincat. In cenſenda Palæſtina, qualis vel ante, vel poſt adventum Iſraëlitarum fuit, inque deſcribenda Hieroſolyma, Joſephum ſæpe caſtigavit, & Hieronymum & Adrichomium & Lightfootum. In enarrandis Chriſtianæ Eccleſiæ ſedibus, qua late patuere ſpatia Imperii Romani, attendit ad præcipuas difficultates, ſeu in urbium, coloniarum, metropoleon, locorumve diverſa apud veteres & confuſa nonnunquam appellatione, ſeu in provinciarum ac diæceſeon variantibus quandoque terminis aſſignandis, ſeu in Romani Epiſcopi juſtis limitibus finiendis, quos nimiopere ab aliis dilatari ſtatuit. Adhæc locorum diligenter obſervavit mutationes, quæ lapſu temporum, imprimis poſt Barbarorum irruptiones, in Romano Imperio contigerunt. Præcipue vero, quæ ratio fuerit Eccleſiaſticæ Politiæ, quæ litigiorum vel mutationum cauſæ ſeu in Oriente ſeu in Occidente, quæ ſingularum ſæpe Eccleſiarum ratio in enarrandis diœceſibus, provinciis, metropolibusque ſingulis, curatius ſignavit. Denique percurrit etiam provincias Barbaricas in Aſia, Africa, Europa, nec pauca facientia vel ad ſitum, vel ad originem atque appellationes populorum, & ſeu tradita veteribus, ſeu inter Eruditos controverſa, haud levi penicillo adumbravit.

Chronologiam in duas partes diſtinxit, τεχνικὴν alteram, & alteram ἱστορικήν. In illa temporis omnis diſtributionem variam, pro diver-

diverſitate gentium & populorum; præcipuas difficultates circa annos, menſes, ſeptimanas, dies, horas; characteres temporum civiles, chronicos, naturales, ſpeciatim cyclos, periodos, æras, harumque inter ſeſe & cum æra Chriſtiana connexionem, exemplis variis, quin & parachroniſmis veterum illuſtratam expedivit. In hac vero expendit ante omnia, quæ de duratione vel ſerie temporis hiſtorica, ac diverſa ſupputatione ſtatuerint, tum, qui ſecuti ſunt codices ſacros, eosque vel Hebraicos vel Græcos, tum, qui extra hos ſapuere, Chaldæi, Ægyptii, Aſſyrii, Babylonii, Sinenſes, Attici, Græci inde a Trojæ excidio. Quid præterea cenſendum ſit de annis Olympiadum, Urbis conditæ, Nabonaſſari, Perſarum, de æra Alexandrea, Ptolemæorum, Seleucidarum, Antiochenorum, urbium variarum in Oriente, Juliana, Auguſtea, Actiaca, Hiſpanica, harumque initiis quandoque controverſis, indigitavit. Porro in annos Herodis, & cumprimis in annos nativitatis ac paſſionis Chriſti inquiſivit. Canonem Chronicum ad ſingulas Veteris Teſtamenti epochas ſubjunxit; ac denique epochas nobiliores, quæ illam æræ Natalitiæ & Paſſionis Chriſti exceperunt, inde ab epocha converſionis Paulinæ ad annos æræ Dionyſianæ exegit.

Ad *Hiſtoriam* quod attinet, fontes quam maxime genuinos, ſacros æque ac exoticos aperuit. Vetus Teſtamentum in novem diviſit Epochas, & quæ vel textui ſacro, vel factis hiſtoricis, ſæpiuſcule non parum dubiis, lucem afferre poſſe exiſtimavit, brevi utplurimum ſermone innuit. De Gentium primordiis, de progreſſu idololatriæ, de rebus Ægyptiorum, Arabum, Phœnicum, Græcorum, Perſarum, Macedonum, Syrorum, Ptolemæorum, deque Romanæ potentiæ incremento ejusque ſucceſſivis gradibus, cum delectu diſſeruit, aſſertaque ſua ex nummis etiam & epigraphis ſubinde illuſtravit. Hiſtoriam Chriſtianam univerſam Cæſarem Baronium corrupiſſe, ubique oſtendit, ac ubi de cætero vel primæ Eccleſiæ origines elucidandæ, vel doctrina priorum ætatum rite diſcernenda, vel Chriſtiani ritus omnisque diſciplina ponenda in aperta luce, vel decantatæ hæreſes ex ipſis incunabulis æſtimandæ, vel hiſtoria afflictæ primo tum liberatæ per Conſtantinum M. Eccleſiæ expedienda, vel ut primatus Romanæ Eccleſiæ abierit ſenſim in ſuprematum, tandemque in uſurpatam ſupra Eccleſiam univerſam poteſtatem, demonſtrandum, vel ſchiſmatis inter

ter

ter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam, jam inde a ſeptimo ſeculo nati, commemoratio contra Allatium præcipue vindicanda, vel reformandæ Eccleſiæ in doctrina, diſciplina, moribus, ipſa Roma judice, neceſsitas aſſerenda, reformationisque gradus, autores, loca, media, impedimenta, ac felix denique promotio declaranda, vel de factis aliis innumeris pronunciandum ſtatuendumque fuit, procul omni affectu, vel privato ſtudio, vel opinionis ſingularis affectatione, ſolam veritatem hiſtoricam indagare ſtuduit.

Operi integro ſermonem Academicum pro commendando ſtudio ſacræ antiquitatis, in auditorio Leydenſi, cum prælectiones Hiſtoricas auſpicaretur, A. 1672 recitatum præmiſit. Nec indices capitum æque lemmatumque, ac rerum potiſsimarum ſubnectere pigratus eſt.

TRIFOLII FIBRINI HISTORIA SELECTIS OBſervationibus & perſpicuis exemplis illuſtrata, opera JOHANNIS FRANCI.

Francofurti apud Laurentium Kronigerum & Hæredes Theophili Gœbelii Bibliop. Auguſtani, 1701. 8. Conſtat plag. 4.

Nullus equidem Botanographorum hactenus extitit, qui Trifolium Fibrinum ex profeſſo deſcripſerit: operæ pretium hinc facturum ſe Author Clariſſimus exiſtimavit, ſi animi gratia hanc provinciam in ſe ſuſciperet.

Etymologiæ rationem ante omnia habet, atque Fibrinum vocari hoc Trifolium exiſtimat a Fibris, animalibus amphibiis, *qui eo vel* victitare, vel poſt id in ſpem prædæ latitare ſolent. Evoluta tum ſynonymia, idem noſtrum eſſe ac Iſopyrum Dioſcoridis, variis adductis rationibus negat; quin poſt Valerii Cordi demum tempora cœpiſſe inclareſcere, exiſtimat. Monitis tum quibusdam circa locum patrium, & modum plantam colligendi, integram delineat, quoad radicem, folia, flores, & folliculos, ejusque figuram omnibus numeris abſolutiſſimam in D. Chriſt. Frommanni diſſertatione de Caſtore exhiberi docet. Succum ejus amarum, abſtergentem, acidum corrigentem, glutinoſum, & adſtringentem celebrat; hinc vires roborantes, digerentes, aperientes & incidentes collaudat; maximam tamen virtutem herbæ & ſemini inſidere perhibet, quorum decocta & infuſa ope-

ſervationes tum allegat, quibus efficaciam Trifolii in capitis doloribus quibusvis, tinnitu aurium, aſthmate, phthiſi, empyemate (cujus ſpecificum eſſe teſtatur) in febribus quibusvis, in ſtomachi affectibus, ptyaliſmo, catarrho ſuffocativo, ictero, hydrope, in menſium obſtructione, colica convulſiva, cachexia, liene indurato, & tumido, pruritu, arthritide vaga, malo iſchiadico, motus impotentia, pareſi, in partu difficili, &c. plus ſimplici vice notavit. Præ reliquis tamen, maxima ſcorbutum tollendi vi pollere ipſi dicitur, ita ut reliquis hactenus cognitis antiſcorbuticis plantis palmam non dubiam reddat, ſed omnino præripiat. Curioſum eſt, quod in viro obſervavit febre tertiana laborante, qui ex uſu Trifolii a febre liberatus uxori ſatisfacere non poterat; præſcriptis autem contrariis, i. e. dulcibus, tentiginem iterum ſentiebat. Rationem hujus phænomeni redditurus Noſter, amaritiem accuſat Trifolii, qua nutritioni minus favet, ſed potius enervat: hinc eſſe perhibet, quod Eſſentiæ Caſtitatis agnoſcant amara pro baſi, quæ ichoreſcentiæ ſeminis, pollutionibus nocturnis, & gonorrhœæ in genere ſunt contraria. Hinc noxas pariter delineat, quas inferre ſolet hujus uſus, & nec gravidis, nec mulieribus menſtrua patientibus, nec dyſentericis, nec hæmorrhoidibus ulceroſis laborantibus, nec omnibus tabidis, (niſi in refracta doſi,) propinandum hoc eſſe tradit; imo ſi quocunque in morbo doſis augeatur, raucedinem accerſi ſæpius obſervavit. Sed & externis uſibus inſervire Trifolium aſſerit Noſter, dum ſcilicet gingivas putridas & ſcorbuticas cum ejus decocto abluere, in cephalalgia ſcorbutica in aceto & oleo tritum cum pauco croco inſtar cataplaſmatis opponere, lieni indurato conquaſſatum & cum farina ſecal. albumine ovi & ſtercore columbino applicare, contra paralyſin ſcorbuticam balneum confici vaporoſum jubet. Tandem virtutem ejus vulnerariam merito deprædicat Author.

MEMOIRES ET INSTRUCTIONS POUR LES AMbaſſadeurs &c. Traduit de l' Anglois.

i. e.

COMMENTARII ET MANDATA AD LEGATOS, SEU *Epiſtolæ & Negotiationes* ***WALSINGHAMI***, *Eliſabethæ quondam Angliæ Reginæ a Secretioribus Status Negotiis, Ex Anglico in Gallicum ſermonem traducta.*

Digitized by Google

Amſtelodami, apud G. Gallet, typographiæ Huguetanorum Directorem, 1700. in 4. ch. aug.

Conſtant Alphab. 3. & plag. 16.

Duæ ſunt operis hujus partes, quarum altera jampridem eruditi orbis applauſum promeruit, altera nunc demum prodiens eundem ſibi pollicetur. Quæ ultimum ſcilicet locum in hoc opere occupant regulæ politicæ Walſinghami, una cum characteribus motum, quibus præcipui Eliſabethæ Angliæ Reginæ miniſtri præditi fuerunt, jam per multos annos in Eruditorum verſantur manibus. Recuſæ enim ſunt in Gallicana lingua ſub titulo *Secrets des Cours* A. 1695, & a nobis quoque eodem anno menſe Martio p. 118 commemoratæ. Aſt non prima hæc fuit editio; imo jam 1664 hæ ipſæ regulæ politicæ in Latinum ſermonem translatæ ſunt, non addito tamen Auctoris nomine, ab Abrahamo Marconneto. Libri enim ab eo editi ſub titulo *Aulicus Inculpatus*, partem alteram hæ ipſæ regulæ Walſinghami conſtituunt. Characteres tamen miniſtrorum Eliſabethæ non adjecti ſunt. Quæ cum ita ſint, plura de iſta quidem parte hic commemorare ſupervacaneum fuerit. Aſt Epiſtolæ Walſinghami & aliorum ad eum ſcriptæ accuratiorem forte promerentur curam, non tantum quod nunc demum prima vice lucem adſpiciant, ſed quod etiam plurima hiſtoriam illius temporis illuſtrantia in iis occurrant. Id quod facile quilibet ſibi perſuadebit, ſi generatim occaſionem, ſi non omnium, certe plerarumque epiſtolarum, quæ hic exhibentur, indicemus. Etenim Walſinghamus noſter A. 1570 ab Eliſabetha in Galliam miſſus fuit, ut Legati, quem extraordinarium vocant, munere ibi fungeretur. Caput cauſæ erat, ut pacem inter Carolum IX Galliæ Regem, ac Navarræum Condæumque Principes, ceteroſque Reformatæ eccleſiæ ſacra in Gallia ſequentes, conſtitueret. Priusquam vero Galliam attigit, certior facta eſt Eliſabetha, pacem jam inter iſtos initam ſancitamque eſſe. Iter tamen ſuſceptum continuare juſſus Walſinghamus, tum ut Regi ob redditam Galliæ rebus quietem gratularetur, tum etiam ut Proteſtantes in Gallia de ſingulari Eliſabethæ erga illos affectu certiores redderet. Hoc labore defunctus ſubſiſtere tamen in Gallia juſſus eſt, ut ordinarii Legati munere fungeretur, revocato in Angli-

Digitized by Google

-am Henrico Norriſio, cujus iſtæ hactenus fuerant partes. Et ita rurſus graviſſimis negotiis admotus eſt Walſinghamus. Cumprimis de matrimonio inter Eliſabetham & Ducem Andegavenſem ineundo, deque Galliæ Angliæque viribus fœdere conſociandis, ad Hiſpanorum inſultus repellendos, tum tractatum fuit. Parum autem abfuit, quin omnem ſpem arctioris fœderis aut amicitiæ abrumperet laniena illa Pariſienſis, quæ hoc ipſo tempore contigit, cujusque adeo haud ſemel in hiſce epiſtolis injicitur mentio. Nihiloſecius conſultatum deinceps porro fuit de eadem cauſa, cumque ſpes per Ducis Andegavenſis & Eliſabethæ matrimonium, hoc obtinendi decollaſſet, in vota & deſideria fratris ſucceſſit Dux Alenſonius. Quæ ſuper hoc etiam matrimonio diſputata tum ſint in utramque partem, accuratius quam forte alibi, in hiſce ſummorum virorum monumentis legere licet. Ex quibus patet, graviſſimorum, quæ eo tempore ſuſpenſum orbem tenuerunt, negotiorum hiſtoriam ex hisce epiſtolis egregie illuſtrari, idque ab A. 1570 usque ad A. 1581.

Sed ne ſpecimen deſit, unum alterumve ex iis, quæ maxime notatu digna nobis viſa fuerunt, paucis deſignabimus. De fatis, captivitate & morte Mariæ Stuartæ, Scotiæ Reginæ, tot jam extant virorum eruditorum narrationes & diſceptationes, ut earum fere laboremus mole. Ex hiſce autem Walſinghami epiſtolis diſcimus, Galliæ Regem ejusque matrem ſubinde ſerio Mariæ cauſam apud Eliſabetham egiſſe; unde quid de illorum cenſendum ſit ſententia, qui Gallicanæ aulæ gratam fuiſſe Mariæ perniciem prodiderunt, patet. Cum prima vice Walſinghamo ad Regis matrem aditus concederetur, hæc conqueſta eſt, quod durius haberetur Maria; more tamen aulico culpam in Eliſabethæ miniſtros rejecit, renitente Walſinghamo & velut dedecus Reginæ interpretante, ac ſi, ea neſcia ac invita, in rebus tanti momenti ſtatuere quid poſſent ejus miniſtri; contra aſſerente, penes Mariam ſtare, quod non mollius haberi ab Eliſabetha potuiſſet. Et hæc quidem in epiſtola IV leguntur. In epiſtola autem VIII, quæ ipſius Eliſabethæ eſt, ad Henricum Norriſium Legatum ſuum, prolixe cauſam ſuam ipſa Regina ediſſerit, & quo pacto eam perorari a Legato ſuo in aula Gallicana velit, demonſtrat. Tam accurate compoſita eſt, ut inter præcipua ſcripta, quæ hac in cauſa pro Eliſabetha prodierunt, referri mereatur. Quam

incerta & lubrica ſint, etiam prudentiſſimorum politicorum, de futuris ratiocinia, exemplo ſuo luculenter comprobat Walſinghamus noſter. In epiſtola enim V, quæ eſt ad Leiceſtrium Comitem, pacem Reformatos inter & Carolum IX Galliæ Regem initam, firmam ac diuturnam fore auguratur, ſeque ut hoc ſibi perſuaderet, his inductum fuiſſe rationibus ait: primo quod Rex natura ad pacem & quietem ſit propenſiſſimus, quod ſecundo pecunia deſtituatur, bellique plane pertæſi ſint, quorum maxime opera in bellis hactenus geſtis uſus ſit, & denique quod voluptatibus prorſus deditus Rex ſit, quibus quam male cum bello conveniat, nemo ignorare queat; & quæ alia ſunt ejusdem generis. Aſt eventus, ſpeciatim laniena Pariſienſis, mox docuit, parum feliciter, licet non imprudenter, rationes ſubduxiſſe Walſinghamum. Matrimonii inter Eliſabetham & AndegavenſemDucem, poſtea Galliæ Regem Henricum III, contrahendi ſæpius in his epiſtolis fieri mentionem, jam ſupra obſervavimus. Serione & ex animi ſui ſententia hocce negotium tractaverit Eliſabetha, an ſecus, non facile quisquam definiet. Ut autem conſtet, quam caute hic inceſſerit Regina, afferemus leges ab illa in epiſtola XLIX Legato præſcriptas, diligenterque ab eodem hac in re obſervandas. Mater namque Henrici telam hanc exorſa erat, eaque, ut erat mulier artium aulicarum peritiſſima, reſponſum *Eliſabethæ* ad certa quædam exigebat capita. Primo an conſtitutum ſerio ſit Eliſabethæ, alicui nubere? Ad quod reſpondet, vel Legatum potius ut reſpondeat, edocet, ſe quidem natura quodammodo a matrimonio abhorrere, vitamque cœlibem multis modis eidem præferre, ejusque rei inde documentum capi poſſe, quod cum privatæ adhuc ſortis teneræque ætatis eſſet, opimas & præclaras repudiaverit matrimoniorum conditiones: Nihiloſecius cum regni ſui ſubditorumque felicitatem omnibus ſuis commodis præferat, nullo modo tales ſe recuſaturam nuptias, quas ad regni ſui ſubditorumque ſalutem promovendam comparatas intellexerit: Laborare quidem ſe apud multos ea ſuſpicione, ac ſi gloriam quandam ex procorum illuſtrium, quos cum repulſa dimittat, multitudine capiat, ſed ſi quis cauſas rationesque, cur ita ſe gerere debuerit, perſpectas exploratasque habuerit, facile eum judicaturum, non aliter ſe gerere potuiſſe. Porro ſcire cupiebat aula Gallicana, num in ſententia ſua, qua declaraſſet Eliſabetha, ſe haud prorſus alieno animo eſſe a ma-

a matrimonio cum Duce Andegavenſi ineundo, permanſura eſſet? Ad quod reſpondet Regina, ſe utique permanſuram in ea, ſed ſi iis legibus contrahi matrimonium poſſet, quas & regni populique ſui ſalus & ſecuritas, & ſua dignitas, aliæque cauſæ, quæ in cenſum venire ſolent in matrimoniis Principum, exigant. Tertium caput hoc erat, ut hoc negotium tantum inter legatum Anglicanum Walſinghamum & Foxium Galliæ Regis miniſtrum tractetur. Nec refragatur Eliſabetha, conſultius tamen ducit, ut Foxius in Angliam veniat, paucioresque per ambages cum ipſa Regina hac de re agat. Quarto denique poſtulaverant Galli, ut ipſa Regina capita iſta legesque deſignaret, ſuper quibus conveniendum utrinque eſſet. Ad quod itidem reſpondet Eliſabetha, meliore jure a Gallis hæc ſe expectare capita: interim nec plura, nec majora expectare Ducem Andegavenſem poſſe, quam Maria conceſſiſſet Philippo II Hiſp. R. Speciatim autem Romanæ religionis exercitium non poſſe concedi Duci Andegavenſi, quippe quod regni legibus prohibitum ſit. Et ſuper ultimo quidem capite, religionis ſcilicet exercitio, multum diſputatum fuit, ut paſſim ex his ipſis epiſtolis liquet. Cæterum leges hujus matrimonii, quales Galli poſtulabant, exhibentur epiſtola LXVIII, ex qua etiam patet, quid in iis deſideraverit Eliſabetha. Inter alia autem hoc ceu memoratu dignum prætermittere non poſſumus, quod ſi Dux Andegavenſis mortua Eliſabetha, ſed prole tamen ex ea ſuſcepta, ſuperſtes foret, dici voluerit *Rex Pater:* aſt ſi ſine prole ſuperſtes foret, *Rex Dotarius.* Eliſabetha autem hoc inter minutias refert, ſuper quibus facile tranſigi poſſet, modo convenerint in eo, quod caput cauſæ erat. Inter præcipuos autem maximeque memoratu dignos eventus, quibus annus ſeculi decimi ſexti ſeptuageſimus ſecundus nobilitatus fuit, eſt laniena Pariſienſis, cujus frequens in hiſce epiſtolis injicitur mentio. Cumprimis ex ep. CXCV intelligere licet, quo pacto Legatus Gallicanus hocce Regis ſui facinus excuſare apud Eliſabetham annifus ſit. Aperte equidem dixit, tantam in iſta laniena eſſe crudelitatem, ut laudari a nemine aut defendi poſſit: imo tanto, ob indignum hocce Gallicanæ gentis facinus, pudore ſe perfundi, ut ſe pudeat magnopere Gallum eſſe. Aſt Regi tamen imputari poſſe iſtam crudelitatem negabat. Probabat hoc ex eo, quod cum Colignius, rerum maritimarum præfectus ſummus, & Proteſtantium tum temporis in

Digitized by Google

Gallia princeps, biduo ante iſtam lanienam, inſtinctu Guiſianorum, ex aula in domum ſuam ſe conferens, a quodam vulneratus eſſet, magnum ex ea re Rex perceperit dolorem: facinusque illud Regi ſerio diſplicuiſſe, colligi inde poſſe, quod ſancte aſſeveraverit, graviſſime in auctores hujus ſceleris ſe animadverſurum, Colignium quoque ſæpius inviſerit, verbisque humaniſsimis de favore ſuo certiorem reddiderit. Hic cum Regis erga Colignium animus eſſet (ita ex mente Legati Gallicani rem proſequi lubet) ſubito Regi indicatum eſt, Colignium ejusque amicos verbis Regis non habentes fidem, conſtituiſſe per ſe facinus in Colignium commiſſum ulciſci, Regemque ipſum, Reginam matrem, & Regios liberos in ſuam redigere poteſtatem. Aſſeruit quosdam ex ſociis conſpirationis, conſcientiæ ſtimulis actos, rem omnem Regi ſignificaſſe: aliaque addit, quibus fidem ſuæ narrationi conciliare annititur. Rex itaque, ita pergit, in maximo evidentiſſimoque vitæ amittendæ periculo non ſe modo, ſed totam Regiam familiam conſtitutam videns, terroreque perculſus, & unius ſolum horæ ſpatium ad deliberandum ſibi ſupereſſe intelligens, permiſit inimicis Colignii, ut ad præſentiſſimum periculum avertendum, tanti ſceleris auctores interficerent. At hi licentia ſemel impetrata, neutiquam intra limites a Rege illis præſcriptos ſubſtiterunt, ſed iis migratis promiſcue in omnes magna ſævierunt crudelitate. Ex hisce colligit, Regem potius ob infelicem huncce caſum commiſeratione dignum eſſe; tantum abeſſe, ut reprehendi ideo aut culpari poſſit. Hæc Legatus Gallicanus. Sed memoratu quoque dignum eſt, quod ab Eliſabetha accepit reſponſum, quodve in eadem legitur epiſtola. Quæ de illa laniena accepiſſet, ita ſe habere, ut ſi vera eſſent, non poſſint non magnam famæ & exiſtimationi Regis inurere dedecus; aſt eo ſe in Regem animo eſſe, ut nondum adhibere fidem iis queat, quæ tamen a plerisque mortalium vera eſſe credantur. Jam cum a Legato rei totius ſeriem acceπiſſet, vehementer ſe optare, ut toti orbi per rei veritatem hoc ita perſuaderetur. Cæterum ſi, quæ Regi de conſpiratione Colignii indicata ſint, cum reipſa convenerint, innocentem quodammodo eſſe Regem, nec a quoquam mortalium vitio illi verti poſſe, quod ſceleſtis hisce molitionibus tempeſtiva oppoſuerit remedia; licet modus ſecuritati Regis conſulendi, conceſſa inimicis Colignii in eum ſævien-

vien

viendi licentia, eo minus excuſari poſſit, quo facilius Regi fuerit, obſervato judiciorum ordine, in hocce facinus animadvertere, & ſi forte in mora periculum fuerit, eorundem opera ad noxios comprehendendos tumultusque comprimendos uti, quorum armis tot innocentium hominum ſanguis effuſus ſit. Interim non poſſe expeditiori ratione Regem labem famæ ſuæ adſperſam detergere, quam ſi iſtos, qui migratis limitibus a Rege præſcriptis, cæde & ſanguine omnia compleverint, ea qua deceat, ſeveritate puniat: qua in re ſi quædam difficultas deprehendatur, ad eam ſuperandam ſe ſuas regnique ſui opes offerre. Idque eo magis e re Regis eſſe, ſi, quod multis veriſimilius videatur, inimici Colignii fictis & ad decipiendum Regem compoſitis narrationibus, ad ejusmodi quid permittendum eum induxerint. Hæc & alia ejusdem commatis ad Gallicanum Legatum Eliſabetha. Sed priusquam hinc diſcedamus, addendum, quod in Epiſtola CCXVII de eodem negotio legitur. Conſtat, poſt lanienam iſtam, multos dignitate & generis nobilitate conſpicuos viros, ceu reos conſpirationis, morti adjudicatos fuiſſe. In his duo viri nobiles (de Briquemaut & de Canagnes) inſignes fuere, quorum ſupplicio, ut Walſinghamus refert, Rex ipſe, Regia mater, Rex Navarræ, fratres Regis cum Principe Condæo, ſpectatores interfuerunt: aſt editor obſervavit, juxta Mezeræum, Regem tantum & Reginam matrem interfuiſſe. Prior quidem ex illis jam cervicem carnifici præbiturus, invocato in teſtem Deo, innocentem ſe eſſe ſceleriſque purum, ſolenni formula, quæ hic legitur, declaravit: id quod alter vel ſilentio ſuo etiam comprobavit. Aſt ad Regis animum commovendum hæc parum profeciſſe, Walſinghamus addit, qui poſt lanienam iſtam adeo humani ſanguinis ſitiens factus ſit, ut tam truculenti conſilii auctores ſibi ipſis etiam timuerint, metuerintque, ne ſuo forte exemplo, malum conſilium conſultori peſſimum, comprobarent. Mortuo Carolo, & Henrico in ejus locum ſuffecto, Alenſonius Dux, ut Eliſabetha regnoque Angliæ potiretur, omnem movit lapidem. Hactenus equidem haud raro ea evenerant, quæ Anglorum Gallorumque prorſus interrumpere amicitiam videbantur, ſed reſtituta mox eſt & redintegrata ob communem hoſtem Hiſpanum, jamque eam longe adhuc arctiorem reddere inito hocce matrimonio cupiebant Galli, idque e re Anglorum eſſe ſibi perſuadebant.

Digitized by Google

bant. Saltem Alenſonius Dux hoc agebat, qui ſive ætatis diſparitatem, ſive religionis diverſitatem, ſive incommoda in utramque partem redundatura obtenderet Eliſabetha, ab inſtituto ſuo ſe dimoveri non patiebatur. Quæ hac de re agitata ſunt, in Epp. CLVIII, CLXXVIII, CLXXXII, CXCIII alibique legi poſſunt. Nobis ad finem properandum eſt, ſi hoc ſaltem adjecerimus, quod quivis tamen facile conjectura aſſequi poteſt, ad Eliſabethæ cumprimis hiſtoriam illuſtrandam comparatas eſſe haſce epiſtolas. Et ſane, præter alia, mores quoque atque indolem Eliſabethæ ſubinde accurate hæ epiſtolæ explicant. Sic non ſemel ipſe Walſinghamus avaritiam in ea notat, quæ graviſſimis ſæpius negotiis impedimentum aliquod afferat. Exemplum præbent Ep. CIX, CXI. Imo ad ipſam Eliſabetham aperte ſcribit, maxima ſe facili negotio avertere pericula poſſe, ſi paulo liberalior eſſe velit, Epiſt. CCXIX. Sed ut quisque, quid ex hisce epiſtolis ſperandum ſit, intelligat, hæc ſufficere poſſunt.

QUINTI HORATII FLACCI OPERA AD OPTIMOrum exemplarium fidem recenſita. Acceſſerunt Varia Lectiones notatu digniores.

Cantabrigiæ, typis Academicis, 1701, in 12. Plag. dimid. 28.

Altera jam hæc eſt Horatii Operum editio, quæ ex nova Illuſtris Academiæ Cantabrigienſis typographia prodiit, elegantiſſima illa, & quod præcipuam laudem meretur, ſummo ſtudio emendata. Quod ſi in omnibus, quos edituri ſunt, libris emaculandis parem induſtriam impendere typographiæ iſtius Curatores ſuſtinebunt, næ habebit Orbis Literatus, de quo ſibi tanto magis gratuletur, quanto plures libros ex officinis aliis prodire quotidie videmus mendis miſerrime defœdatos, ac indignos, qui doctorum manibus terantur. Cæterum annotationes in margine allinere ſuperſederunt, qui curarunt Horatii hanc editionem, neque certe neceſſe id fuit, cum tot jam dudum extent commentarii, quibus Horatii opera ſunt illuſtrata. Sub calcem tamen libri varias lectiones, ſed non niſi ſelectiſſimas, viſum iis fuit annectere.

* * * *

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCI.

HISTORIA VITÆ SIMONIS EPISCOPII, SCRIPTA a PHILIPPO a LIMBORGH, e Belgico in Latinum ſermonem verſa, & ab Auctore aliquot in locis aucta.

Amſtelodami apud Georg. Gallet, 1701, 8. Conſtat Alph. I.

AMicorum rogatu, e monumentis publicis certiſſimis teſtibusque αὐτόπταις, hanc a ſe Belgice olim ſcriptam Vitam, verſione autem ab amico adornata, recognitam multisque locis auctam CL. Autor memorat. Quæ quidem eo magis *Remonſtrantium & Synodi Dordracenæ hiſtoriam* illuſtrat, quo majus inter eos *Epiſcopii* nomen, quo duriora in hac ejus fata fuere. Difficillimis vero temporibus, Patre *Egberto Remberto Epiſcopio*, Matre *Gertruda Joannis*, Amſtelodami A. 1583 Menſ. Jan. natus eſt *Simon Epiſcopius*. Is, cum excellenti præditus eſſet ingenio, hortante Fratre *Remberto*, ſubſidium offerente *Cornelio Benningo*, Viro Conſulari, literis dicabatur. Primum igitur in Schola Latina utriusque linguæ notitia imbutus, in numerum alumnorum Amſtelodamenſium a Senatu admiſſus eſt, unde A. 1600 in Academiam abiit, Lugdunique in Collegium Illuſtr. Ord. Hollandiæ & Weſtfriſiæ receptus, cum non Theologiæ minus, quam Philoſophiæ arcana ſcrutatus eſſet, A. 1606 utroque jam parente orbatus, Philoſophiæ Magiſter factus eſt. Ex eo tempore totum ſe Theologiæ dedens *Franciſcum Gomarum*, *Lucam Trelcatium*, & *Jacobum Arminium* aſſiduus audivit, ſuæque eruditionis ac pietatis merito, munere concionatorio dignus viſus fuit. Sed ſub idem tempus, *Trelcatio* mortuo, triſtis inter *Arminium* & *Gomarum* de Prædeſtinatione contentio exarſit, in qua cum ab Arminii partibus ſtaret Epiſco-

piſcopius, Miniſtri Amſtelodamenſes effecerunt, ne Senatus ipſum concionatorio ordini adderet. Quare is *Johannis Druſii* Ebrææ linguæ Profeſſoris audiendi gratia, in Academiam Franekeranam A. 1609 conceſſit, magnoque ibi doctorum favore exceptus, latere non potuit. Publice igitur cum *Sibrando Lubberto* omnibus applaudentibus aliquoties diſputavit, ipſumque facili ſuperavit negotio. Extincto deinde præceptore ſuo *Arminio*, ut doctrinæ, ſic invidiæ ejus hæres quaſi fuit. Quare jam *Socinianiſmi* reus agebatur; jam a Sibrando, quem pluribus rationibus vicerat, Franekeræ heterodoxias accuſabatur; jam a Synedrio Amſtelodamenſi laceſſebatur. Quæ quidem res non minuit ejus apud alios amorem, ſed auxit. Ab Alcmarienſibus enim brevi poſt ad eccleſiaſticam functionem expetebatur; quam quidem ob diſſidia, quæ jam ibi facta erant, deprecatus, Bleiſvicum, quo multis licet fruſtra renitentibus, vocatus erat, ſe contulit, ibique, quamvis altera jam vice ab Alcmarienſibus concionator expeteretur, per aliquod tempus manſit. Exhibita interim a Doctoribus Arminii ſententiæ addictis *Remonſtrantia*, Epiſcopius, junior quidem, ſed ingenii ac eruditionis laude clariſſimus, celebri *Collationi Hagienſi*, ad quinque articulos Remonſtrantia comprehenſos illuſtrandos inſtitutæ, intereſſe a ſuis jubebatur. Hinc cum, finita collatione, & utrique parti mutua tolerantia commendata, lites magis augerentur, Roterodamum cum *Grevinchorio* ad turbas a *Geſelio* excitatas componendas profectus eſt. Quibus rebus cum fama eruditionis ejus creſceret, *Ultrajectum* ad functionem eccleſiaſticam A. 1611 vocatus, ſed antequam eo a Bleiſvicenſi Eccleſia dimitteretur, in Academia Lugdunenſi A. 1612 Theologiæ Profeſſor in *Gomari* locum factus, munusque ſuum inaugurali oratione *de optima regni Chriſti extruendi ratione* auſpicatus eſt. Ubi quidem magnæ ipſum turbæ exceperunt. Nam Miniſtri quidam Amſtelodamenſes Profeſſoriam ipſi dignitatem invidentes, turbatorem eum vocabant, & ſtudioſus Gallus Leidæ Socinianiſmi arguere, quanquam fruſtra, conabatur: quibus & alia majorum certaminum præludia acceſſerunt. Fratris enim filiam A. 1613 poſtrid. Kal. Apr. e Baptiſmo ſuſcepturus, cum Heidano, *an doctrinam V. & N. Teſtamento & Chriſtianæ fidei articulis comprehenſam, ac quæ hic in Eccleſia* (Amſtelodamenſi) *doceretur, veram duceret?*

ceret? captioſe interoganti, is ex formula in decreto Synodi A. 1586 facta, *ſe vero fidem in utroque Teſtamento contentam, & quæ ei in Eccleſia doceretur conſentanea, veram conſiteri* reſpondiſſet, prope abfuit, ut a plebe per Miniſtros concitata lapidibus obrueretur. Quæ calamitates, cum edito licet A. 1614 Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ decreto, quo ſatis cautum Remonſtrantibus videbatur, indies augerentur, effecerunt, ut oblatam ſibi A. 1615 a Senatu Lugdunenſi Concionatoris provinciam, ne majoribus calumniis exponeretur, accipere nollet. Sed ne ſic quidem evitare eas potuit: nonnullis ipſum in itinere ad Gallos per dies caniculares ſuſcepto, inimica patriæ ac religioni cum Jeſuitis conſilia iniiſſe exprobrantibus; quod quidem publicum Legati Batavici teſtimonium falſo dictum fuiſſe, perhibuit: aliis, & præcipue *Feſto* quodam, turbulento & infeſto Remonſtrantibus homine, Socini doctrinam ipſi imputantibus; quod crimen collatione duplici coram Curatoribus Academiæ habita, & egregio ab iis obtento teſtimonio Epiſcopius diluit. Neque tamen minus poſtea *Feſti* & Collegæ etiam ſui *Polyandri* dicteriis & calumniis petitus fuit. Sed hactenus quidem intra privata diſſidia conſtitiſſe videbantur Belgii Doctores: deinde ad manifeſtum ſchiſma omnia ſpectabant, Contra-Remonſtrantibus paſſim a Remonſtrantibus diſcedentibus, cœtus ſeparatos conſtituentibus, & Remonſtrantes falſos doctores declarantibus; Epiſcopio cum aliis, qui Collationi Hagienſi interfuerant, fruſtra Superiorum expetente præſidium. Jam enim furor arma plebi miniſtrabat: turbabantur Remonſtrantium conventus; locus, quem iis habendis conduxerant, a fece plebis ſeditioſa lacerabatur; auditores verbis ac verberibus petebantur: *Remberti Epiſcopii*, qui frater erat noſtro, ædes impune diruebantur. *Joannis* etiam *Epiſcopii* domus parum ab iſto fato aberat. Poſtea Senatus conſulto adverſus Remonſtrantium congregationes promulgato, *Remberto Epiſcopio* cum uxore ſacra cœna interdicebatur. Inter has turbas Simon Epiſcopius omnia agebat, quæ ad pacem reſtituendam utilia arbitrabatur. Huc referendum ſtudium, quod in reſtinguendis turbis, quas *Adolphi Venatoris* libellus *Theologia vera & mera infantium & lactantium in Chriſto* &c. Theologiæ Reformatæ non conveniens dederat, locavit; huc colloquium, quod cum *Mauritio* Principe inſtituit; huc conciones, quas Hagæ Comitum at-

Uu 2 que

Digitized by Google

que aliis in locis habuit: huc tandem opera referenda, quam in Synodo nationali ſumma fide præſtitit. Illa enim tandem Dordraci A. 1618, convocatis etiam aliarum gentium Theologis, in Belgio parabatur, & ad eam *Epiſcopius* ſingularibus Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ literis invitabatur. Cumque omnia ante ita compoſita eſſent, & contra Remonſtrantes directa, ut jam, qui exitus nationalis Synodi futurus eſſet, appareret, *Feſtus Hommius* etiam in uſum Synodi nationalis ſuum *Specimen Controverſiarum Belgicarum* edidiſſet, & in eo Remonſtrantium ſententiam mala fide expoſuiſſet; Epiſcopius breve ſcriptum iſti oppoſuit, cui titulus: *Optima Fides Feſti Hommii.* Porro inſtante Synodi tempore, præſideque jam *Joanne Bogermanno* Leowardiæ Miniſtro, iisque Aſſeſſoribus conſtitutis, de quibus nihil boni ominari Remonſtrantes poterant, Epiſcopius etiam itineri ſe paravit, & XIII Novembris oratione ſolenni atque elegantisſima Academiæ ſuæ valedixit, in qua tria potisſimum ſuis in memoriam revocavit: ſe primo Theologiam a Scholaſticorum tricis expedire, deinde cum veritatis Theologicæ notitia morum ſanctitatem jungere, & tandem pacem ac concordiam conſervare ſemper ſtuduiſſe. Deinde in Synodo etiam ſedulo ſe id acturum pollicitus, cum aliis ſua ſponte in Synodo comparituris a *Delegatis* citatus comparuit, & fide publica interpoſita, exterisque Theologis ſalutatis, die 7. Decemb. Synodum intravit: habitaque pathetica oratione, qua *Remonſtrantium ſententiam, querelas, atque pacis ſtudium declarabat, ipſorumque cauſam Synodi Aſſeſſoribus commendabat*, in primo limine a Synodi Præſide *Bogermanno* iniquius paulo, quaſi ſine venia, quam tamen modeſte petierat, locutus eſſet, increpatus, ipſamque orationem, quam prælegerat, ſubſcriptis Citatorum nominibus, nec non autographum ipſum tradere coactus eſt. Ex quo tempore cum male habiti ſunt Remonſtrantes omnes, tum inprimis Epiſcopius: illi quidem, quod cœcis Synodi decretis ſe ſubmittere, ipſiusque autoritatem agnoſcere nollent; hic, quod ſe a mendaciis, quorum reus agebatur, quaſi negaſſet, ſibi duo orationis habitæ exemplaria eſſe, defenderet. Et quanquam ſperaſſent, ſe cum ea amice de ſententiis controverſis collocuturos, ſcripto tamen tradere ſuam ſententiam coacti, exhibitis deinde ſuis in quinque Articulos, Catecheſin & Confesſionem Conſiderationibus, li-

ber-

bertate ſuam ſententiam, quantum ipſis neceſſarium videbatur, defendendi, adverſam refellendi, Dordraco denique egrediendi, & conciones habendi, privati; & cum Dictatoriæ adverſariorum ſuperbiæ adhuc, in omnibus ſubjicere ſe non poſſent, contumacis pertinaciæ accuſati, ac licet etiam ſe per conſcientiam, quæ in omnibus parere non poſſet, excuſarent, mandato tamen Ordinum Generalium iſtud ut facerent juſſi, in Synodo deriſi, ea denique excluſi, & invitis quamvis exteris, contumelioſe a Præſide ejecti ſunt. Inde in illos abſentes aliquot orationibus in Synodo declamatum, & varie cum larvis quaſi pugnatum eſt. Porro exhibitis aliquot Remonſtrantium ſcriptis, quibus ſententias ſuas defenderant, ii Dordraco egredi iterum prohibiti fuere. Præſes autem Synodi Bogermannus, indignantibus exteris, Canones conflare incepit: quos ubi cum quibusdam ipſi a Synodo adjunctis confeciſſet, prælegi, & Gallis Haſſiacisque multa in iſtis reprehendentibus, magna pompa publicari curavit. Sicque Synodo finis impoſitus eſt, non autem ſævitiæ ac tyrannidi, qua in Remonſtrantes & Epiſcopium inprimis uſi ſunt Contra-Remonſtrantes. Hi enim factionum, corruptæ religionis, ſchiſmatis, & intolerabilis adverſus Magiſtratum pertinaciæ rei acti, omnibus eccleſiaſticis miniſteriis academicisque officiis indigni judicati & exauctorati, conciones etiam in privatis conventibus habere prohibiti, Dordraci per multos menſes arcte detenti, Hagam deinde, ut ibi inſtrumento *ceſſationis* ſubſcriberent, citati: quod ubi omnes, præter unum *Henricum Leonem*, facere ſe non poſſe, firmis rationibus demonſtraſſent, promulgato contra religioſos Remonſtrantium conventus ſeveriſſimo Ordinum Generalium edicto, publico eorundem Ordinum decreto patria exire ſunt juſſi. Contra quod cum publica & ſolenni voce *Epiſcopius* communi omnium nomine proteſtaretur, & ad Deum, juſtum judicem tantæque injuriæ vindicem provocaret, in conclave quoddam omnes incluſi, tandemque die 6 Julii curribus per apparitores conductis Valvicum educti ſunt, dato ſingulis, quod nondum ſolutum erat, ſtipendio ſuo. In quo quidem Epiſcopius Remonſtrantium cum Uytenbogardo facile princeps, Imperialem forte accepit, in Ducatu Brunſvicenſi cuſum, qui afflictis inter medias turbas ſolatio eſſe poterat. Una enim ejus facies ſtatuam Veritatis exhibebat, cujus caput cin-

ctum erat his verbis: *Veritas vincit omnia.* Pedibus ejus ſubjectæ erant imagines,quarum uni ſuperſcriptum erat, *Calumnia;* alteri, *Mendacium.* In averſa Nummi facie majuſculis characteribus legebatur hæc ſententia: *Recte faciendo neminem timeas.* Ex eo tempore diverſa Synodi & Remonſtrantium ſtudia fuere. Poſt dimiſſionem enim exterorum Theologorum, provinciales actus Synodales continuarunt, & in *Poſtactis* varia ad Eccleſiæ Belgicæ ſtatum pertinentia definiverunt, inprimis autem omnes Remonſtrantium ſententiæ addictos expellendos eccleſiis, totamque eorum doctrinam opprimendam ſtatuerunt: quod porro, ſoluta nationali Synodo, Synodis provincialibus ſingulæ provinciæ ſunt executæ. Tres tum Leidæ novi Theologiæ Profeſſores conſtituti, *Andreas Rivetus, Antonius Walæus*, & *Antonius Thyſius.* In *Gerhardi Johannis Voſſii* Regentis Collegii locum *Feſtus Hommius* ſucceſſit, *Barlæo* Subregenti ſuffectus eſt *Daniel Sinapius.* Plurimi denique aliarum etiam Facultatum clariſſimi viri, *Petrus Bertius, Wilhelmus Coddæus, Gilbertus Jacchæus, Johannes Meurſius* & *Cornelius Sylvius*, vel muneribus ſuis privati, vel gravi cenſura notati ſunt. Ex quibus Synodi actis iniquitatem ejus demonſtrare hujus libelli Autor nititur, & adducto Theologorum *Wittebergenſium*, Doctoris *Nic. Hunnii* Superintendentis Lubecenſis, & *Petri Haberkornii* e Lutheranis, *Ludov. Molinæi* & *Petri Molinæi* e Reformatis teſtimonio oſtendit, quid de Jacobi Capelli in Diſputatione, *an Arminii ſententia poſſit tolerari, th. 41.* judicio cenſendum ſit, cum dicere non vereatur: *eam Dordracenorum Patrum æquitatem fuiſſe, ut poſt Apoſtolorum obitum Synodi nullius extet memoria, quæ citatos hæreticos patientius audierit, moderatius tractaverit, ſanctius judicaverit.* Contrarium certe docuit Epiſcopius, qui cum exilii ſui ſociis *Valvici* ſingulari *Epiſcopi Sylvaducenſis* gratia exceptus, duos adverſus Synodum Dordracenam libellos edidit, unum Latine, præfixo titulo: *Synodi Dordracenæ crudelis iniquitas;* alterum Belgice ſcriptum, ſed poſt ab ipſo Epiſcopio Latine verſum, cui titulus: *Antidotum continens preſſiorem declarationem propriæ & genuinæ ſententiæ, quæ in Synodo nationali adſerta eſt & ſtabilita.* Idem poſtea Valvico cum Miniſtris exulibus Antverpiam ad Uytenbogardum & Grevinchovium ſe contulit, ibique communicatis conſiliis ſocietatem & ordinem Eccleſiæ Remonſtrantium

tium compoſuit. Tres igitur Directores conſtituti, *Uytenbogardus*, *Epiſcopius* & *Grevinchovius*, qui Miniſtris ſpreto exilio & carceris metu in patriam redituris, eccleſiasque erudituris mandata darent, & præter hos tres alii, *Eduardus Poppius*, *Carolus Niellius* & *Joannes Corvinus*. Et cum non conſultum eſſet, ut tres illi ſuperiores in patriam redirent, cum illis imprimis inſidiarentur Contra-Remonſtrantes, iſti tres externi Directores graviorum rerum arbitri; *Adrianus Borrius*, *Carolus Niellius & Eduartus Poppius* vero, quia in patriam redibant, *interni Directores* appellati, illorumque auſpiciis *Acta & Scripta Synodalia Remonſtrantium* edita ſunt. Sed quo ſtudioſius rebus ſuis proſpiciebant Remonſtrantes, eo vehementius in illos ſævitum eſt ab adverſariis. Omnes conventus religioſi ſeveriſſime interdicti, in auditores pariter ac doctores graviſſimæ pœnæ conſtitutæ, a multis etiam crudeliſſime exactæ ſunt; quod inprimis *Remberti Epiſcopii* exemplo declarat Autor. Hujus enim epiſtola quod apud *Stocbium* captum a Contra-Remonſtrantibus inventa erat, quamvis de privatis rebus & ſimpliciter ſcripta eſſet, is in Curiam vocatus, præque metu ſe occultans, ſonante campana citatus, ejusque literis & opibus cunctis perquiſitis ipſe e territorio fugere coactus, & interjecto tempore in patriam reverſus, tum a Senatu, tum a Concilio Eccleſiaſtico varie vexatus, tandem una cum aliquot aliis excommunicatus eſt. Quod quidem brutum excommunicationis fulmen frater ejus *Simon Epiſcopius* libello aliquo, *Nullitas excommunicationis Calviniana* dicto, irritum eſſe demonſtravit, & alios multos pro Remonſtrantium defenſione labores ſuſcepit. Inprimis poſtulatu Remonſtrantium *Confeſſionem illorum atque ſuæ doctrinæ explicationem* compoſuit, eandemque Uytenbogardo, Grevinchovio & Niellio, Remonſtrantium deputatis, omnibus denique Miniſtris, Antwerpiæ & aliarum civitatum cœtibus, recognoſcendam atque examinandam dedit, tandemque omnium ſuffragio in lucem A. 1621 Latine Belgiceque emiſit, & adverſus *Campbuyſii* judicium, qui eam Chriſtianæ libertati adverſari putabat, vendicavit. Deinde & huc pertinet, quod aliquibus colloquiis Remonſtrantium doctrinam adverſus Jeſuitam Wadingum aſſeruit, Coloniæ, in Brabantia & Gallia illam propagavit, multisque ſcriptis illuſtravit. E Gallia certe in quorundam Remonſtrantium gratiam librum miſit, quo licitum eſſe

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiano homini Magiſtratum gerere, demonſtratur. Sub idem tempus, poſtulante Grotio, *Paraphraſin ſuam obſervationesque in finem octavi Capitis, inque 9, 10, ac 11 Caput Epiſtolæ S. Pauli ad Romanos* ſcripſit: & contra eos, qui etiam pleroſque Romanæ Eccleſiæ errores improbantibus autores erant, ne ab ejus communione diſcederent, quædam concinnavit; conſpirationis porro contra Principis Mauritii vitam, a Dn. a Stoutemburg, Johannis Barneveldi filio concitatæ invidiam, a Remonſtrantium ſocietate declinavit; ſuæque ſocios fidei eo malo magnopere afflictos erexit: examen etiam Theſium *Jacobi Capelli* Profeſſoris Sedanenſis, de controverſiis Belgicis doctrinæque Arminianæ tolerantia edidit, & contra *Nicolai Bodecheri*, qui in Contra-Remonſtrantium caſtra abierat, Sociniano-Remonſtrantiſmum, *Bodecherum Ineptientem* emiſit. Gallia deinde peragrata, librum *de Libero Arbitrio*, poſt mortem demum ejus editum confecit: eodemque tempore *Joannis Cameronis* Prof. Theologiæ Salmurii ſententiam de eadem re, epiſtola ſcripta, quæ poſtea per *Edmundum Mercerum* in lucem eſt edita, confutavit, ejusque ad eam exceptiones diluit: quod ultimum contra Cameronem ſcriptum, operibus Autoris poſt ejus fata inſertum eſt. Inter hæc duobus maximis malis defunctus eſt Epiſcopius, periculo ſcilicet, in quod, dum *Holſatiam* cum *Uytenbogardo* peteret, incurrit, quod fere Amſtelodami adverſariis ſuis proditus fuiſſet; & dolore, quem ex maximi natu fratris *Remberti Epiſcopii* morte, A. 1625 menſe Aprili accepit. Neque tamen hæc adverſa impedivere Epiſcopium, quo minus in aſſerenda ac defendenda Remonſtrantium doctrina ſtrenue pergeret. Is enim porro Profeſſorum Leidenſium Cenſuram in Confeſſionem Remonſtrantium, publico nomine confutandam ſuſcepit, jamque cum Uytenbogardo ſuo patriæ redditus, omnes Remonſtrantium res e propinquo direxit, eorum conventibus interfuit, ipſe ſæpe conciones habuit. Belgice libellum ſcripſit, hoc titulo: *Judicium de diſceptatione de ordinario medio converſionis hominis*, quæ Amſtelodami inter Anabaptiſtas orta fuerat; *& Apologiam Confeſſionis Remonſtrantium*, imprimis contra criminationes *Walæi*, qui Profeſſorum Leidenſium Cenſuram Belgice ediderat, ſtatim eadem lingua ſcripſit; nec non *Examen Diſputationis Walæi*, qua is IV controverſos Remonſtrantium Articulos propoſuerat, in publicam lucem

Digitized by Google

cem emiſit: & alia pro libertate religioſorum conventuum apud Remonſtrantes, quæ illis inſtinctu Cleri Contra-Remonſtrantium adhuc denegabatur, ſcripſit. Denique *Apologiam* etiam *contra ipſas Profeſſorum Leidenſium cenſuras & criminationes* abſolvit, eamque cum reliquis fidei ſuæ ſociis communicatam edidit, & novas criminationes, ac ſi Remonſtrantes cum Socinianis facerent, inde petitas diluit, libroque Profeſſorum Leidenſium, cui titulus, *Specimen calumniarum atque heterodoxarum opinionum ex Remonſtrantium Apologia excerptarum, inſtar prodromi ad præmonendos omnes veros Chriſtianos*, defenſionem ſuam oppoſuit. Interea Magiſtratuum æquitate Remonſtrantes majori libertate frui cœperant in Belgio; conventus jam apertius celebrabantur; quibusdam etiam in locis ædificia, in quibus haberentur conciones, extruebantur. Aliquoties igitur Amſtelodami concionatus eſt Epiſcopius, & libero jam religionis cultu Remonſtrantibus permiſſo, poſtulantibus fidei ſuæ ſociis, formulas, quibus in adminiſtrando baptiſmo & S. cœna uterentur, compoſuit. In iſta rerum tranquillitate, Epiſcopius *Mariam*, *Johannis Peſſeri* filiam, *Henrici Niellii* viduam Roterodami degentem, piam ac honeſtiſſimam matronam, vitæ ſibi ſociam, inter omnium bonorum plauſus, A. 1630 legit; Grotio inprimis exiſtimante: *maximi viri Eraſmi memoriam meruiſſe, ne tales nuptiæ alibi, quam in ſua urbe fierent.* Deinde omnium conſenſu quoddam *Seminarium*, in quo juvenes bonas literas & Remonſtrantium fidem docerentur, Amſtelodami conſtituit, firmamque ibi ſedem fixit; & quamvis Theologiam publice doceret, concionibusque habendis occupatus eſſet, continuo tamen ſcribendis libris operam dedit. Eo ſtudio *Homilias in quintum caput Matthæi*, & contra Nicolai Vedelii Arcana Arminianiſmi, *Vedelium Rhapſodum* compoſuit; contra Wilhelmi quoque Bommii Pontificii hominis ſcriptum ſtylum arripuit; cum *Triglandio* etiam plura reciprocavit. Is enim ediderat aliquot conciones contra *Anguſtam Portam Poppii*, easque in grande volumen compactas *Vim pietatis* appellaverat. Huic Epiſcopius oppoſuit ſcriptum, cui titulus: *Imbecillitas pietatis doctrinæ Jacobi Triglandii in libro contra Anguſtam Portam Eduardi Poppii.* Huic a Triglandio oppoſitus eſt *Imbecillus Remonſtrans, proſtratus ac dilaceratus vi doctrinæ veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt.* Epiſcopius ei reſpondit alio ſcripto, cui titulus: *Vis pietatis proſtrata ac dilacerata Jacobi Triglandii, partim omiſſis reſponſis,*

partim infirmis ſubterfugiis. Contra hoc edidit Triglandius *Veram Religionem defenſam contra calumnioſas ac perverſas argutias Remonſtrantium Societatis.* Hunc excepit Epiſcopius alio libro, cui titulus: *Rixoſa Religio, ſive intricata, falſa & ratione carens Religio Jacobi Triglandii.* Contra quem licet quædam Triglandius repoſuerit, illa tamen indigna ſua reſponſione Epiſcopius judicavit. Rogatu autem *Joannis Beverovicii,* judicium de *Termino vitæ,* fatalisne eſſet, vel mobilis, ſcripſit, illique alium contra Pontificios libellum, *Labyrinthum vel circulum Pontificium* ſubjunxit. Poſtea *Conciones ſuas in verba Job. XVII, 3.* confecit; diſcipulis ſuis *ultra LX quæſtiones Theologicas* explicuit; adverſus libellum *Remonſtrans Theologus* dictum, *Verum Remonſtrantem Theologum* compoſuit, & plura denique alia ad defendendam Remonſtrantium cauſam ſcripſit; inprimis *Inſtitutiones* ſuas *Theologicas*, in quibus omnium theſium veritatem & neceſſitatem explicuit, viamque paci ac concordiæ ſternere voluit. Quod quidem doctiſſimum opus, gravi & tandem lethali ipſe morbo impeditus, abſolvere haud potuit. Cum enim A. 1640, ſcapha conducta, una cum uxore Roterodamum peteret, in itinere vehemens ipſum febris corripuit, & per quatuor menſes lecto affixum tenuit; ex quo ut paulum convaluit, Amſtelodamum reverſus, Evaldo & Ysbrando Roſiis ad Pontificiam Eccleſiam inclinantibus decem, quæ propoſuerant Pontificii, dilemmata ſolvit, quæ & poſt edita fuere. Reſponſionem etiam ad Examen *Abrahami Heidani* contra Inſtitutionem Religionis Chriſtianæ ſecundum Confeſſionem Remonſtrantium, A. 1642 prælo ſubjecit. Sed inter hos labores, & ſuaviſſimam ſibi conjugem dyſuria & febri extinctam amiſit, ipſeque A. 1643 Menſe Febr. in eundem dyſuriæ morbum incidit, eoque LXI ætatis annum agens, ea hora, qua eclipſin Luna patiebatur, triſti omine, non ſine ingenti omnium ſuorum dolore extinctus eſt, totque rebus inter ſuos præclare geſtis ſingularem laudem meritus; quod ex tot CL. Virorum teſtimoniis ab Autore adductis clare ſatis patet. *Uytenbogardus* certe ſæpe teſtatus eſt, *ſe cum multis eruditis viris fuiſſe collocutum, verum nullum Theologum offendiſſe, qui notitia Scripturæ rerumque Divinarum Epiſcopio æquiparandus eſſet.* *Heidanus* ejus adverſarius *magnæ ipſi eruditionis, ſubtilitatis, eloquentiæ & peritiæ* elogium dedit. *Franciſcus Burmannus* laudabilem ejus operam

ram prædicans, *multum iſti judicii*, *ſalis multum* tribuit. Editores operum *Riveti* nullum ei elogium dedere, niſi quod dederat ei Epiſcopius in Epiſtola ad Beverovicium; adeo illi a laudato hoc viro laudari, multum putarunt. Ipſi etiam Pontificii, *Mabillonio* arbitro, ſummam in hoc viro *doctrinam* & *elegantiam* agnoverunt. Et quanquam ob animi moderationem, aliorumque tolerantiam, *Socinianiſmi* aperte ſæpe fuerit accuſatus, Autor tamen adducto *Calovii* noſtri judicio e Conſid. Armin. p. 11. hac illum ſuſpicione liberat, ipſumque ſua modeſtia, & accurata argumentorum ſoliditate plus, quam alios acerba & anili altercatione, contra Socinianos effeciſſe, *Slichtingii* & *Ruari*, qui ad Remonſtrantium ſententiam ab Epiſcopio adducti ſint, exemplo docet; ipſum tandem adverſariorum maledicta & opprobria ſale quidem aliquo defricuiſſe, cæterum ea animi probitate fuiſſe perhibet, ut ſummo ſtudio caveret, ne quis a ſe unquam læderetur. Atque hæc ex Hiſtoria noſtra delibaſſe ſuffecerit, quæ ſi non omnibus adverſæ partis Theologis probabuntur, meminiſſe eos oportet, nos librorum contenta bona fide in compendio exhibere, epicriſi & cenſura Lectoribus relicta.

JOSEPHI PITTON TOURNEFORT INSTITUTIOnes Rei Herbariæ. Editio altera, Gallica longe auctior.

Pariſiis e typographia Regia, 1700, in 4.

Conſtant Alph. 4. & fig. æn. tabulis 476.

DE prima egregii hujus Operis Botanici editione Gallica in Actis anno 1695, menſe Novembri, pag. 509 ſqq. abunde diximus. Itaque nunc non niſi indicanda erit Lectori Benevolo nova hæc editio Latina, cujus ſpem celeberrimus Auctor dudum fecerat, nitida utique illa, & priore multo auctior; quod facile deprehendet, quisquis editiones inter ſe conferre non gravabitur. Figurarum etiam major numerus, quarum in editione Gallica non niſi 451, in Latina hac 476 tabulæ continentur. Quin vero Auctor Nobilisſimus magnam nova hac editione initurus ſit apud omnes, qui Gallice neſciunt, gratiam, dum his quoque Inſtitutionibus ſummo ſtudio compoſitis frui illis nunc licet, non eſt dubitandum.

Digitized by Google

JOANNIS BENEDICTI CARPZOVII, SENIORIS, Doctoris & Profeſſoris Theologi, atque Eccleſiaſtæ quondam Lipſienſis, Diſputationes Iſagogicæ in Chemnicium, Syſtematica & Antipapiſtica.

Lipſiæ, apud hæredes Friderici Lanckiſii, 1701, in 4. Alphab. 9. plag. 8.

IMmortale ſibi nomen acquiſivit B. Joannes Benedictus Carpzovius, Senior, ſua *in Libros Eccleſiarum Lutheranarum Symbolicos* ſolidiſſima accuratiſſimaque *Iſagoge*, quam poſt ejus demum mortem A. 1675 edidit Filius ὁμώνυμος in Academia noſtra Moralis Philoſophiæ tum Profeſſor Publicus, qui committere haud voluit, ut ſcriptum iſtud, licet a celeberrimo Autore ipſo ad finem non perductum, plane intercideret. Quam vero circa opus iſthoc poſthumum ille tunc adhibuit diligentiam, eandem Frater ejus Summe Reverendus, (quem hodienum viventem veneramur, ac diu nobis exoptamus ſuperſtitem!) paternis ſcriptis maximam partem olim jam tum editis impendit, quando eadem ſuis auſpiciis ſuaque cum præfatione unum in volumen collecta nunc prodire paſſus eſt.

Inter illa autem *Iſagogicæ* B. Carpzovii *in Chemnicium Diſputationes* primo nominari loco utique merentur. Quemadmodum nempe Chemnicium ſemper ſibi ante oculos ponere conſuevit Autor, ſtyloque ejus ac ſententiis optime imbutum ſe fuiſſe affatim, dum viveret, probavit: ſic ad eundem, per quem ipſe profecerat, auditores quoque fidei ſuæ creditos manuducere omni ſtudio anniſus eſt, idque in Diſputationibus iſtis, quas modo nominavimus, imprimis præſtitit, dum egregium eæ planeque accuratum doctrinæ de Deo & Chriſto, prout a Chemnicio in Locis Theologicis & Libro de duabus Naturis propoſita illa fuit, Commentarium exhibent. Alterum ab his locum *Syſtema* tenet *Theologicum*, in uſum collegiorum atque exercitiorum Academicorum ſcriptum, publicisque in Diſputationibus excuſſum, quarum prima de *Theologia* agit, ſecunda de *Scriptura ſacra*, tertia de *Deo uno & trino*, quarta de *Creatione*, reliquæ de *Angelis*, de *Providentia Dei*, de *Cauſa mali*, de *Imagine Dei*, de *Peccato in genere & peccato primo, peccato* item *originis & actuali in ſpecie*, de *Libero Arbitrio*, de *Redemtione*, (cui integra includitur *Chriſtologia*.) de *Vocatio-*

catione, de *Converſione*, de *Juſtificatione*, de *Renovatione*. Sequitur tertio *Collegium Anti-Papiſticum*, in quo ſuis auditoribus aditum in Examen Concilii Tridentini Chemnicianum aperire, idque plenius curatiusque explicare ſtuduit, profligatis etiam, quæ poſt fata Chemnicii in aciem eductæ erant, copiis. Habentur in eo diſputationes de *Scriptura*, de *Peccato originis*, de *Operibus infidelium*, de *Libero Arbitrio in converſione hominis*, de *Juſtificatione*, ac de *Bonis Operibus*. Equidem ſingula hæc μείυρα & fine carentia deprehenduntur, quandoquidem nec Chemnicianæ Theologiæ, neque Syſtemati Theologico, nec Collegio Anti-Papiſtico coronidem imponere B. Autor morte, quæ in A. 1657 d. 28 Octobris incidit, præventus valuit. At enim vero, prout alia Theologorum κειμήλια, quamvis ad colophonem ab Autoribus neutiquam perducta, nemo inter rejicula ideo retulerit, ſic & lectionis horum fragmentorum pœnitere neminem omnino poterit.

Tractatibus hactenus recenſitis duo præmittuntur Carpzoviana *programmata*, quorum alterum ad orationem inauguralem Profeſſioni Theologicæ præmittendam invitat, alterum Diſputationes publicas Chemnicianas intimat. Iſtud A. 1646, hoc A. 1653 publice affixum fuit. Sequuntur duæ inaugurales *Diſputationes*, una pro conſequenda Licentia aſſumendi ſupremum in Theologia gradum, A. 1640 ventilata, de *Pœnitentia Ninivitarum ex Jon. III, 9. 10.* alteraque in ipſa promotionis Doctoralis panegyri A. 1651 propoſita, quæ *vindicationem* continet *doctrinæ orthodoxæ de Sacramentis in genere a corruptelis Tridentinorum, & ſuppetiis, quas illis contra Chemnitium ferre Bellarminus voluit.*

Et ſingula quidem hæc typis excuſa pridem fuerunt, unde & in plerisque margini adjicere editionis prioris paginas conſultum viſum eſt. Sed qui Diſputationes Anti-Papiſticas excipit tractatus, nunc primum lucem publicam aſpicit. Complectitur is *Lectiones publicas Hieronymo Mülmanno*, Societatis Jeſu Presbytero, optimi Parentis, Eccleſiaſtæ & Profeſſoris Lipſienſis filio degeneri, Apoſtatæ famoſiſſimo, *oppoſitas*. Non enim ſcripto ſolum Germanico ſub titulo, Lutheriſcher Löſe-Schlüſſel / edito ſtrophas, quibus poteſtatem clavium in Eccleſia Lutherana male adminiſtrari Jeſuita contenderat, B. Carpzovius refutare, ſed e cathedra quoque

Academica, ut ex Eccleſiaſtica pro concione fecerat, nervum argumentorum temere oppoſitorum voluit incidere.

Cæterum quicquid heic exhibetur, ex ipſo B. Autoris calamo effluxit. Neque enim ullæ a Reſpondentibus ſcriptæ diſſertationes, ut fieri alias conſuevit, additæ ſunt; niſi quod duas, de *concurſu Bonorum operum ad ſalutem* Pontificiis oppoſitam alteram, alteram de *Elencho Spiritus Sancti Catholico a Salvatore Joh. XVI, 8. 9. 10. 11. conſtructo*, ad calcem libri Editores ſubjici curarint, ideo quod magni nominis ac meritorum Viros autores habent, quandoquidem priorem A. 1652 Henricus Müllerus, Theologus poſt Roſtochienſis celeberrimus, poſteriorem vero Jo. Sigiſmundus Schwenkius, Dialecticæ primum & Metaphyſicæ apud Lipſienſes Profeſſor, ſed Lüneburgenſium deinceps Paſtor, A. 1654 ſub Præſidio B. Viri ventilavit.

Generalem in opuſcula hæc univerſa Introductionem Magnificus, quem ante innuimus, Autoris Filius, *Samuel Benedictus*, Lectori præſtitit in doctiſſima Præfatione, in qua ſimul de tribus Angelis, quos per medium cœli volantes Johannes vidit, Apoc. XIV, 6. ſqq. diſſerit, primoque eorum Lutherum, altero Matthiam Flacium, tertioque Martinum Chemnicium deſignatum fuiſſe, aliis idem aſſerentibus adſtipulatus autumat. Occaſione autem factæ a B. Autore in programmate primo invitationis ſtudioſorum ad continuationem Commentarii Höpfneriani in Pſalmos Davidicos, non ſummi modo hujus Theologi labores in Pſalterium impenſos, ſed in Pſalmo octogeſimo ſexto deſinentes, valde celebrat, eosque quantocyus in lucem publicam emitti optat, verum etiam B. Parentis ſui continuationem mantiſſæ in locum tum adjiciendam fore ſpondet. Quamobrem & nos omnes, quorum ea res in manu, ne optimam illam mercem extrudere morentur, publica voce obteſtamur. Hactenus enim nonniſi prælecti extra ordinem Pſalmi nonageſimi primi Commentarium habemus, qui promulſidis velut in vicem A. 1646 fuit editus.

BURCARDI GOTTHELFFII STRUVII ANTIQUItatum Romanorum Syntagma, ſive De Ritibus Sacris Syſtema abſolutius, adjecta Bibliotheca, figuris aneis, & indicibus neceſſariis.

Jenæ

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1701, in 4. Conſtat Alph. 3. plag. 16. & fig. ænearum plag. 5.

ILluſtrius eſt Struvii, haud infimi ſane inter Jureconſultos, quos Germania tulit, nomen, quam ut ignorari a quoquam, niſi rerum, quæ in orbe literato geruntur, plane ignaro, poſſit. Hujus ut nulla ætas obliterabit memoriam, ita ſi vel maxime obliterari poſſet, ab interitu tamen atque oblivione eam vindicaret tanti parentis haud degener filius Burcardus Gotthelffus Struvius. Inter reliqua autem ſcripta, quæ Vir juris omnis peritiſſimus reliquit, maximo totius fere Europæ plauſu exceptum eſt Jurisprudentiæ, quod dedit, Syntagma, ad nominis immortale decus illi conciliandum vel maxime comparatum. Augurari ergo fas fuerit, non infeliciora filium experturum fata, Romanarum hocce antiquitatum Syntagma eruditi orbis judicio ſubmittentem. Imo non augurari modo, ſed polliceri certo hoc nobis licebit. Etenim etſi forte nonnullis res non adeo magni momenti videri poſſit, Antiquitatum Romanarum condere ſyſtemata, compendia, ſyntagmata; ſecus tamen exiſtimabunt, qui paulo accuratius, quid aut præſtiterint hactenus, qui hunc campum ingreſſi ſunt, aut peragendum illis in literati orbis emolumentum reſtet, ſecum expenderint. Recte monet Auctor operis hujus doctisſimus, conqueſtos ſubinde de hoc defectu fuiſſe viros undiquaque celeberrimos, quorum nonnulli, ut Paulus Manutius, Juſtus Lipſius atque Georgius Hieronymus Velſchius, licet intra vota ſubſiſtere turpe ducentes manum operi ipſi admoverint, perſtitiſſe tamen rem in ipſis conatibus; ſyſtemata autem, quæ hucusque prodiere, Joannis Roſini, Henrici Kippingi & Petri Joſephi Cantelii & reliqua, neceſſitate magis, quam utilitate commendari, plane ex rei veritate pronunciat. Operæ ergo omnino fecit pretium, dum huic oneri ſuos ſuppoſuit humeros, ſimulque vel hocce luculenter comprobavit ſpecimine, ſe eidem ferendo parem omnino eſſe. Inſtituti autem, quod ſuſcepit, hanc voluit eſſe rationem, ut primo de Diis & Sacris Romanorum ageret, quo quidem labore in hac, quæ nunc lucem publicam adſpicit, parte perfunctus eſt. Inter reliqua, quæ ordine, adjuvante viresque ſuppeditante Deo, ſequentur, alterum quidem ſyntagma exhibebit ſtatum Romanorum civilem; tertium militarem, & quartum œcono-

œconomicum. Romanorum autem ita recenſuit cæremonias, ut Græcorum rituum nullam injiceret mentionem, cavendum ſibi putans ab errore pervulgato, quo hi non a recentioribus modo, ſed ex antiquioribus etiam a Servio, Donato aliisque haud raro turpiter cum illis confundantur. Spem denique facit, ſe eadem ratione antiquitates etiam priſcæ eccleſiæ Chriſtianæ, Ægyptiacas, Longobardicas, Germanicas & gentium barbararum pertractaturum. Ex quo quidem labore ut magnum orbis literatus ſibi merito pollicetur emolumentum, ita otium pariter ac vires doctiſſimo Auctori, ut feliciter hunc, quem ingreſſus eſt, campum decurrat, apprecamur.

Priusquam vero ad rem ipſam aggrediamur, primum de ſcriptoribus, qui de antiquitatibus Romanorum in univerſum egere, tum de iis ſpeciatim, qui ad Deorum Romanorum fabulas vel hiſtoriam faciunt, nonnulla præmittit. Quo ipſo eum operæ feciſſe pretium putamus, tum quod ita literariam quodammodo adjuverit hiſtoriam, tum quod de cujusque, quam adhibuit, induſtria eo rectius pronunciari queat, ſi quos præeuntes ſibi in ea, quam veſtigiis ſuis ſignavit, via habuerit, conſtet. Philippus equidem Labbeus pariter ac Martinus Hanckius vir doctiſſimus in eo elaborarunt, ne quem doctorum hominum circa res Romanas labores fugerent. Illius vero Bibliotheca, ut, judice Auctore noſtro, ſolam ſcriptorum continet recenſionem nec completam nec ſatis elimatam, ita in hujus quoque inſigni ceteroquin & utili opere deſunt, quæ ſuppleri poſſunt. Thomæ Godwini Romanæ Hiſtoriæ Anthologiam dignam judicat, quæ ex Anglicana in Latinam transferatur linguam: in Belgicam enim per Danielem Peenium translatam maximamque partem auctam eſſe docet. Thomæ Beli tractationem, cui titulum fecit, *Roma Reſtituta* ſeu *Antiquitatum Romanarum compendium*, parvi momenti eſſe pronunciat, quæ vix primas antiquitatum attingat lineas. Quod ex Juſti Lipſii ſcriptis concinnatum eſt compendium, ſub *Facis Hiſtoricæ* titulo editum, non Antonium Thyſium, ſed Jo. Thuilium agnoſcere auctorem monet. Utile hoc eſſe opuſculum fatetur, licet non omnes antiquitatis abſolvat partes. Quæ de Petro Joſepho Cantelio, Philippo Caroli, Henrico Kippingio, Jo. Roſino ceterisque, quorum noti in vulgus in hoc genere labores ſunt, cenſeat, ſuper-

pervacaneum foret commemorare, cum quilibet, cui vel a limine hæc ſcripta cognita ſunt, facile id conjectura ſua aſſequi poſſit. Jo. Baptiſtam Caſelium in opere de Urbis ac Romani olim Imperii ſplendore, recentiorum, præſertim Lipſii, veſtigia preſſiſſe aſſerit, retentis plerumque ipſis eorum verbis, ſemper vero eorundem allegatis. Quod ad Franciſcum Robortellum attinet, approbare videtur Thuani de eo judicium, quod variis ſcriptis majorem de ſe opinionem excitaverit, quam impleverit. Joſephi Laurentii Lucenſis Polymathiam, locos communes eſſe aſſerit, qui varia ſine ordine diſpoſita contineant. Multa, imo pleraque ex recentioribus eum congeſſiſſe, ſæpe absque judicio. Cæſaris Egoſſe du Boulay Theſaurum antiquitatum Romanarum, vaſtum, eruditum tamen, opus vocat, quodque, ſi Latino ſermone fuiſſet conſcriptum, defectum juſti ſyſtematis antiquarii hactenus ſupplere potuiſſet; licet non raro aliorum itidem hac in parte errorem erret. Petrum Danetium iis annumerat, qui multas quidem res explicant, omnem tamen antiquitatum complexum non exhauriunt, imo ad ſcriptores, e quibus plenior cognitio haurienda, parum remittunt. Wolffgangi Lazii duodecim, quos ſcripſit de Rep. Romana, libros ſuum equidem hic ſibi vindicare locum; majoris tamen molis quam judicii eſſe opus, cui inſuper & ordo deſit, cujusve auctor in explicandis antiquitatibus illuſtrandisque inſcriptionibus quam ſæpiſſime labatur. Quæ porro hic de Pauli Manutii, Juſti Lipſii, Guilielmi Choulii conatibus, operumque quæ moliti ſunt, fragmentis diſſerit, ne prolixius repetamus, inſtituti noſtri obſtant leges. Poſtquam itaque eos, qui aut compendia dederunt, aut majora condere aggreſſi ſunt ſyſtemata, ordine recenſuit, ad fontes ipſos accedit, & de antiquis ſcriptoribus, ex quibus omnis rei Romanæ notitia haurienda, erudite exponit, nec Electorum aut Variarum Lectionum ſcriptores, Lipſium, Rubenium, Barbaranum, Gevartium, Ferrarium aliosque ejusdem generis prætermittit, cordate & libere de cujusque in litterarum ſtudia, præſertim Romanos ritus & antiquitates, meritis pronuncians. Inter majores Adverſariorum ſcriptores primum locum Alexandro ab Alexandro tribuit, cujus Genialium Dierum libros promtuarium antiquitatis veteriſque hiſtoriæ Voſſio dici, monet. Nec abnuit, multum eundem præſtitiſſe in Romanorum antiquitatibus, licet in

omnibus illi non ſit habenda fides, cum vel ex ſuo ingenio quædam finxerit, in aliis conjecturis nimium dederit, in quibusdam etiam ſcriptores non ſatis probatæ autoritatis ſecutus ſit. Sed nec in reliquis, qui idem inſtitutum ſecuti ſunt, quod aut laudandum aut vituperandum ſit, deeſt, ut erudite doctisſimus Auctor obſervat. Occaſio autem hinc ei enaſcitur de Theſauro antiquitatum Romanarum Græviano dicendi, cujus cum haud ſemel a nobis etiam facta ſit mentio, nihil nunc de ſplendidiſſimo hocce opere addimus, niſi hoc, quod ab Auctore etiam obſervatum, ſimile olim inſtitutum fuiſſe Gaudentii Roberti in Miſcellaneis Italicis eruditis. Horum autem omnium recenſione defunctus, ſe convertit ad ſcriptores, qui Theologiam ex antiquitatibus illuſtrant, quos excipiunt ſcriptores de antiquitatibus Juris, itemque Medicarum, ac tandem Philoſophicarum antiquitatum collectores. Probavit in his omnibus diligentiam ſuam pariter ac judicium Auctor clariſſimus, ſimulque aliud velut agendo effecit, ut tot ſcriptorum exemplo, ad ſublimiores litteras illuſtrandas antiquitatum notitiam commode adhibentium, convicti bonarum litterarum oſores, contemnere tandem hæc ſtudiorum genera, & ceu inutilia aut noxia etiam rejicere deſinant. Cæterum cum inſcriptionum quoque antiquarum inſignis plane ad antiquitates illuſtrandas uſus ſit, de iis quoque dicendum ſibi aliquid Auctor putavit. Inter eos autem, qui undique talia collegere monumenta, primo loco Jacobum Mazachium Romanæ academiæ bibliopolam commemorat, eumque primum etiam fuiſſe ſibi perſuadet, qui ejusmodi quid ſuſceperit; quem poſtea *plurimi* ſecuti ſint, ſpeciatim Petrus Apianus, Bartholomæus Amantius, Janus Jacobus Boiſſardus, Martinus Smetius, Janus Gruterus, Thomas Reineſius, Jacobus Sponius aliique, quorum omnium hic legere licet ſcripta huc ſpectantia, ſingulorum quoque accurate deſignatis editionibus. Quemadmodum vero hi plures junctim complexi ſunt inſcriptiones, ita nec deſunt, qui particulares quasdam inſcriptiones illuſtrarunt, quibus ſcriptores de ſtatuis, gemmis & ſculpturis, itemque de antiquitatibus regionum particularium, ut & eos qui particularia quædam monumenta illuſtrarunt, nec non qui de notis veterum Romanorum præceperunt, addit, & hiſce omnibus accurate & diligenter enumeratis, generali tractationi tandem finem imponit.

Ad primam itaque hanc partem dum propius accedit, de

ſcri-

ſcriptoribus, qui ad Deorum Romanorum fabulas vel hiſtoriam faciunt aliquid, itidem ſibi præfandum eſſe ducit. Nihil nunc ex iis delibabimus, quæ de veteribus, qui in hoc argumento ingenii exercuere vires, accurate & exquiſite, optimis etiam editionibus indicatis, diſſerit, non profanos minus quam Patres, qui forte hunc campum ingreſſi ſunt, nullo temere prætermiſſo, commemorans: ſed quæ de recentioribus obſervat, paucis indicare non fuerit nefas, inde ut conſtet, inſtructum Auctorem iis ſubſidiis fuiſſe, quæ ad tam difficile opus neceſſaria videri poterant. Lilius Gregorius Gyraldus primum in hac claſſe apud eum occupat locum, cujus de hiſtoria Deorum opus licet variæ eſſe eruditionis non diffiteatur, hoc tamen deſiderat, quod non ubique debitum obſervet ordinem: in veris Deorum cognominibus eum præcipuum eſſe dicit. Gyraldum excipit conterraneus ejus Vincentius Chartarius, cujus imagines Deorum ſæpius editas eſſe conſtat, accurate editiones percenſente Noſtro. Quo etiam judice, liber iſte lectorem de diverſis Deorum ſimulacris, prout vel Romano vel Græco more pingebantur, arboribus quoque & victimis cuilibet Deo ſacratis, addita de ſingulis ratione optime inſtruit. De Franciſco Pomey, Angelo Cauſſeo, Guilielmo Choulio, Leonardo Gauttruchio, Anonymi cujusdam Deorum hiſtoria ſeu introductione ad fabulam heroicam, itidem hac occaſione verba fecit, ſingulorum inſtitutum, prout huc facit, paucis quidem aſt plene ediſſerens. Gerardi Johannis Voſſii opus de origine ac progreſſu Idololatriæ, ut ob exquiſitam eruditionem orbis litterati applauſum jure promeruit, ita & eodem nomine laudatur ab Auctore; nec tamen hic diſſimulat, ſæpe eum Divinitates quasdam, quarum ſacra in certa re conveniunt, pro iisdem habere, quæ tamen diverſæ fuerint, & Romanis maxime ſemper ſeparatim cultæ. Huic porro Julianum Aurelium Haurechium, Abrahamum Ortelium, Andream Schottum, Eduardum Herbertum de Cherbury, Georgium Pictorium, Filhardum Lubinum aliosque ſubjungit, quorum variæ extant gentilium Theologiam illuſtrantes commentationes. Agmen denique claudunt, qui de Diis ſingulis fuere commentati. Claudii Menetrerii hic commemorat Symbolicam Dianæ Epheſiæ Statuam, a Petro Bellorio, una cum Lucæ Holſtenii epiſtola de verubus Dianæ Epheſiæ, denuo editam. De Cereris ſacris dum

Joh. Henricum Eggelingium quædam commentatum obſervat, ſimul quæ inter illum & Joachimum Fellerum, antiquariæ rei peritiſſimos doctiſſimosque viros, diſputata ſint, ὡς ἐν παρέδῳ indicat. Juſti Lipſii ſyntagmati de Veſta & Veſtalibus, illuſtris viri Ezechielis Spanhemii diatribam de Veſta & Prytanibus Græcorum jungit, deque ea ita pronunciat, ut res ipſa poſtulat, & orbis eruditi in admiranda tanti viri excellente doctrina ſummus conſenſus jubet. Hisce nunc alias ejusdem commatis doctorum virorum commentationes ſubnectit, de quibus ita diſſerit, ut non antiquitatis modo Romanæ, ſed hiſtoriæ quoque litterariæ ſe peritiſſimum undique demonſtret. Sed de ipſo tandem opere aliquid etiam dicendum eſt. Duodecim primus hic univerſi ſyntagmatis liber, de Diis & ſacris Romanorum exponens, abſolvitur capitibus, quorum primum de Diis Romanorum, ſecundum de ſacrorum cæremoniis, de precibus Romanorum tertium, quartum de variis precationum generibus, quintum de votis Romanorum, ſexum de impetrito, ſcientia augurali, haruſpicum diſciplina &c. ſeptimum de juramentis Romanorum, de calendario Romanorum octavum, nonum de feriis, & decimum de ſacrificiis Romanorum, undecimum de templis, & duodecimum denique de ſacerdotiis eorundem præcipit. Vaſtiſſimum ampliſſimumque hic decurriſſe campum Auctorem doctiſſimum videmus, ex quo ut nonnulla decerpamus, paucis quæ in ſexto capite de impetrito & ſcientia augurali præcipit, delibabimus, ut vel ex hoc ſpecimine, quid de cæteris polliceri ſibi Lector queat, intelligatur.

De *Auguralibus* itaque *libris*, Feſto cumprimis memoratis, primo loco verba facit, eosque a *Pontificalibus* ſecernit. Alios rurſus fuiſſe, qui ad haruſpicum diſciplinam fecerint, docet Etruſcorum *haruſpicinos*, *fulgurales & rituales*, quorum injiciat mentionem Cicero. Ad Sibyllinos hinc devolvitur libros, quos fatales etiam Romanis dictos, ex Livio condocet. Alios tamen ſine dubio fuiſſe & privatos Etruſcos libros fatales, quibus ex Varrone ætatem hominis duodecim hebdomadibus deſcribi, aſſerat Cenſorinus. Fata hinc librorum Sibyllinorum apud Romanos paucis indicat, & hiſce porro adjungit *carmina Marciana*, a vate quodam illuſtri, cui Marcii nomen, conſcripta, & quorum conquiſitio ex SCto quandoque facta

Digitized by Google

facta ſit. Non facile in privatorum manibus ejusmodi libros vaticinos relictos fuiſſe addit, ea potiſſimum ex ratione, ne externi ſacrorum ritus introducerentur. Ad ſcriptores autem, quorum de hoc argumento celebrantur commentationes, pergens, Julium Obſequentem memorat, cujus de prodigiis liber imperfectus tantum ad nos pervenerit. Priorem, quæ periit, partem ex ſcriptoribus Romanis ſupplere conatum fuiſſe Conradum Lycoſthenem, quæ ſupplementa editioni Baſilienſi 1551 adjecta ſint, additis aſteriſcis, qui ſupplementa ab Obſequentis verbis diſtinguerent; qui tamen in editione Lugdunenſi poſt facta omiſſi in cauſa fuerint, ut Lycoſthenis addita paſſim pro ipſius Obſequentis haberentur. Aſt Jo. Schefferum in recenti editione iterum Obſequenti ſua vindicaſſe. Cæterum cum ex recentioribus plurimi quoque fuerint, qui ex inſtituto hanc Romanæ antiquitatis partem commentationibus ſuis illuſtrare aggreſſi ſunt, ut Auguſtinus Niphus in libris duobus de auguriis, Joannes Pierius Valerianus de fulminum ſignificatione, Caſpar Peucerus de præcipuis divinationum generibus, Janus Jacobus Boiſſardus de divinatione & magicis præſtigiis, Jo. Baptiſta Bellus de partibus templi auguralis, de ſingulis erudite diſſerit. Cum autem forte non omnibus conſtet, quæ Jo. Pierio Valeriano cauſa fuerit declamationem de fulminum ſignificatione edendi, ex Auctore eam repetere operæ pretium fuerit. Conſcripſiſſe nempe eam dicit occaſione fulgurum & oſtentorum, quæ Kalendis Julii MD XVII apparuerant, cum Leo X Cardinales XXXI crearet. Cum enim quid portenderent illa, anxii eſſent omnes, ipſe non ſolum fulminum ſignificationem inanem, nec de eadem Chriſtianis diſquirere eſſe conveniens oſtendit, ſed & ſi vel maxime fulmina quid portendere quis vellet, longa antiquiſſimorum temporum obſervatione inductus, non niſi tranquillam Chriſtianorum quietem, & ſi quæ res geratur, felicem eventum iis portendi, contendit. Ad Sibyllina hinc progreditur oracula, & poſtquam obſervavit, Johannem Obſopœum ex codicibus antiquis depromta notisque illuſtrata edidiſſe, cum interpretatione Latina Sebaſtiani Caſtellionis, adjecto quoque Onuphrii Panvinii tractatu de Sibyllis, ſuam quoque de illuſtri hac celeberrimaque controverſia aperit ſententiam. Scaligero namque, Caſaubono, Antonio van Dalen, viris celeberrimis, hæc oracula

pro ſuppoſititiis habentibus, Auctor quoque ſubſcribit. Etenim quæ circumferuntur oracula, non poſſe eſſe ipſa Sibyllina, cum ea concremata ſint, nec ea, quibus Romani uſi, cum antiquiſſimum loquendi morem minime ſervent. Imo ex verbis ipſis patere, a Chriſtiano quodam ea eſſe conficta, ad convincendas gentes, cum tali fraude pia haud raro uſi fuerint veteres Chriſtiani. Defendi equidem ea ab Eraſmo Schmidio atque Iſaaco Voſſio, ſed rejici a Davide Blondello, cui equidem Johannes Craſſetius Jeſuita ſe oppoſuerit, aſt cauſam tamen ejus ſuſcepiſſe Johannem Marckium, qui & contra novos Craſſetii ſeſe defenderit inſultus: in cujus etiam, re bene examinata dijudicataque, deſcenderit partes Servatius Gallæus. Danielis Claſenii etiam de oraculis Gentilium & vaticiniis Sibyllinis tractatum laudat, & quæ inter celeberrimum Theologum Georgium Mœbium, atque Antonium van Dalen, de oraculis Gentilium diſputata ſunt, ſuccincte ediſſerit. Hiſce ita præmiſſis, de augurali diſciplina verba facit, & primo quidem docet, augurium atque auſpicium unum idemque fuiſſe, licet ea ab invicem diſtinguat Servius. Quatuor autem auſpiciorum conſtitui poſſe genera autumat: ſumta namque ea fuiſſe ex avibus, & terrenis quibusdam animalibus, & cœlo, & ex diris. De iis, quæ ex avibus deſumta ſunt, multa eleganter & accurate diſputat, cumprimis quid *tripudium ſoliſtimum* ſit, prolixe explicat. Dictum ſcilicet hoc putant quaſi terripudium, ſeu terripavium, cum pavire priſcis idem ſit ac ferire, & pulli paſcendo terram feriant. Aſt rejecta hac ſententia, novam conjecturam Auctor doctiſſimus in medium affert, tripudiumque a tripode dictum putat. Cum enim non ſolum in ſacris Romanorum varius tripodum uſus eſſet, ſed & in oraculo Delphico Græcorum vates in tripode ſederent, factum exinde cenſet, ut omne oraculum vel augurium tripudium diceretur. Hinc tripudiare, inquit, idem ac exultare, quia in talibus oraculis ſaltabant ſacerdotes, & ille qui augurium ceperat. Ritum ipſum ita deſcribit: adſervabantur in certa cavea pulli, quorum curam habebant pullarii, quibus cum juſſu magiſtratus auſpicantis ab hiſce offerebatur offa, ſi bene paſcerent & aliquid ex ore decideret, tum auſpicanti nunciabatur tripudium ſoliſtimum. Cætera huc ſpectantia itidem ordine proſequitur. Rurſus de eo augurio, quod dicebatur *ſervare de cælo,* dum ſcilicet atten-

tente circumſpiciebant, num qua cœli parte aliquid ſe oſtenderet, verba faciens, varia fulminum ex mente veterum recenſet genera, *conſiliarium*, *auctoritatis*, *ſtatus*; itemque fulmina *poſtulatoria*, *monitoria*, *peſtifera*, *fallacia*, *deprecanea*, *peremptalia*, *atteſtata*, *atterranea*, *obruta*, *regalia*, *inferna*, *hoſpitalia*, *auxiliaria*, *perpetua* &c. ſingulaque diligenter explicat. Auſpicia ex diris ſive ſignis triſtibus, paucis ex Ovidio exhibet; & hinc ad ritus & locum augurii deſcribendum ſe confert. Miſſis ritibus, ex iis, quæ de loco diſſerit, nonnulla indicabimus. Fuiſſe autem locum auguriis in ipſa Urbe deſtinatum putat in monte Palatino, idque cumprimis ex eo probat, quod auſpicia captare olim intra pomœrium moris fuerit. Antiquisſimum autem Romuli pomœrium Palatini montis radicibus fuiſſe terminatum docet. Locum illum, qui & auguratorium dictus ſit, ſingulari modo ad id exſtructum ædificatumque fuiſſe putat, cum in lapide priſco viderit auguratorium dilapſum, reſtitutum fuiſſe ab Hadriano. Auguratorium vero illud & auguraculum, itemque arcem dictum fuiſſe, ex Feſto probat, ſimulque obſervat, illud reſpondiſſe augurali, quod in caſtris erat. Imo hanc eandem arcem fuiſſe, ex qua fecialis, in pangendis fœderibus, graminis herbam puram attulerit, docet. Addit alia lectu certe digniſſima, ſed brevitatis cauſa a nobis prætermittenda. Sed ut conſtet, ad optimæ notæ ſcriptores intelligendos perquam neceſſariam eſſe Romanarum antiquitatum notitiam, hoc adhuc ſubjungere non abs re fuerit. De Etruſcorum diſciplina augurali Statius:

- - tunc plura ignotaque jungit
Numina & immenſi fruitur caligine mundi.
Poſtquam rite diu partiti ſidera cunctas
Perlegere animis oculisque ſequacibus auras.

Hic quid ſit *ignota jungere numina*, quid *partiri ſidera*, nemo niſi Romanarum antiquitatum probe peritus intelliget: cuncta autem accurate ab Auctore enucleantur. Pene obliti eramus vocis *impetriti*, cujus frequens hac in re uſus eſt, quamque Auctor itidem explicat. *Impetritum* autem nihil aliud eſſe probat, quam *impetratum*, cum & Cicero dicat, avibus magnas res *impetriri*, hoc eſt *impetrari*. Sine cauſa ergo in voce hac enodanda tam anxios eſſe Gutherium & Bellum ait, modo legendo Impetrito quaſi in petra fixo, modo parti-

partito, quia templum augurale in certas regiones partiri mos erat: modo aliud quid fingendo. Sed hæc eo loco edisserit, ubi de augurio, quod ſervare de cœlo dicebant, verba facit. Enarratis loco & ritibus augurii, ad ſpecies auſpiciorum ſe confert. Hic *oblativa, impetrita, ſtativa auſpicia* explicari videas: itemque auſpicium *juge*, *pedeſtria*, *peſtifera*, *piacularia*, *caduca*, *perennia* &c. Quanta autem auſpiciorum fuerit auctoritas, non temere quenquam fugit: ſed ne fugere quenquam poſſit, docta hac commentatione Auctor facit, qui poſtquam & de iis, qui auſpiciorum habuerint poteſtatem, deque haruſpicum diſciplina, ut & de oraculis, prodigiis, ſortibus, vatibus, ſortilegiis & ſimilis generis talia attulit, quæ haud ubivis ſane obvia ſunt, finem huic tractationi imponit. Eodem autem modo in cæteris quoque antiquitatum Romanarum, quas primus hic liber ſiſtit, capitibus pertractandis verſatur: neque veterum tantum auctorum teſtimoniis, ſed nummis etiam ſelectioribus, aliisque antiquitatis nititur monumentis.

Philipp Jacob Speners D. Theologiſche Bedencken. Andrer Theil.

Hoc eſt:

PHILIPPI JACOBI SPENERI D. RESPONSORUM Theologicorum Tomus ſecundus.

Halæ Magdeburgicæ, ſumtibus orphanotrophii, 1701, in 4. Conſtat Alphab. 5.

QUi recenſitum a nobis menſe hujus anni Martio p. 102. ſeq. Reſponſorum Speneri Theologicorum Tomum primum perluſtrarunt, varia in eo contineri deprehenderunt, quæ aut ad Scripturæ Sacræ loca quædam illuſtranda, aut ad confirmandos fidei articulos controverſiasque religionis decidendas pertinent, aut Miniſterium Eccleſiaſticum propius attingunt. Alter vero Tomus, quem nunc ad manus ſumimus, officia primum Chriſtianorum diverſa ſecundum utramque tabulam delineat, caſus deinde matrimoniales non paucos reſolvit, tandemque epiſtolas quasdam paræneticas & paracleticas exhibet. Equidem & ea addere Autor Summe Reveren-

rendus conſtituerat, quæ ad noſtrorum temporum hiſtoriam, Eccleſiæque imprimis noſtræ faciem paulo penitius noſcendam pertinent; ſed cum ob ætatis ingraveſcentis tarditatem, laborumque officii ſacri ordinariorum multitudinem, ſingulas, quæ huc conferre quicquam poſſent, ſchedas conquirere, emaculare & in juſtum ordinem redigere conceſſum ipſi minus fuerit, tertiæ parti epiſtolas ſervavit hiſtoricas, hisque inſuper paralipomena nonnulla, quæ utrique huic tomo ſuis locis inſeri mereantur, additurus eſt. Ut igitur & ſecundi hujus tomi præcipua contenta Benevolo Lectori innoteſcant, ad modum olim obſervatum, ſpeciminis in vicem, aliqua hinc inde excerpemus. Caput primum (aut, ſi antecedentem tomum ſpectes, tertium) de officiis Chriſtianorum diverſis, ac primum de iis agit, quæ immediate in Deum ipſum tendunt. Atque heic articuli primi ſectio I diſquirit, quomodo Deum ſibi in oratione occupatus præfigurare licite valeat? Sectiones II, III, IV de religione votorum, maxime ad jejunia ſervanda homines adſtringentium, deque voto parum conſiderato agunt. Sectiones ab VIII ad XII ſanctificationem Sabbathi conſiderant. Sectio XVIII devotionem privatam ac domeſticam cultui publico interdum præferri poſſe, docet. Sectiones XXIV, XXV, XXVI, neceſſitatem crebræ uſurpationis Cœnæ Dominicæ adſtruunt, & variis, quæ obtendi vulgo ſolent, excuſationibus nervum incidunt. Sectio XXVII de libertate citra præviam confeſſionem privatam ad S. Cœnam accedendi agit, quidque hac in parte ante paucos annos Berolini conſtitutum fuerit, enarrat, addita peculiari concione, quam Autor ea de re A. 1697 habuit. Articulus ſecundus officia complectitur eorum, qui aliis, juxta præceptum quartum, aut præſunt aut parere tenentur; ubi Sectio III virgini illuſtri, quæ mundanis valedicere negotiis ac cœnobiticam amplecti vitam decreverat, commonſtrat, quomodo & extra cœnobiticam vitam pietati ſtudere queat. Principem Proteſtantem monaſteria ſuæ ditionis Pontificiis, quicquid illi offerant, reddere ſalva conſcientia nequaquam poſſe, ſectio VI contendit. Sectio IX ſcholarum emendationem inter præcipuas Magiſtratus Chriſtiani curas numerandam venire aſſerit, & conſilia iſthuc ſpectantia ſuppeditat. Sectio XII fœminas quoque illuſtres

ſtres ad infantes ſuos proprio lacte nutriendos teneri, affirmat. Viris in maxima dignatione conſtitutis titulos hodie conſuetos, citra ſpeciem adamatæ vanitatis, recipere licere, ſectio XVI innuit. Sectio XVII de datis acceptisve in foro muneribus prolixe diſputat. Sectio XIX filium immorigerum ergaſtulo includi ſuadet. Sectio XX filium, cui pater decedens ſtudium chryſopœiæ attentatum in teſtamento ſerio interdixerat, huic interdicto morem utique debere gerere, oſtendit. Articulus tertius officia Chriſtianorum erga proximum conſiderans ſectionem exhibet ſecundam, in qua, num obſtetrices Chriſtianæ Judæis puerperis præſto eſſe queant? disquiritur, & affirmando reſpondetur. Sectio XI uſuris certos ponit limites. Sectio XV aſſecurationes, quas mercatores vocant, Chriſtianiſmo haudquaquam abſolute repugnare; ſectio XIIX ſartorum miniſtros, quando partem ſerici, ad veſtes conſuendas ipſis concrediti, magiſtris ſuis ſub juris quadam ſpecie eripiant, ſibique vendicent, male omnino agere, probatum dat. Sectio XIX de converſis ex Papiſmo genuinis atque ſpuriis probe cognoſcendis conſilia ſubminiſtrat. Articulus quartus Chriſtiani officia erga ſemetipſum inque ſua vocationem exercenda contemplatur, ejusque ſectio XIII mercatori Chriſtiano regulas quasdam præſcribit; XV & XVI propoſitum de mercatura, quam quis hactenus exercuerat, deſerenda improbant. Quæ militi probe perpendenda ſint, ſectio XIX ſuggerit. Sectio XX munuſcula S. Chriſti, ut vocantur, parvulis offerri ſolita, haud penitus improbare ſuſtinet. Sectio XXV de ſtudio formam venuſtam conſervandi, monita peculiaria ſubminiſtrat. XXVI & XXVII capillamentorum uſum in ſe ἀδιάφορον eſſe, pronunciant. XXIX & XXX ſaltationi parum quidem favent, attamen XXXI artem ſaltatoriam addiſcere, inter actus ex ſe peccaminoſos & illicitos referre minus audet. Caput ſecundum (aut, ſi mavis, quartum) varios caſus matrimoniales continet, qui modo ſponſalia reſcindenda, modo conjugia in gradibus prohibitis dubiisve contracta aut contrahenda, modo copulationem omiſſam, modo clandeſtina conjugia, modo inhabilitatem uxoris ad conſuetudinem conjugalem, modo alia iſtiusmodi concernunt. Tertium denique caput (alias quintum) bipertitum eſt, articuloque primo varias exhi-

exhibet paræneſes, ad perſonas utplurimum illuſtres directas, & generalia tantum non ubique monita de Chriſtianiſmo practico continentes, niſi quod ſectio XI Principi concionatorem aulicum novum recipienti; XIX virgini ad pœnitentiam a Deo valide excitatæ; XXII in cœlibatu & extra officium viventi; XXIII viduæ difficiliori paulo œconomiæ implicitæ: XXV, XXVI fœminæ, quæ ad Papatum tranſierat, reditumque ad noſtram Eccleſiam meditabatur; & XXVII converſo ex Papatus tenebris, ſed inordinate ambulanti, ſalutaria præcepta ſigillatim commendet. Articulus ſecundus epiſtolas paracleticas legendas dat, quæ imprimis Eccleſiæ miniſtris, variis de cauſis animo conſternatis, quin & aliis de ſenſu fidei deficiente, de ſpirituali ſuperbia, de divina derelictione, de injuſto dominio, de corporis infirmitate, de obitu ſuorum, de externa infelicitate, & quæ ſunt alia, ſolicitis idonea e verbo Divino ſolatia amice ſuggerunt.

THE WORKS OF THE HONOURABLE ROBERT BOYLE epitomiz'd.

i. e.

ROBERTI BOYLEI OPERA IN COMPENDIUM redacta ſtudio RICHARDI BOULTON. Volumen III & IV, quorum illud conſtat Alphab. I, plag. 13: hoc Alphab. I, plag. 8, cum figuris aneis.

Londini apud J. Philips & J. Taylor, 1700, 8.

QUæ clariſſimi Boultoni opera hæc edituri fuerit intentio, non attinet hic repetere; ſiquidem eam jam menſe Aprili anni currentis pag. 186, cum volumen I & II recenſeremus, indicavimus. Ea nunc ſolummodo referemus, quæ in ultimis hiſce voluminibus continentur, & quidem eo brevius, quo prolixius principia hypotheſeos tum tradidimus, & ipſa Boylei opera in Actis his hinc inde exhibuimus.

In volumine III appendix præmittitur ad librum IV, qui ultimus eſt voluminis II, in quo nova experimenta & obſervationes circa frigus ſuppeditantur, quæ prolixius in Actorum Supplementis tomo I pag. 137 recenſuimus. Calor item examinatur, & modi pro- cap. 1. & ſequ. cap. 14.

proponuntur, quibus ignis & flamma ponderari poteſt; atque aëris & flammæ tum naturalis, tum vitalis relatio cognoſcitur: quædam etiam circa ſplendorem piſcium, ligni putrefacti & diamantis proponuntur, quibus nova *Φαινόμενα* circa aëream & glacialem noctilucam adjiciuntur, quæ itidem in Actis anno 1682, pag. 54 & 394 attigimus.

cap. 17. 18. cap. 20. 21.

Libri V pars I eſt hydroſtatica, poſitivam vel relativam corporum ſub aquis levitatem examinans, & methodum hydroſtaticam prætentandi minerarum æſtimationem, medicinam hydroſtaticam, & ſtereometriam hydroſtaticam exhibens, quarum mentionem fecimus in Actis anno 1691, pag. 485 & 511. Pars II obſervationes phyſicas, medicas & chymicas continet. Pars III gemmarum originem & virtutem ſuppeditat; atmoſphæram corporum ſolidorum; effluviorum miram ſubtilitatem, magnam efficaciam, & determinatam naturam; corporum ſolidorum & animalium poroſitatem, recenſitam a nobis in Actis anno 1685, pag. 422, evolvit; hiſtoriam item naturalem ſanguinis humani, cujus compendium exhibuimus in Actis anno 1684, pag. 434, & ſpecificorum remediorum cum philoſophia corpuſculari concordiam, in Actis anno 1686, pag. 373 traditam, recenſet. Cui annectitur appendix, commendans ſimplicium medicamentorum uſum, & obſervationes circa viſum vitiatum exhibens. Pars IV mechanicam variarum particularium qualitatum originem ſeu productionem ſiſtit. de qua vid. Acta anni 1692, pag. 492.

cap. 1. & ſequ. cap. 10. cap. 11. 12. cap. 1. 2. cap. 3. — 4. — 5. 6. — 7. 8. — 9. — 11. cap. 1. 2.

In Libro V utilitas philoſophiæ experimentalis expenditur, a nobis in Actis anno 1692, pag. 493 commendata, & capita generalia hiſtoriæ naturalis conſignantur, quorum conſpectum dedimus in Actis anni 1693, pag. 256.

JUS PUBLICUM STATUUM IMPERII, SIVE S. R. Imperii Electorum, Principum, Procerum & Civitatum Jus Eminentius ac Sublime, ex legibus Imperiique conſtitutionibus, tum conſuetudinibus, privilegiis & probatis hiſtoriis, generaliter & per univerſas ſpecies deductum atque explicatum, a JOH. WOLFFG. TEXTORE, JCto ac Reipubl. Imp. libera Mœno-Francof. Synd. Primario.

Tu-

Tubingæ & Francofurti ſumtibus Joh. Georgii Cottæ 1701, 4. Conſtat 5 Alph. 14 plag.

Librum de Imperatore & Juribus Imperatoriis vel Regiis, orbi literato Illuſtris Autor jam A. 1697 exhibuit. Nunc alteram partem, Jura Statuum Imperii continentem, ſiſtit. Tertiam quoque, quæ Jus Comitiale exhibeat, adeoque non tantum formam comitialium deliberationum, ſed & objecta maxime, publica ſcilicet negotia, & imprimis leges, quæ tam religionem, quam ſtatum politicum, puta pacem publicam, rem militarem, monetariam, ſumtuariam, ac forenſes diſceptationes ſimiliaque concernant, adæquata & juſta explicatione perſequatur, molitur. Jam cœptum eſſe illud opus, ac portionem quandam abſolutam, in præfatione ad Lectorem hujus operis fatetur; ejus tamen aliquando complendi ſpem facere non ſuſtinet, cum experientia doceat, ſtudia de re publica vix quicquam gratiæ promereri, ambitionemque ac intereſſe privatum omnia fere præoccupaſſe, prætereaque ſeni multa functionis accedant impedimenta. Præſens ſcriptum quindecim titulis conſtat. In primo de nomine, definitione & requiſitis Status Imperii ſollicitus Noſter, cenſet, eum eſſe *civem Reipublicæ Romano-Germanicæ ſubjectum & voti comitialis participem*; in qua definitione explicanda ac illuſtranda per totum titulum ille deinceps detinetur, aliorumque ſententias ea occaſione examinat, inter alia exiſtimans, ex relatione in Imperii matriculam, præſumtionem oriri pro jure Status, quæ tamen non ſit juris & de jure, ſed juris tantum, *arg. l. Scriniarios 16. C. de teſtam. milit.* ideoque probationem in contrarium admittat. In titulo ſecundo, præmiſſis nonnullis, quæ ad nomen & conceptum Territorii, tam juxta jus Romanum, quam hodiernum Germaniæ ſtatum ſpectati, pertinere videbantur, Jus Territoriale aggreditur Noſter, ejusque tum indolem, tum originem explicat. Eſt ſcilicet ex ipſius ſententia *poteſtas, qua quis intra certum diſtrictum, jura publica, ſpecie ſuperioris dominii, immediate exercet*, pertinetque ſummatim ad negotia eccleſiaſtica & ſecularia, ut duæ partes generales inde optime conſtitui videantur. Origo autem ex antiquis Ducum cæterorumque Procerum muneribus repetitur, civitatibus nonnullis ad eandem libertatem, temporis ſucceſſu quo-

que adſpirantibus. Poſtquam autem Territoria jure illo ſublimiori ſunt inſtructa, variis modis deinceps acquiri cœperunt, quos Noſter ad quatuor genera, nempe conceſſionem, ſucceſſionem, electionem, & præſcriptionem revocat, ac ſingula, inſperſis pluribus juris civilis quæſtionibus, amplius exponit. Titulus tertius Juribus Diœceſanis & Eccleſiaſticis Territoriorum deſtinatus eſt. Primo igitur de origine Diœceſium & Jurium Epiſcopalium nonnulla commemorantur, quæ tria illa poteſtatis Epiſcopalis Pontificiæ capita, Ordo ſcilicet, Lex diœceſana, & Jurisdictio excipiunt. Orta reformatione, illa juris Territorialis, quoad Status Proteſtantes, eſſe factam acceſſionem, Pacificationibus religioſis ac Capitulationibus Cæſareis valorem mutationi addentibus, Noſter cenſet, id tamen adjiciens, ſtatum illum Eccleſiaſticum per leges ipſas reſolutum, ac vetera jura Archiepiſcopis, Epiſcopis aliisve Prælatis per diœceſes reſtitutum iri, ſi diſſidia religionis amicabili ratione componi contingat. His præmiſſis, ad jura Epiſcopalia, præcipue intuitu Statuum Proteſtantium, ſpecialius explicanda, ſe accingit. Primum igitur locum ſubeunt, quæ ad *Ordinem* ſpectant, cujus generis ſunt cura ſacrorum, collatio functionum Eccleſiaſticarum, & conſecratio; qua occaſione de jure reformandi nonnulla inſperguntur, conſtitutio autem Miniſtrorum Eccleſiæ, ac jus Patronatus prolixe expenditur. Poſtea adducuntur jura ad *Legem Diœceſanam* pertinentia, nempe jus exigendi ſynodaticum, decimas, mortuaria, viſitationum Epiſcopalium ſumtus, quartam partem de univerſis Eccleſiæ cathedralis proventibus, extraordinariam collectam, ac in quantum illa ad Status Proteſtantes quadrent, oſtenditur. Denique ſequitur *Jurisdictio Epiſcopalis*, ſecundum objecta, ſeu cauſas Eccleſiaſticas declarata, ac Proteſtantibus Statibus etiam aſſerta; cui tractationi variæ quæſtiones, ad illuſtrationem Pacificationum Religioſarum præcipue facientes, ſubjiciuntur. Titulus quartus Jura Territoriorum Secularia ſiſtit, cumque illa ad bellum & pacem pertinere exiſtimentur, hinc primo jus belli cum ſuis ſpeciebus, deinde jus pacis adducitur; in qua quidem tractatione ea, quæ Regalium Scriptores commemorare ſolent, ſuo ordine recenſentur. A juribus Statuum Territorialibus differunt Jura Privilegiaria, quæ titulus quintus commemorat. In genere nihil aliud ſunt, quam

jura,

jura, quæ ultra Territorii jus ab Imperatore ſunt conceſſa ſpeciali expreſſione. Varia illa quidem ſunt, ſed ex doctrina Noſtri, ſummatim concernunt vel ſtatum & dignitatem perſonæ, vel juſtitiam, vel fiſcum, vel ſtudia eorumque honores. Ad primum genus pertinent conceſſio dignitatum illuſtrium, nec non exemptionis a jurisdictione Imperii: ad ſecundum, privilegia de non appellando, auſtregarum, electionis fori & de non evocando, quæ late Noſter perſequitur: ad tertium, privilegia nundinarum, vectigalium, ſtapulæ, monetarum, Albergariæ, aperturæ & Albinagii, tractatione prolixiori iterum diſcuſſa: ad quartum, ſtudiorum & maxime quidem conferendorum honorum Academicorum privilegia; hæc etenim jura etſi publica ſint, nón tamen Principibus vel Statibus Imperii ex territoriali poteſtate competunt, ſed ſpecialem requirunt conceſſionem, *arg. l. un. C. de Stud. liberal. urb. Rom.* ceu Noſter pronunciat, hacque occaſione de Academiis diverſa capita recenſet. In titulo ſexto de Electoribus eorumque juribus & prærogativis generaliter acturus, totam materiam in quatuor membra digerit, Electorum ſcilicet numerum, jura, officia, & pacta. Primum paucis abſolvit. In ſecundo prolixior eſt, dum dominium Electoratuum utile, votum electivum, ſesſionem proximam ac peculiarem ad Imperialem menſam, jus concipiendæ capitulationis Cæſareæ, deponendi Imperatorem, privilegium de non appellando illimitatum, jus minerarum & monetarum, vectigalium & protectionis Judæorum, conventuum Electoralium, inviolabilitatem criminis læſæ Majeſtatis pœna munitam, jus ſeparatæ claſſis in comitiis, varia jura anctoritativa (quorum ſcilicet virtute conſenſus Electorum certis in caſibus, ut ſi comitia indicenda, Status in bannum declarandus, & ſimilibus, ſpeciatim requiritur) immunitatem ab oneribus inveſtituræ, privilegium liberæ acquiſitionis, jus præſentandi Aſſeſſores Camerales, adducit. In tertio, quod officia continet, cenſet Noſter, illuſtria Electorum Archi-officia, eſſe miniſteria pro feudis Electoratuum debita. Ultimum denique membrum, pactis deſtinatum, uniones Electorales, *Rhenanam*, inter quatuor Electores Rhenanos, tres ſcilicet Eccleſiaſticos & Electorem Palatinum initam, & *communem* omnium ſex Electorum, Bohemo nimirum exclu-

cluſo refert, earumque ſenſum fuſius perſequitur. His additur in titulo ſeptimo de Electoribus Eccleſiaſticis eorumque officiis ac juribus tractatio ſpecialis, in qua quidem de Archi-Epiſcopis & Archi-Cancellariis primo conjunctim diſſeritur, poſtea jura Moguntini, Colonienſis & Trevirenſis præcipua commemorantur, ac jurium Archiepiſcopalium recenſione tota diſquiſitio concluditur. Titulus octavus in percenſendis Secularibus Electoribus, eorumque officiis & juribus occupatur. Primo igitur docet Noſter, Electoratum inveſtitura & ſucceſſione, quam renovatio inveſtituræ ſequatur, acquiri; hinc de ſucceſſione in Electoratus, habilitate ſucceſſurorum, prærogativa gradus vel lineæ, tutela Electorali, prolixa inſtituitur diſquiſitio. Poſtea pergit ad ſtatum Electoratuum, qui debent eſſe individui, ex quo variæ concluſiones ſpeciales eliciuntur. Inde ad Electorum ſecularium officia progreditur, quæ tum explicat, tum cum officiis Romanorum Magiſtratuum aliquo modo confert, ac inter alia caveri jubet errorem, quo ab Epiſcopo Bambergenſi Archiofficia illa recognoſci debere exiſtimantur. Quibus expoſitis, ſigillatim Regem ac regnum Bohemiæ, Archidapiferium & ſtatum Bavariæ, Electoratum Saxonicum, Brandenburgicum, Palatinum, cum juribus certis ac controverſis prolixe expendit. Ad titulum nonum refert Noſter Jura Principum, evolutoque vario vocis Principis ſignificatu, in Principibus Imperii deinceps unice ſubſiſtit, qui ſint *Perſonæ inter illuſtres eminentes, quæ certum bonorum diſtrictum ſub titulo Principatus ab Imperatore & Imperio immediate in feudum recognoſcunt.* Eorum autem jura præcipua ſunt, prærogativa dignitatis inter alios non Principes, titulus inſignior *Nos Dei gratia*, aliique quibus a Cæſare compellantur, ſplendidior de feudis inveſtiendi ratio, jus aſſidendi in judicio Principum, ſingulare jus Auſtregarum, prærogativa voti comitialis, ſplendidior veſtimentorum uſus, diſpenſatio juramenti in collatione functionis præfectoriæ circuli: atque illa jura etiam competunt Principi paribus, **den Fürſtmäßigen** / de quibus, ut & Principibus apanagiatis nonnulla Noſter deinde commentatur. Hinc diſcedit ad Principes Imperii Eccleſiaſticos, quos titulo decimo conſiderat. Cum vero de Archiepiſcopis inter Electores, de Prælatis autem Principali dignitate fulgentibus, titulo proxime præcedente egerit, ideo ſolos Epiſcopos ſpe-

ſpectandos exhibet. Explicata primæva Epiſcoporum conditione, docet hodie in Imperio noſtro Epiſcopum eſſe *Principem regimini eccleſiaſtico in diœceſi aliqua Imperatori & Imperio ſubjecta rite præſtitutum, atque ex hoc connexa habentem jura territorii ſecularia*, quæ amplius Noſter deinceps declarat, ac electionem, confirmationem, conſecrationem, poſtulationem, collationem extraordinariam, diſpenſationem, per quos actus ad Epiſcopatum pervenitur, fuſe expendit, recenſionemque Præſulum Eccleſiaſticorum, qui vel ſtatum antiquum retinuerunt, vel per Reformationem mutati ſunt, ſubjicit. Inde convertitur ad jura Principum Eccleſiaſticorum declaranda, quæ uti ſummatim in adminiſtratione Principatus rerumque Eccleſiæ conſiſtere exiſtimat, ita ſpeciatim rationem adminiſtrandi & alienandi res eccleſiaſticas, jus percipiendi reditus, imponendi collectam hominibus diœceſanis, προεδρίαν, exemtionem a foro ſeculari, declarationem in bannum ex pacifragio publico, immunitatem a tutelis & juramento circa dicendum teſtimonium, liberationem a patria poteſtate, valorem teſtamentorum ab Epiſcopis non rite, vel etiam inique conditorum, jura auctoritativa jure civili conceſſa, v. g. ſubſidialis judicii, ſi ſecularis judex in adminiſtranda juſtitia ſit negligens, & ſimilia, ex placitis potiſſimum juris Canonici, prolixe expendit. Imprimis Doctiſſimus Autor in recenſendis Principibus Imperii Secularibus, titulo undecimo operoſus eſt. Præmiſſis nempe nonnullis, quæ ad vim vocis pertineant, Principem Imperii dicit eſſe *perſonam superilluſtrem ſive ex illuſtribus primi ordinis, habentem Principatum Imperii ad heredes de ſanguine legitimo tranſitorium.* Regulariter Principatus nititur ſeculari officio, cujus generis officia quatuor numerantur, Ducum, Marchionum, Landgraviorum & Burggraviorum. Officia igitur dederunt terris ſua nomina, & terræ poſt, mutato rerum ſtatu, per quandam reciprocationem, Vaſallis regis. Uberius illa declaraturus Noſter, generaliter primo de indole & acquiſitione Principatuum agit; poſtea ad Duces convertitur, ac abſoluta disquiſitione generali, ad originem, veterem conditionem, & mutationem pertinente, ſpeciatim Archiduces Auſtriæ (Carinthiæ titulus Archiducalis male a nonnullis tribuitur) Magnos Duces (quales hodie in Germania non ſunt, licet olim Witikindum Magnum Saxoniæ Ducem dictum eſſe, ex Abbate Stadenſi nonnulli opinentur)

Duces in ſpecie, ſcilicet Burgundiæ, (circa quos inter alia obſervat, quod ab iis, & nominatim a Philippo Bono, ſit inſtitutus Ordo Aurei Velleris, adeoque ille a Regibus Hiſpaniæ, qua Burgundiæ Ducibus, hodie conferatur) Lotharingiæ, porro (Bavariæ & Saxoniæ Ducibus omiſſis, cum inter Electores iis locus fuerit) Duces Brunſvicenſes & Luneburgenſes, Pomeraniæ, Magdeburgenſes, Bremenſes, Juliacenſes, Clivenſes & Montanos, Angriæ & Weſtphaliæ, Megapolitanos, Würtembergicos, Holſatiæ, Sleſvicenſes, cum prolixa explicatione, recenſet, ac de Ducibus titularibus, nec non Italiæ, quædam ſubjungit. Hinc digreditur ad Marchiones, & explicatis generalibus, adductoque Marchiarum catalogo, nominatim Marchiam Moravicam, Burchaviæ, Luſatiæ, Slavonicam, Brandenburgicam, Miſnenſem, Badenſem, Nomenii & Belgicam commemorat. His ſuccedunt Landgravii, quorum aliqui dignitate Principali fulgent, *alii* ea deſtituuntur. De illis ſolum Noſter ſollicitus, primo iterum generalia, deinde vero Landgraviatum Alſatiæ, Thuringiæ, Haſſiæ & Leuchtenbergenſem adducit. Tandem ſequuntur Burggravii, tam generaliter, quam ſpecialiter Burggraviatus Magdeburgenſis, Norimbergenſis, Miſnenſis, Strombergenſis & Reineccenſis commemoratione illuſtrati. Poſt quæ Burggraviorum non-Principum mentio ſit, Principesque in ſpecie, quales ſunt Anhaltini, ac Comites Principali dignitate fulgentes, referuntur. Abſoluta Principum tractatione, Noſter ad Proceres non-Principes deducitur, ac primo quidem de Abbatibus & Abbatiſſis ſatagit, quorum adeo originem, antiquam & novam conditionem, varietatem ac jura titulo duodecimo perſequitur, inter alia cenſens, mirum videri, quod Abbas Kentzlingenſis inter Abbates Imperii ponatur, ab eoque ſingulis menſibus duo equites & novem pedites exigantur, cum tamen Abbatia Kentzlingenſis nullibi in Imperio reperiatur. Titulus decimus tertius Comites & Barones exhibet. Ab initio Comitum antiqua conditio, tam quoad Romanos, quam Germanos, deinde ſtatus eorum præſens, cum juribus territorialibus & comitialibus adducitur; inde ſpecialius Comites Naſſovii, Hanovienſes, Witgenſteinii, Sainenſes, Leiningenſes, Solmenſes, Iſenburgici, Budingenſes, Waldeccenſes, Wild & Rheingravii, Mansfeldii, Schwarzenburgici, Rutheni, Stolbergenſes pluresque alii recenſentur. Quoad Barones eadem incedit methodo,

ac

ac tam generali quam ſpeciali explicatione laborem abſolvit, inter alia exiſtimans, Baronis nomen, ſi originem ſpectes, dignitatis titulum eſſe, ſecus ac nomen Comitis, quod dignitatem & munus ſimul notet. Civitates Imperiales tituli decimi quarti argumentum ſunt. Poſt explicata ea, quæ ad generalem civitatum conceptum, veteremque Germanicarum urbium conditionem pertinent, originem & indolem Civitatum Imperialium Noſter tradit, ſtatumque nonnullarum dubium expendit; inde ad duo libertatis fulcra, jus ſcilicet territoriale & comitiale progreditur, ac utrumque, rejectis civitatibus mixtis, per partes amplius exponit. Poſtea juxta duo illa ſcamna, Rhenanum & Suevicum, Civitates Imperiales enumerat, ac circa ſingulas fere originem, immedietatem, regiminis formam, jura & privilegia expendit, injecta quoque, in fine tractationis, Civitatum Hanſeaticarum mentione. Decimum quintum & ultimum titulum occupat Nobilitas Imperii immediata. Antequam ad hujus explicationem deveniat, de Nobilibus in genere quædam Noſter præmittit, ex quibus hoc unum referre liceat, quod vocem Germanicam Adel/ ab aquilis Cæſareis deducat, ut Edelleut ſint quaſi Adlerleut/ quia ſub aquilis, ſignis Cæſareis, ſtipendia meruerint. Inde progreditur ad Nobilitatem immediatam, ac explicata ejus origine, jus Territoriale ipſi aſſerit; jus autem voti comitialis ei vel olim competiiſſe, vel nunc competere negat, in tantum, ut ne quidem Nobilitati Fridbergenſi, Gelnhuſanæ & Hegavienſi illud a Limnæo recte adſcribi exiſtimet. Poſtea quædam jura territorialia in ſpecie adducit, immunitatemque Nobilium a collectis Imperii demonſtrat; hinc jus collegii inſtituendi, privilegium fori Imperialis, Auſtregarum, jus archivi, non tantum collegiis, ſed & ſingulis Nobilibus, ſecus ac Rulandus exiſtimaverat, competens, controverſiam quæ Nobilitati cum Civitatibus ratione præcedentiæ intercedit, tres Nobilium claſſes, Franconicam, Suevicam, & Rhenanam, harumque ulteriorem in corpora minora & ſubordinata partitionem recenſet, ac illuſtrationis gratia, de Nobilibus Landſaſſiis, iisque vel Schrifft-vel Ambtſaſſiis, nonnulla ſubjicit.

DANIELIS GEORGII MORHOFII DELITIÆ ORAtoriæ intimioris, ſive de Dilatatione & Amplificatione Rhetorica Liber.

Lubecæ ſumtibus P. Böckmanni, 1701, in 8. Conſt. plag. 16½.

CUm in ſcientia rite amplificandi Orationem non parum momenti poſitum eſſe probe intelligeret Clariſsimus olim Orator Morhofius, ad eandem facilius aſſequendam Auditoribus ſuis, dum adhuc in vivis fuit, facem præferre, ac diffuſum illud artificium lectionibus non adeo multis tradere ſategit. Quæ ut inſignem ſuam utilitatem in plures diffundere poſſent, luce publica merito donatæ in præſenti libello exhibentur. Diſpeſcitur autem ille in tres partes, earumque prima undecim capitibus abſolvitur. In partis I cap. I de diſcrimine inter dilatationem atque amplificationem ſeu exaggerationem orationis agit, atque illam in verbis ſolis conſiſtere, hanc autem argumentis inprimis moventibus conſtare docet, inſuper obſervans, pauca ab antiquis Rhetoribus tradita eſſe, quæ dilatationis doctrinam illuſtrare poſſint: inter illos tamen primo loco ponendum eſſe Hermogenem lib. I de formis cap. XI: apud Longinum & Demetrium ſparſim aliqua occurrere: inter recentiores cum laude verſatos eſſe hoc in argumento Eraſmum & Marcum Corradium, illumque immerito eam ob cauſam ut μικρολόγον a non nemine traduci. In Cap. II de dilatatione per ſynonyma tractat, oſtendens, ejusdem apud Ciceronem bene multa exempla occurrere, illumque ſynonymis non ad loquacitatem oſtendendam, ſed ad numerum periodi explendum uſum fuiſſe: ſynonyma copulatione vel immediata, vel intervenientibus vocibus, item per oppoſitionem, omiſſa copula, conjungi, nec non unum aliquod ſynonymum de diverſis ſubjectis, aut plura ſynonyma de uno ſubjecto, prædicari: in adhibendis ſynonymis uſum proborum autorum, inprimis Ciceronis, attendendum, ac modum obſervandum eſſe: in congerendis ſynonymis neminem, ſe obſervante, magis peccare, quam Johannem Baptiſtam Evangeliſtam Picenum, qui in orationibus ſuis infinitis pene ſynonymis adeo extendat periodos, ut ne Herculis ſpiritus uni deproperandæ ſufficerent: eadem ratione in carmine ſcribendo nimiam ſynonymorum curam impendere Barlæum, ac ſub initium carminis, quod inſcribitur Trophæum Arauſionenſe, decem verſiculis unam ſententiam proponere, quod in caſtigato carmine admitti nequeat: Claudianum, cujus imitatorem *ille* ſe profiteatur, ea

ea in re multo ipſo eſſe modeſtiorem; Virgilium autem nunquam limites boni judicii tranſilire. Cap. III dilatationem per epitheta ſiſtit, monens epitheta vel diſcretionis, vel proprietatis, vel numeri gratia addi: non tantum ea ad orationis dilatationem, ſed & brevitatem facere: vel ſubſtantivis, vel adjectivis, & verbis apponi: Nunniſium epithetha adjectiva, Hubertum Suſannæum epitheta adverbialia Ciceronis, adductis diligenter ex eodem locis, congeſſiſſe: Franciſcum Clementem libellum exiguum de adverbiis Ciceronis, omiſſa locorum notatione, juxta ordinem alphabeticum ſcripſiſſe: Sebaſtianum Figulum epitheta quoque collegiſſe, ſed loca Autorum non apposuiſſe, nec integras ῥήσεις adjeciſſe: epitheta eſſe vel ſolitaria, vel plura per copulam conjuncta, vel etiam aſyndeta, item paraphraſtica: epithetorum in oratione & hiſtoria inſignem eſſe uſum: epithetum unum, vel adjectivum vel adverbiale, integrum nonnunquam enthymema continere. Cap. IV proponit dilatationem per antitheta, ac perhibet in hoc argumento Auguſtinum Gambarellam in libro, cui titulus, *Antithetorum amica ſimultas*, Mediolani A. 1619 in 4 edito, utiliſſimam navaſſe operam: unam vocem multis opponi poſſe: antithetorum uſum vel in ſimplicibus verbis, vel in phraſibus & ſententiis conſiſtere: in antitheto, quod Latinis contentio & contrapoſitum dicitur, explicando, Ariſtotelem, Quintilianum, Ciceronem, Dion. Halicarnaſſeum prolixos eſſe: antitheta omnia non debere per manifeſtas particulas negantes exponi, ſed poſſe alio enunciationis habitu, & nonnunquam figura quadam Grammatica, proferri. Cap. V tradit dilatationem per figuras Grammaticas amplificantes, animadvertens, magnam quidem figurarum Grammaticarum eſſe varietatem, ſed paucas eſſe, quæ orationem dilatent, ac cum Rhetoricis hac in parte aliquatenus conveniant: figuras Grammaticas a nemine, quam ab Edmundo Richero, in peculiari de arte figurarum libro, majori cum cura recenſeri, & in ordinem redigi: uſum autem illarum plenius Eraſmum in libro de copia verborum ipſa praxi oſtendiſſe, at in regulis ponendis ordinem minus obſervaſſe: præ cæteris figuris πλαγιασμὸν, ſeu obliquationem, commendandam eſſe: pleonaſmo, cui affines ſint macrologia & hyponoia, orationem dilatari: periphraſes ſimpliciores & Grammaticas huc quoque ſpectare. Cap. VI exponit dilatationem ſententiarum Grammaticam

ticam, ac monſtrat, illam fieri per ἰσοδυναμίαν ſeu expoſitionem, & quæ ad hanc referri poſſe videatur, iterationem, cum illud, quod diximus, repetimus: ἐπιμονὴν item, cum rem unam non bis, ſed ter, quater & amplius dicimus, variatis verbis & ſententiis; contrariorum remotionem; ſententiarum quarundam interjectionem; plagiaſmum, cum ſcilicet ſententia ſimplex in unam vel plures reſolvitur, & aliqua ipſi enunciatio quaſi præparatoria præmittitur; περιβολὴν, cum nempe recta enunciatio in circumductam, ſimplex in compoſitam commutatur. Cap. VII docet dilatationem ſententiarum ſententioſam, oſtenditque, quod ſententias allegorica παροιμιώδη, adagia, ſimilia, metaphoræ, gnomica arguta, inductiones exemplorum ſeu vera illa ſint ſeu fabuloſa & ficta, ſchemata & figuræ ſententiarum mire ornent. Cap. VIII illuſtrat dilatationem periodicam, atque monet, commata ac cola extendi poſſe per circumſcriptionem, cum nomina ſubſtantiva circumſcribuntur per alia, quæ ſignificant æquipollentiam, virtutem, vitium, facultatem, judicium, motum animi, ſenſum, conceptum, cauſas & circumſtantias quaslibet, ſicut & per illa, quæ generis, ſpeciei, totius, partis & accidentis ſignificationem habent; per additionem, quando adduntur phraſes & conceptus cauſarum, effectorum, antecedentium, conſequentium, omnium circumſtantiarum, generis ad ſpecies, totius ad partem; per partitionem, cum quis delectus inſtituitur rerum e loco diſtinctorum, ſeu diverſorum, ſeu etiam oppoſitorum; per ſimilia & comparata; per oppoſitionem; per particulas: omnesque illos modos, qui ad dilatationem membrorum adhiberi ſolent, etiam ad integræ periodi dilatationem pertinere: unam periodum in plures reſolvi poſſe duobus modis, nempe ſi circumductior periodus una multimembris reſolvatur in plures periodos conciſas; vel, ſi una periodus multimembris reſolvatur in plures periodos ejusdem menſuræ, quod ſcilicet nonnulla membra vel propoſitiones periodi reſolvendæ poteſtate ſua contineant plures propoſitiones, vel aliqua addantur e locis cauſarum & circumſtantiarum, unde prior periodus nova aliqua incrementa aut additamenta capiat. Cap. IX ſiſtit dilatationem enthymematum, tum ethicorum, tum patheticorum, monetque enthymemata ethica, ſeu potius formulas enthymematicas morales, quibus dilatatur ſententia, quatuor modis inſtitui poſſe, quorum primus eſt, cum exprimi-

Digitized by Google

mitur virtus loquentis vel ſcribentis; ſecundus, cum imprimitur virtus animo ejus, qui legit vel audit; tertius, cum exprimimus virtutem tertii alicujus, de quo ſcribimus vel loquimur; quartus, cum formamus generale aliquod effatum, quod ſententiæ & axiomatis inſtar eſſe poſſit: enthymemata pathetica tribus modis fieri, quorum primus eſt, cum exprimimus illum affectum, qui in nobis eſt; ſecundus, cum imprimimus illum affectum auditori; tertius, cum ille affectus in tertio aliquo repræſentatur: magnam eſſe differentiam, quoad exprimendi modum, inter formulas ethicas & patheticas: nam ethicas plerumque continere ſenſus integros cum ſeria aliqua & hiſtorica expoſitione; verum patheticos exprimi potius per figuras vehementes,& admirationem, interrogationem, dubitationem,apoſtrophen, juramentum, interjectiones ſignificantes dolorem, gaudium, timorem, odium. Cap. X paraphraſin ſoluti & ligati ſermonis, & cap. XI orationis circumductæ ſeu longioris contractionem exhibet.

In partis II cap. I, quod de amplificationum & dilatationum locis communibus dialecticis inſcribitur, poſtquam Autor beatus quædam de Autoribus, qui huc facere videntur, præmiſiſſet, ex Hermogenis lib. I περὶ ἰδεῶν ſeu de formis oratoriis cap. XI diffuſam dicendi rationem plenius proponit. In cap. II argumenta ſingulorum locorum topicorum illuſtrantur. In cap. III monſtrat, ex multiplicatione locorum orationem denſam fieri, & rerum copia quaſi ſtipari: ad illam felicius obtinendam neceſſarium eſſe, librum quendam promicondum habere, ſecundum rerum claſſes diſpoſitum, in quo habeantur omnia cujusque rei conſentanea & diſſentanea: tale aliquando opus in animo habuiſſe Julium Camillum, Italum, ſed mortem propoſitum ejus, quod quadraginta annos mente volverat, intercepiſſe: Sturmium locos certos rerum inveniſſe, ſecundum quos Latinam linguam diſponeret, atque hanc Latinæ linguæ reſolvendæ rationem tradidiſſe in peculiari tractatu, quem in lucem Johannes Lobardus, Boruſſus, ediderit: Sturmii conſilia ſecutum diſcipulum ejus, Johannem Benzium, Theſauri Latinitatis puræ compendium alterum Argentorati A. 1596 in 8 publicaſſe: Sturmio hanc Latinæ linguæ reſolvendæ rationem non primum excogitatam fuiſſe, ſed jam olim Julium Pollucem in Onomaſtico ſuo eam rationem iniviſſe, & ob elegantem diſpoſitionem Commodo Cæſari idem nuncupare non dubitaſſe: Sturmii rationes illas quoque Jodocum Willichium in libro de

ver-

verborum & rerum copia comparanda forſan reſpexiſſe: neminem e Rhetoribus, quantum ipſe quidem ſciat, fuiſſe, qui hanc locorum multiplicationem pro oratione dilatanda commendarit, quam Renatum Bary, Conſiliarium & Hiſtoriographum Regis Galliæ, qui in Rhetorica ſua Gallica ſub finem de illa præcepta aliqua & exempla dederit: quibus præmiſſis, ad ductum nominati Gallici Autoris, ipſe Morhofius aliquot exempla in medium adducit. Cap. IV tria exempla producuntur, quorum primo res, ſecundo factum, tertio thema e locis dialecticis amplificatur. Cap. V uſus prædicamentorum in amplificando ob oculos ponitur. Cap. VI primum notat Autor, quod nonnulli quosdam modos orationis amplificandæ commenti fuerint, eosque commendarint tanquam extemporales, quorum uſus ſine moroſa aliqua meditatione ſemper eſſe poſſit: dein obſervat, a Franciſco Pomey & Jano Cæcilio Frey circulatoria quædam inventa, pro amplificanda oratione, ſuppeditata fuiſſe: tandem monet, non pauca collectanea, quæ amplificandæ orationi inſervire queant, apud Cauſinum in Eloquentia ſacra & profana inveniri: inſtituiſſe & Melchiorem de la Cerda talia collectanea in libro ſuo, quem inſcripſit *Campum eloquentiæ*; aſt illum promiſcue omnia ex Autoribus tam veteribus, quam recentioribus, ſine delectu, ordine & judicio corraſiſſe: congeſſiſſe quoque Laurentium le Brun in Eloquentia ſua Poëtica amplificationes, quæ apud Poëtas inveniuntur, ſed nomina Autorum in allegandis exemplis male omiſiſſe. Cap. VII, præmiſſis nonnullis de figurarum Rhetoricarum numero, ſcriptoribus, diviſione, enunciationem iſtam, *Deus nos afficit magnis beneficiis*, per omnes figuras dictionis ac ſententiæ Germanica lingua deducit. Cap. VIII nonnulla de modo conficiendi locos communes formularum amplificantium affert, annotans, in iis colligendis Nicaſium Baccium, Auguſtinianum, viam præiviſſe, in libello, qui ab eo ſub titulo *Formulæ Amplificandi* prodiit, ac poſtmodum ſub titulo, *Medulla Eloquentiæ*, Morelli Enchiridio Oratorio, Coloniæ A. 1661 in 12 edito, adjectus fuit: Meyfarti Mellificium Oratorium non adeo ſibi improbari, ſed id tantum culpari, quod delectum Autorum non habuerit, & multos etiam lutulentos e recentioribus in hunc cenſum redegerit, tum etiam titulos non ſatis ordinate locarit.

In parte III amplificationem in ſpecie ita dictam ſibi pertractan-

ſtandam ſumit, & quidem Cap. I. iſtam primo definit, quod ſit, qua res major efficitur, quam opinione noſtra eſt: dein dividit in exaggerationem, quæ conſiſtit in re augenda, vel minuenda; item quæ in verbis vel rebus locum habet. Porro oſtendit, exaggerationem in verbis vel per adjectionem, vel per emphaſin fieri: ad exaggerationem facere figuras, quæ vel in verbis ſimplicibus, vel in ſententiis conſiſtant: congeriem eſſe coacervationem vocum ſynonymarum, ad eandem rem cum vehementia exprimendam: cum ſententiæ coacervantur per vehementiam, oriri inde figuram, quæ ἐπιμονὴ, immoratio, dicitur: inter expoſitionem & immorationem hanc eſſe differentiam, quod in expoſitione plenius quippiam dicatur, in immoratione vehementius, quæ præterea etiam cum gradatione conjuncta ſit: conglobationem verborum eſſe coacervationem vehementem vocum res diverſas ſignificantium; conglobationem ſententiarum eſſe coacervationem ſententiarum diverſarum vehementem: gradationem eſſe exaggerationem per tranſitum ab uno ad aliud, eamque fieri vel per adſcenſum ſeu incrementum, vel per deſcenſum ſeu decrementum: gradationem per adſcenſum fieri (1) in ſynonymia, (2) in enunciatione, (3) in negatione vel collatione, (4) per diſcretivas particulas, (5) per disjunctivas, (6) per correctionem: gradationem per deſcenſum eſſe (1) cum a vehementiore voce ad leviorem fit deſcenſus, (2) in negatione, (3) per diſcretivas particulas, (4) per disjunctivas particulas, (5) per correctionem: duo phraſeos genera apud Rhetores occurrere, alterum πεφυκὸν, ſeu nativum & ſimplex; alterum πεπλασμένον, verſum atque mutatum; illo Ciceronem in commentariis, hoc in orationibus ſplendidioribus uti. Cap. II amplificationem realem per locos communiſſimos, communes, & proprios fieri memorat, atque per illos, locos dialecticos; per iſtos, omnia enthymemata, quæ in locis Rhetoricis habentur; per hos autem, locos qui apud Ariſtotelem in generibus cauſarum occurrunt, intelligit. Cap. III exemplis aliquot realem amplificationem declarat. Cap. IV amplificationes quoque in oratione ſacra locum invenire, probat. Cap. V figuras amplificantes ex locis dialecticis originem trahere docet. Cap. VI de colligendis figuris patheticis conſilium quoddam ſuppeditat. His omnibus ſubjungitur index rerum hoc libro contentarum.

Digitized by Google

LA MEDICINA DIFESA &c.

i e.

MEDICINA A CALUMNIIS VULGI ATQUE OBjectionibus Eruditorum vindicata, in duos Dialogos diviſa, & conſecrata ſummis meritis Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Cardinalis Domini JACOBI ANTONII MORIGGIA, Archiepiſcopi Florentini: Autore ANTONIO FRANCISCO BERTINI, Profeſſore Medicinæ.

Luccæ apud Mareſcandolos, 1699, in 4 chartæ aug. Alph. 2, pl. 3.

QUod a peritis fieri obſervamus Chirurgis, qui, antequam vulnera atque ulcera mali moris conſolident ac coaleſcere ſinant, id agunt, ut detrahendo emplaſtra atque integumenta, pro occultandis ulcerum ſordibus applicata, in naturam eorundem accuratius inquirant: hoc etiam, laudabili admodum inſtituto, præſentem noſtrum Autorem imitari deprehendimus, utpote qui Artis Medicæ dignitatem a contumelioſis adverſariorum inſultationibus vindicaturus, primam hujus tractatus, ipſius Clariſſimi Autoris dono, Illuſtri Magliabechio curante, nuper ad nos delati, quem per modum Dialogi abſolvit, partem perſcrutandis illis potiſſimum rationibus ac cauſis deſtinare voluit, e quibus, tanquam primis fontibus, Artis Medicæ contemptus promanare videtur. Has inter primo ſtat loco vulgaris illa & ab omnibus adverſariis recepta opinio, qua nobiliſſimam hanc Artium admodum fallacem atque inconſtantem pronunciant, quippe quæ non ſolum ipſius *Celſi* ſententia conjecturalis ſit, ſed etiam inſuper hinc inde falſis nitatur principiis, ex quorum numero non modo ſint trita iſta ex medendi methodo deſumpta: *contraria contrariis curari: ſimilia ſimilibus conſervari*, utpote quæ curatione eryſipelatis, anginæ atque id genus aliarum inflammationum, quotidie fere refutentur: ſed etiam aphoriſmi & prognoſtica Hippocratis ipſa, ſuſpectæ fidei non ſolum jam a Galeno deprehenſa, ſed etiam noviſſime a quodam autore tanquam incertiſſima atque inconſtantiſſima rejecta, edito in hunc finem peculiari tractatu *de Incertitudine ac falſitate Aphoriſmorum Hippocratis, A. Geneva 1697* typis expreſſo. Hanc ſequitur alia contemptus Me-

Medicinæ cauſa, in illis potiſſimum obſervanda, qui Artem hanc temerario auſu profiteri ac tractare deprehenduntur. Horum enim erroribus ac vitiis non levem etiam Arti ſalutari ſæpius inuri ignominiam, merito perſuaſus eſt. Imprimis autem hac occaſione infinitus ille, qui hodierno tempore obſervatur numerus, ſtudio huic ac profeſſioni illotis manibus ſeſe applicantium, repehendendus venit, qui eo magis Arti opprobrium ac contemptum pariunt, quo frequentiores obſervantur inter hos perverſi mores, ab illis non adeo alieni, quibus moti Romani, priſtinis temporibus, omnem Medicorum turbam ex Urbe ejecerunt, quorum mentio fit apud Plinium Hiſt. Nat. Lib. 29, cap. 1. Tertio tanquam cauſam non minus notatu dignam, craſſam proponit vulgi ignorantiam, qua fieri ſolet, ut pro Medicis imperiti quivis barbitonſores, pharmacopœi, opiliones, ſagæ atque aniculæ habeantur, qui credulis ejusmodi ex plebe hominibus ſe obtrudentes, ſi quid peccant, ſub nomine Medicorum id agunt, atque hac ratione inſigniter Artem Medicam deturpare ſolent. Et Chirurgos quidem, uti & Pharmacopœos, usque adeo noſtro tempore impudentes eſſe, ut etiam ad ægros illos, quorum ſtatum inconſiderata atque inepta ſua curatione deſperatum reddiderunt, quaſi in ſupplementum demum Medicos accerſere jubeant, quo, ſi tandem infauſtus fuerit curæ eventus, culpa non tam in ſeipſos, quam in Medicum potius derivetur: de aniculis autem, præſertim in Italia, hanc obſervari proterviam, ut morbos illos omnes, qui ſexui ſequiori, tempore ingravidationis & puerperii, accidere ſolent, peculiari quaſi privilegio ſibi ſolis curandos præſumant, Medici operam atque auxilium non niſi re maxime deſperata admittentes. Ultimo tandem loco commemorat teſtimonia illa ex eruditorum ſcriptis deſumpta, quæ ab oſoribus Artis Medicæ in contemptum ejusdem atque ignominiam allegantur. Neque enim ſolum ab illis, qui artium & ſcientiarum fere omnium apertos ſe profitentur hoſtes, qualis famoſus ille Cornelius Agrippa, ſed etiam ab his, qui inter earundem decora & æſtimatores alias numerantur, Medicinam laceſſi injuria, notiſſimum eſſe exiſtimat. Hos inter præcipuus eſſe videtur Franciſcus Petrarcha, qui pluribus in locis, e. g. Rer. Senil. L. 15. Epiſt. ad Malteſtam, item Lib. 5. epiſt. 4. & Lib. 5. epiſt. 5. admodum ſiniſtre de Medicis ſentire deprehenditur, ita, ut modo ve-

lit, *nullam eſſe ægro rectiorem ad ſalutem viam, quam Medico caruiſſe:* modo etiam affirmat, *de Medico in morbis curandis non ſolum nihil ſperandum, ſed valde etiam metuendum eſſe &c.* Petrarchæ autoritati aſſociare ſolent celebris illius Angeli Politiani in Medicorum ordinem invectivam, quæ L. 2. Epiſt. ad Leonicenum legitur, his fere verbis: *indolui rurſus generis humani vicem, quod in ſe graſſari triſtem hanc inſcitiam* (Medicinam puta) *patiatur, atque ab iis interdum ſpem pretio emat, unde mors certiſſima proficiſcitur. Quis enim non videat, plus eſſe a Medico quam a morbo periculi?* Et ut eo fortius contradicentes ſtringant, commemorati Medicinæ oſores allegant tandem teſtimonia illorum, qui Medicorum nomine ipſi celebres fuerunt, e. g. Leonhardi Capuenſis, qui hinc inde in ſcriptis ſuis omni ſtudio & opera demonſtrare conatur, Artem Medicam omnium eſſe incertiſſimam & maxime fallacem, ita ut in hunc ipſum revera quadret, quod apud Plinium de Theſſalo dictum fuiſſe legimus, deluiſſe illum cuncta majorum placita, & rabie quadam in omnis ævi Medicos peroraſſe.

Detectis ita erroribus illis ac vitiis, quorum ab adverſariis ſuis Medici communiter arguuntur, id agit in altera Dialogi hujus parte Autor celeberrimus, ut argumenta ſuppeditet, quibus ad factas ab adverſariis objectiones & calumnias convenienter reſponderi, atque hoc ipſo Artis Medicæ dignitas in priſtinum ſplendorem ac gloriam vindicari poſſit. Ante omnia igitur opponit ſe illis, qui Medicinam hoc nomine indignam eſſe cenſent, quod ſcilicet eadem conjecturalis ſit. Celſi enim autoritatem in præcedentibus allegatam revera ad hoc demonſtrandum non ſufficere, probat ex hoc, quod ipſe Celſus, *in eodem de Re Medica proœmio*, verba illa de Medicina conjecturali cum reſtrictione intelligenda eſſe velit, ita ſcribens: *Si quid itaque vix in milleſimo corpore aliquando decipit, id notam non habet; cum per innumerabiles homines reſpondeat. Eſt itaque Medicinæ fides, quæ multo ſæpius perque multo plures ægros prodeſt.* De cætero, quemadmodum nemo fortaſſis ex hac ratione Artem Bellicam contemnere poterit, quod de fine ſuo ſecura ſemper ac certa eſſe non poſſit: ita magis abſonum foret, Medicinam hoc nomine calumniari, quod interdum conjecturis inniti videatur; ſiquidem & conjecturæ iſtæ a prudentioribus ita ſemper formantur, ut pro conſtanti fundamento ſanam ratio-

tionem habeant. Neque ullo modo probari poſſe Autor noſter exiſtimat, Medicinam fallacibus uti præceptis. Licet enim vulgare illud, *contraria contrariis curantur*, curatione eryſipelatis, anginæ, &c. refutare conentur, nihil tamen illos agere certum eſt, ſi conſideremus, ſenſum hujus axiomatis adeo quidem late patere, ut ſub contrariis intelligenda ſint omnia, quæ morbum vel ejus cauſam tollere ullo modo poſſunt. Si vero provocent ad ipſos Hippocratis aphoriſmos, eosdemque ſublestæ fidei a nonnullis deprehenſos fuiſſe indicent, reſpondendum, hos non poſſe hoc noſtro tempore deprehendi ubique conſtantes ac certos, ſi conſideremus mutatam jam penitus ab antiquis temporibus hominum ac vitæ conditionem, qua de re elegantiſſime incomparabilis Seneca Epiſt. 95: *quid ergo mirandum eſt*, ſcribit, *maximum Medicorum ac naturæ peritisſimum in mendacio prebendi, cum tot fæminæ podagricæ ſint? Beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt, & quia fœminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus.* Pergit hinc Autor noſter ulterius reſpondendo illis, qui culpa Profeſſorum ſuorum ac Doctorum, Artem Medicam labem contrahere ac contemptum exiſtimant. Negandum equidem, quod hoc attinet punctum, minime eſſe fatetur, variis modis ab illis, qui Medicorum nomine veniunt, Artem proſtitui, interim tamen ex hoc fundamento Medicinam ipſam contemnendam eſſe, nullo modo ſequi putat; cum alias Jurisprudentia etiam, Doctrina Moralis ac Theologia ipſa labem contraheret ac ignominiam, ſi a male moratis atque indignis, quod ſatis frequenter fieri ſolet, tractentur. Quandoquidem vero infinitus ille Medicorum numerus non parum ad fovenda ejusmodi patriæ & Artis carcinomata contribuat, præſentius remedium huic indies accreſcenti turbæ nullum inveniri poſſe exiſtimat, quam illud ipſum, quod de vindicanda a contemptu Scientiarum atque Artium liberalium in genere omnium dignitate, ſuo tempore *Baco de Verulamio*, Britannorum Democritus, propoſuit in Oratione quadam, quæ *Conſilium Regi oblatum* inſcribitur: *arcendam* nimirum *eſſe ab ejusmodi ſacris plebis turbam, ne tanta hominum multitudo, otio literario aſſueta, ſuſtentationis difficultate preſſa, indignos tandem atque abjectos lucrandi modos eligere cogatur.* Supereſt, ut tertio etiam videamus, quid de perverſo vulgi de Medicis judicio ſentiat Autor. Fatetur nimirum, abſurdo imperitæ plebis judicio pro Me-

dicis ſæpiſſime haberi, qui nil minus quam tales ſunt, interim tamen ſub Medicorum nomine impune occidunt, atque hoc ipſo Medicis ac Medicinæ non levem inurere maculam obſervantur. Facile tamen & hoc tolerari poſſe opprobrium exiſtimat, ſi cogitemus, *non eſſe conſilium in vulgo, non rationem, non diſcrimen, non diligentiam, ſemperque ſapientes ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non laudanda duxiſſe*, ut Cicero loquitur in Oratione pro Cneo Plancio. Aſt ponderoſiores fortaſſis erunt illæ rationes, quibus eruditorum nonnulli Artis Medicæ dignitatem deſtruere ac laceſſere conati ſunt, prout teſtimoniis hanc in rem allegatis ſuperius indicabatur. Nil minus vero: demonſtrat enim Autor, illos qui de Medicina contumelioſe ſcripſiſſe dicebantur, vel ſibi ipſis contradixiſſe, vel reſpective ſaltem intelligendos eſſe. Atque hunc in finem ipſius Petrarchæ, qui infenſiſſimus alias creditur Medicorum hoſtis, allegat verba, ex Epiſt. 2. L. 12. Rer. Senil. *ego vero, & eſſe Medicinam, & magnum aliquid eſſe, non dubito, ut quæ ſacris in literis a Deo creata, atque in libris ſecularibus inventioni Deorum immortalium conſecrata ſit.* It. ex Lib. 1. Invectiv: *hæc non adverſus Medicinam, neque adverſus excellentes Medicos, qui cum ſemper rari, noſtra ætate certe rariſſimi ſunt, ſed adverſus Te delirantesque dicta ſint.* Multo fortaſſis robuſtius erit illud argumentum, quod de *Leonhardo Capuenſi* in medium proferebant, quippe qui licet Medicus ipſe fuerit, nihilominus de Medicina peſſime ſentire obſervatur? Aſt nullius certe & hoc videtur eſſe momenti, ſiquidem conſtat, cavillatorem hunc invidiæ ſtimulo agitatum blateraſſe, quicquid contra Medicinam protulit; quin & inſuper alios optimos viros, præter Medicos, calumniis ſuis perſtringere ſolitum fuiſſe Leonhardum hunc Capuenſem, videri poteſt in *Bened. Alethini* Epiſt. Apologet. Neapoli edita. Firmum itaque ſemper eſſe, concludit tandem Autor, ac certiſſimum, Artem ſalutarem in ſe ſpectatam nullius omnino fraudis vel labis eſſe ream, ſiquidem ad mentem *Fernelii* in Prax. Med. *ſi omnes omnium artium commoditates, facultates ac copias diſpiciamus, nihil tamen ſit Medicina melius, nihil optabilius, nihil denique hominum generi datum præſtabilius.*

Die alten Jüdiſchen Heiligthümer / GOttesdienſte und Gewohnheiten.

Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt:

ANTIQUÆ RES JUDÆORUM SACRÆ, CULTUS publici & Conſuetudines, latius deſcriptæ a JO. LUNDIO, Verbi Divini Miniſtro Tunderano.

Hamburgi, apud Godofr. Liebernickel, 1701. fol. Alphab. 13. & fig. æn. plag. 15.

OPeris hujus, quod in tria minoris formæ volumina diſpertitum antehac in lucem prodiit, jam olim A. 1695, p. 210 ſ. & A. eod. p. 263 ſ. iterumque A. 1696, p. 319 ſ. prolixam mentionem fecimus. Non poſſumus tamen, quin iſtud denuo in apricum producamus, poſteaquam & alium nunc habitum induit, & novas inſuper minimeque pœnitendas acceſſiones ſortitum fuit. Etenim quod tomos tres conſtituebat quondam, in unum nunc reductum quinque libros continet, quorum primus *de Tabernaculo ſancto*, ſecundus *de Templo Hieroſolymitano utroque*, tertius *de Pontifice Maximo & reliquis Sacerdotibus Leviticis*, quartus *de Levitis*, & quintus denique *de Cultu antiquorum Hebræorum publico*, ad modum alias a nobis delineatum agit. Sed hactenus & capite & calce orbatum iſtud fuit, dum neque B. Autoris præfationem, neque indicem aliquem ei additum conſpicari licuit. Suppletum igitur ante omnia defectum huncce intelligimus, eruta ex ſchedis ab Autore congeſtis præfatione non inutili, quæ ad inſtituti univerſi deſcriptionem æque ac commendationem plurimum confert, & ſubnexo alius induſtria indice univerſali in ſex claſſes diſtributo, in quo librorum primo capitumque omnium ſummaria repetitio, deinceps dicta Scripturæ explicata atque vindicata, tum typi ex Inſtrumento veteri paulo latius deducti, Autores porro in fidem atque teſtimonium allegati, ulterius res præcipuæ, ac tandem vocabula Hebraica & Græca paſſim enucleata conſignantur. Textus autem ipſe, qui in priori editione continuo ſermone decurrebat, in certas jam diſſectus eſt periodos, ſumma uniuscujusque ſingulis capitibus præmiſſa. Adhæc in ſingulare ornamentum variæ acceſſerunt figuræ æneæ, potiſſimas ſacrarum antiquitatum affabre repræſentantes, quarum archetypon artificioſa ipſiusmet Autoris manus poſt ſe reliquit. Denique præfatio generalis præmittitur, in qua Summe Reverendus D. Henricus Muhlius de adhibendis merito, ſed pru-

Digitized by Google

prudenter, in explicatione Scripturæ Sacræ ejusmodi Autoribus, qui antiquitates Judaicas paulo curioſius rimati fuerunt, ex inſtituto diſſerit, palmamque inter hos B. Lundio deberi palam oſtendit.

THESAURUS CULTÆ LATINITATIS ADORNATUS per Clariſſimos linguæ Latinæ Obſervatores, & collectus a celeberrimo Viro JOHANNE VERWEY.

Gaudæ, apud Lucam Kloppenburg, 1701, in 4. Conſtat Alph. 6, pl. 4.

QUanto major puræ Latinitatis paſſim neglectus deprehenditur, tanto magis de Republica Literaria cenſendi ſunt mereri, qui promovere cultum ejus, ac imminentem averruncare barbariem, pro virili nituntur. Faciunt id non ſolum, qui lucubrationibus propriis Latinæ linguæ indolem genuinam commonſtrant, tuenturque, ſed & qui aliena in hanc rem utilia ſcripta in lucem ſubinde & ſtudioſæ juventutis manus revocant. Inter hos nomen quoque ſuum Vir Clariſſimus, Joannes Verwey, publicus Hagæ-Comitis Lector, ibidemque Gymnaſii Inſpector, profitetur, qui ſex id generis ſcripta præſenti, quem non immerito vocat, Theſauro complexus eſt, non ubivis obvia, & digna tamen, quæ Latinitatis caſtioris ſtudioſorum manibus diligenter verſentur. Sunt vero illa I. *Antonii Schori Phraſes linguæ Latinæ, ratioque obſervandorum eorum in auctoribus legendis, quæ præcipuam ac ſingularem vim aut uſum habent.* II. *Hadriani Cardinalis Libellus de elegantia Latini ſermonis, cui adjuncta Caſparis Scioppii Obſervationes linguæ Latinæ.* III. *Oberti Giſanii Obſervationes ſingulares in linguam Latinam.* IV. *Franciſcus Vavaſſor de vi & uſu quorundam verborum tum ſimplicium, tum conjunctorum.* V. *Godeſcalci Stewechii Huſdani de Particulis linguæ Latinæ liber; in quo de iis, quibus tanquam nervis nodisque orationis membra vinciuntur & conſtringuntur.* VI. *Horatii Turſelini de Particulis Latinæ Orationis libellus, recognitus & locupletatus a M. Jacobo Thomaſio Lipſienſi.* De ſingulis, cum dudum Eruditis innotuerint, dicere non attinet. Id unum non diſſimulandum, in Schori libello phraſibus Latinis Belgicam, Gallicam & Anglicam interpretationem, Belgicam etiam in Hadriani Cardinalis, Caſparis Scioppii & Horatii Turſelini opuſculis, in uſum Studioſæ Juventutis a doctiſſimo Editore eſſe adjectam.

* * * * * * * * *

N. IX.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Septembris Anni MDCCI.

HET EERSTE ANATOMISCH CABINET VAN FREDERIC RUYSCH, i. e. FREDERICI RUYSCHII Anat. & Botan. Prof. Theſaurus Anatomicus Primus.

Amſtelodami apud Joann. Wolters, 1701, in 4. Conſtat plag. 8, & figurarum æncarum tabulis 4.

CUm adeo delicata ſit atque ſubtilis partium animalium ſtructura, ut nudis oculis ſemper non appareat, & poſt mortem expectatione citius corrumpatur, & invertatur; felix deprædicandum eſt noſtrum ævum, quod in tantum faſtigium artem Anatomicam evexerit, ut his incommodis commode obviam ire liceat. Atque ejusmodi enchireſes, ſi quis alius, Clariſſimus Ruyſchius, qui per 36 annos Anatomicorum libros ſedula verſavit manu, atque innumera inſpexit cadavera humana, maximo ſtudio excogitavit, ſummoque labore hactenus exercuit. In ipſius enim ædibus varia ſunt conclavia, quæ theſauros præparatis Anatomicis refertiſſimos monſtrant. In hoc enim ſceleta adultorum & infantum, gibboſa & naturali conformatione prædita, omnia nitidiſſime compoſita; in alio integra cadavera adeo concinne conſervata, ut homines non mortuos, ſed dormientes crederes; iterum in alio partes animalium internas, tam ſolidas quam molles, modo induratas, modo elutas, modo materia ceracea repletas, modo alia ratione præparatas, & quidem vel nudas, vel liquoribus circumfuſas cernere licet. Ut taceamus plantas tam indigenas, quam exoticas, animalia, piſces, inſecta &c. tam balſamico liquori innatantia, quam exſiccata, in peculiaribus aſſervata conclavibus. Et cum ea felicitate hactenus Vir Clariſſimus rei Anatomicæ inſudaverit, ut multa invenerit no-

va, quæ majores noſtros latuerunt, ne Chimæras obtrudere videatur orbi literato, conſervat conſtanter partes, & unicuique, qui eas propriis uſurpare oculis geſtit, lubentisſime, (ea enim inſerviendi promtitudine pollet) monſtrat. Verum cum tantus ſit præparatorum horum apparatus, ut unus dies non ſufficiat, ad ſingula accurate perluſtranda; præſentem indicem vernacula lingua conſcriptum publici facere juris conſultum duxit, partim ut unicuique conſtaret, quid aſſervetur in Muſeo Ruyſchiano, partim ut ſibi absque notabili temporis diſpendio res deſideratas invenire, curioſisque ſpeculatoribus monſtrare liceret. Imo permiſit, ut Latinitate donaretur hic Theſaurus, atque ita imprimeretur, ut una eademque pagina bifida, tam textum Belgicum, quam ipſius verſionem exhiberet. Quoniam autem liber hic indicis cujusdam vices gerit, non eſt, cur ſingula exſcribamus, ſed ſpeciminis loco curioſiora ſolum delibabimus.

Initio præſentatur rupes artificioſa ex calculis humanis conſtans, cujus ſummitatem occupat & latera cingunt ſceleta fœtuum 4 circiter menſium. Huic, ut & alteri rupi ex aſperis arteriis, tam humanis quam vitulinis exſtructæ, interpoſitum eſt puellæ 3 vel 4 annorum ſceletum nivei coloris, peculiari artificio confectum, ita ut non ſolum maxima ex parte ligamentis propriis & naturalibus oſſa cohæreant, verum etiam ligamentorum arteriæ ceracea materia impletæ conſpiciantur. In repoſitorio I, N. 1, monſtrantur inteſtina tenuia fœtus humani jamjam nati, ut pateat, diametrum cœci in hac ætate multo majorem eſſe, quam in adultis. N. 3 offert manus infantis polypum ex cruore ſuis jamjam jugulati manu conquaſſato, donec refriguerit, formatum; ex quo infert Author Clariſſimus, ſanguinem in ſe continere pinguedinem diſſolutam, quæ in cellulas depoſita concreſcat. In repoſitorio II, N. 3 ſiſtitur infantis lingua, cum annexa portione lævi lateris menti labiique inferioris, ut conſtet, ductum ſalivalem, a glandulis maxillaribus inferioribus ortum, humorem ſuum non per ſimplex, ſed triplex oſtium ori concedere. N. 7 hepar ex carne exhibetur, ut doceamur, id, quod pro glandulis hactenus in hepate habuimus, nil niſi vaſorum faſciculos & extremitates eſſe. N. 12 hepatis hydropici portio conſpicitur, in quo plane nullum vas obſervatum fuit: hinc inductus eſt Author, ut credat, lymphæductus æque ac vaſa ſanguinea, horumque non tantum extremitates faſciculoſas modò commemoratas, ſed & truncos, quemadmodum

dum in hoc ſubjecto, in hydatides abire poſſe. In repoſitorio III, N. 1 papilla uberis balenæ invenitur, in qua ductus ejus lactiferus, qui marginibus mire fimbriatis, criſpis, & ita diſpoſitis conſtat, ut lactis profuſio extra ſuctionis tempus prohibeatur, cerni poteſt. N. 17 racemus dentium ex ovario muliebri poſt mortem deſumptus monſtratur. Sub repoſitoriis hisce arcæ poſitæ ſunt, quarum quarta inſtructa eſt minutiſſimis muſcis, una cum exuviis, ſeu pelliculis nympharum, e quibus illæ excluſæ ſunt, cum urina expulſis. Iſta ſpeciminis loco ex Theſauro hoc primo allegaſſe ſufficiat; ad reliquos eodem ſucceſſu pertexendos ut vitam & vires Divinum Numen Celeberrimo Authori concedat, animitus precamur.

ICHNOGRAPHIA NOVA CONTEMPLATIONUM de SOLE, in deſolatis antiquorum Philoſophorum ruderibus concepta a GEORGIO CHRISTOPHORO EIMMARTO.

Noribergæ apud W. M. Endterum, 1701. fol. plag. 8.

DIcavit has ſuas cogitationes Autor Chriſtianiſſimo Galliarum Regi Ludovico XIV. Quandoquidem hunc ait dudum in ſymboli locum ſibi elegiſſe Solem, concinna epigraphe, *nec pluribus impar*; & quemadmodum mundi, ſic Monarchæ hujus oculum, adſpicientem orbem eruditum, nunquam fatigari. Quapropter & ſe motum dicit, magnalia creatoris Dei in natura rimantem ac mirantem, hujusmodi Deos-homines (ita ad Scripturæ ſtilum Magnates vocat) revereri. In principio opuſculi, hypotheſin ſuam ex veterum, cumprimis Empedoclis & Philolai, placitis novam ſe effinxiſſe, verum ita fatetur, ut verba ab illis ſit mutuatus, res mutaverit. Empedoclem namque duos feciſſe Soles dicit, unum qui ſit ignis primigenius, alterum qui ſit reſplendentia hujus ignis, qui eſt circa terram: ſe unum in orbe agnoſcere Solem, ſed qui ſit inviſibilis in ſua natura, & materiata ſubſtantia; in ſpecifica vero forma viſibilis, quæ in ſimulacro aëreo repræſentetur. Philolaum diſcum Solis vitreum dixiſſe, qui reſplendentiam mundani ignis recipiat, lumenque ad nos retorqueat: ſe vero in locum diſci ſeu ſphæræ vitreæ circa Solis ignem ſubſtituere atmoſphæram ter-

terreſtrem, quæ tantam lucis Solaris primigeniæ portionem ad nos retorqueat, quanta ex centro Solis eidem ſuperfunditur, nempe quantum lucis intercipitur inter duo latera extrema coni radioſi, ſuperficiem extimam hemiſphærii atmoſphæræ contingentia. Sicuti vero vitream ſive cryſtallinam Philolai ſphæram eliminat Autor, ita Empedoclis opinionem tali ratione amplectitur, ut Solem quidem ipſum (nempe qui ſit primigenius) vitreæ ſphæræ anguſtiis non amplius incarcerans, radios ſuos e centro liberius longiusque in immenſum ſpatium emittere, ſed tamen *terminate* ac æqualiter in orbem circumcirca diſpergere, ſuique demum reſplendentiam, in medio diaphano compactiorem, per *ſpeciem diſciformem* revibrare, ſtatuat: viciſſim vero totam, cum Tellure, Planetarum œconomiam inter complexum Solis includat, ac in ſinum gremiumque illius ponat, in quo cuncta corpora, lucis indiga, non tam foveantur, quam a virtute lucis, veluti manu prehenſa, principium motus acquirant.

Ne vero hæc talia obſcura nimis alicui videantur, en uberius mentem ſuam explicat Cl. Autor, quando hypotheſin ſuam iſtud primario demonſtrare anniti dicit, quod in atmoſphæræ noſtræ extima ſummitate *ſpecies diſci Solaris apparentis* generetur, & quidem hoc modo: ſuppono, inquit, atmoſphæram eſſe inſtar infundibuli, in quo omnes radii Solares, quotquot ſoliditatem coni iſtius atmoſphæram illuſtrantis conficiunt, colligantur; cujus atmoſphæræ ſubſtantia, cum ſit pellucida, magisque materiata quam ſubſtantia *corporis Solaris*, analogiam habet, non ſolum cum *luce primigenia*, ſed etiam cum *organo viſus* noſtri, ut quaſi ſit medium proportionale inter tenuiſſimam Solis lucem, & qualitatem organi viſivi. Concipiantur jam, ita pergit, a centro Solis egredientes & ſuperficiem atmoſphæræ noſtræ tangentes radii, conſtituentesque in plano, quod orthogonaliter per axem tranſit, triangulum iſoſceles, cujus vertex ſit centrum Solis, latera extremitates radiorum ſuperficiem atmoſphæræ contingentium, baſis autem ſit planum orbiculare, normaliter ſecans conum illum *Solis* radioſum: planum hoc erit baſis non ſolum coni majoris, cujus vertex in centro Solis, ſed etiam baſis coni minoris, cujus vertex in oculo terminatur, ut ita planum commune per conos, majorem & minorem, tranſiens efficiat *ſpeciem diſci Solaris viſibilem*, cujus ſemidiametri quantitas apparentis invenitur per triangulum rectangulum ſcalenum, cujus duo late-

latera, unum quod eſt pars axis communis utriusque coni, incipiens ab oculo ad planum ſegmenti, & angulo recto adjacens, per altitudinem atmoſphæræ; alterum per lineam, quæ planum horizontis phyſici normaliter ſecat, productam ad convexitatem atmoſphæræ, cui etiam in aliquo puncto occurrat, peculiari indagine pro hypothenuſa inventum, quæ duo latera tertium latus, nempe *ſemidiametrum Solis apparentis* manifeſtabunt. De cetero quod ſupra radios Solis in immenſum ſpatium emitti, ſed tamen *terminate* ac undique in orbem dicat Autor, id innuere voluit, totam Solarem ſubſtantiam conſtituere *maſſam globoſam terminatam*, cujus radii infiniti e centro progredientes, nullatenus interrupta continuitate, æquali virtute lucis activa polleant, ita, ut idem punctum radii lucidi, quod in centro exiſtit, & illud, quod ultimum locum in peripheria occupat, cum intermediis, plane ſit unius ejusdemque non ſolum *ſubſtantiæ*, *tenuitatis*, *ſubtilitatis*, *puritatis*; ſed & *virtutis*, *vivacitatis*, *activitatis*, *perennitatis*. Neceſſum autem putavit, ut ſtatueret radios Solares finitos, paribus ab ipſo medio diſtantes intervallis, ac in ſeſe veluti remeantes; alioquin, pergit, ſequeretur, illos quo longius proceſſerint, eo debiliores fieri, donec inſenſibiliter evaneſcerent; hoc autem eſſet contra mentem noſtram, qua naturam Solis ita contemplamur, ut ſit corpus finitum, virtutem autem Solaris activitatis in extremitate eandem eſſe, quæ eſt in centro, licet in natura absque conceptu centri ac linearum exiſtat. Hoc ulterius, melioris intellectus gratia, declarat, & virtutem lucis e centro emanantem ita ſe habere dicit, ut quemadmodum in hydraulicis antliis aqua in canali ſurſum pellitur, ſuccedentibus autem inferioribus aquis, ſuperiores longius altiusque protruduntur: ſic fere validisſima lucis virtus in punctis centro propioribus, remotiora continue reanimet, & ſi accidere poſſet, ut in immenſum ſpatium excurrendo debilitarentur, ultima puncta inter ſe infinities decuſſata, eadem vi agendi in figuram perfecte ſphæricam redigerentur. His ita deductis, ipſum *Solis corpus* ſeu *interiora Solis* ibi degere aſſerit, ubi pars illius *agit & viget*. Vigere autem non minus in regione Saturnina, quia tardum hoc ſidus ita natura ſua comparatum ſit, ut, ſicuti alii Planetæ, *radiis Solaribus* carere nequeat. Si vero, infert, Solem ibidem ex parte ſua exiſtere adſtruamus, nihil obſtat, quin fines regni illius ſine contermino ac ſine metu ingreſſus in alterius lucis

cœleſtis orbitam ulterius provehamus, ut etiam Cometarum regio, ubi tranſcurſus ſuos & apparentes trajectiones exerceat, *tanta lucis majeſtati* ſubderetur.

Porro globoſitatem, quam hactenus in Sole nos contueri opinati ſumus, tollit omnem, & diſci formam, ceu ſupra dictum, ſubſtituit. Maculas vero Solares, quas Solis corpori ineſſe exiſtimabant Aſtronomorum filii, & harum motum ac ſitum, unde hujus (Solis) converſionem circa proprium axem augurabantur, per motum macularum ſeu potius ſtellarum Solarium peculiarem in orbitis ſuis centro finitimis, cum Car. Malapertio S. J. & Sch. de Rheita declarat, quæ omnia fuſius in decurſu majoris operis, Deo ipſi vitam & vires concedente, diducturum & ſchemata hunc in finem excogitata ſubjecturum ſe promiſit. Interim plura in compendio nobis exhibet, quæ notanda veniunt. Vulgaris conceptus, quo Solem nobis imaginamur inſtar Regis in ſolio ſuo peculiari exiſtentia propriaque figura circumſcriptum, miniſtros, aulicos atque ſatellites ſuos excludentem, minus ipſi quadrare, multo vero convenientius videtur, ut id, quod præſtabilius eſt, contineat indigentius, atque id quod indigentius eſt, ab eo, quod præſtabilius, contineatur. Cum Zoroaſtre & Heraclito (mutata ſolum verborum appellatione: hi enim naturam eſſe ignem inviſibilem dicunt, quam mundi animam vocant) *totum Solare corpus*, quoad extimam ſphæricæ ſuæ ſuperficiei figuram, ſenſibus noſtris eſſe prorſus imperceptibile aſſerit, non tam figuræ magnitudine, quam ſubſtantiæ ſuæ tenuitate, quippe lumen oculis caducis occultum; nec usquam globoſam *Solis lucem* poſſe conſpici, niſi oculo in remotisſima Fixarum regione (hanc enim extra vorticem Solaris globi conſtituit) exiſtente; ut proinde maneat, in ejus hypotheſi, vera ac genuina *corporis Solaris magnitudo indeterminata*.

Et cum illi, cuncta luce repleta aſſerenti, facile quis poſſet objjcere, ubi nocti & umbræ ſit relinquendus locus? & huic objectioni ſatisfacere conatur, quando radios lucis primigeniæ alios *primarios* dicit, qui nempe in conum coarctati e centro ſuperficiem atmoſphæræ undique ſtringunt; alios *ſecundarios*, h. e. infinitos illos, quos angulus viſivus in cono minore comprehendit: continuata enim latera coni minoris in infinitum, ubi ſe cum lateribus coni majoris invicem ſecant, quicquid *lucis Solaris* circa & ultra centrum reſiduum eſt (eſt autem

autem in immenſo ſpatio immane) & cum centro communicativum, conum radioſum in infinitis punctis lucidis, quoad lucis fortiorem vim multiplicans includit. Et hæc cauſa ipſi eſſe videtur præcipua, (aliis tamen non excluſis) quod dies etiam Sole nubibus occultato inclareſcit. Quoniam vero lux iſta circa conum radioſum diſperſa non directo fluxu ad nos delabitur, igitur minus etiam erit efficax ad ſpeciem diſciformem producendam: aliter autem evenire videtur, quando oculo revolutione diurna translato, Solis diſcus ſub Horizontem demergitur; quia tunc omnes radii Solares a telluris globo divergunt, tametſi permaneant in tota ſua corpulentia æque diffuſi: Et quia ex hypotheſi, ipſa Solaris ſubſtantia ſine medio diaphano eſt inviſibilis, nullum medium perſpicuum (licet adſit) radios illos e centro promanantes colligere valet, quod per revibrationem eosdem nobis impertiat; quoniam divergunt ab invicem, & quaſi inefficaciter, rectius inſenſibiliter tranſeunt, ac ſicuti effluvia virtutis Magneticæ corpus non analogum inaniter pervadunt.

Ulterius occaſione corporum diaphanorum, cujus naturæ etiam Cometæ ipſi eſſe videntur, horum ſyrmata ex accidenti illis adnaſci, illorumque apparitionis cauſam ab aëre petendam putat; procul abactis impuriſſimis corporum mundanorum effluviis, ex quorum quaſi excrementis cœleſtis hæc ſubſtantia concreta fuerit: hanc enim opinionem, ut ut hodie pervulgarem, non inſufficientem tantum, ſed & homine philoſopho plane indignam, imo indecentem habet. Quæ omnia, ceu ſperamus, in ipſo opere fuſius edocebit. Ætheris tandem appellatio apud illum plane exulat: ne vero eum penitus e medio ſuſtuliſſe videretur, in ultima cœli relegavit; contentus ſola materia Solari, quam ſufficientem arbitratur ad quævis obeunda munia, ætheri alias attributa: adſcribit præterea huic Solis luci primigeniæ dignitatem primi motoris, eamque gaudere virtute agendi in cunctis ſibi ſubjectis corporibus mundanis primaria perhibet, ut omnis actio & reactio ab ea excitetur. Et hæc ſunt præcipua & nova de Sole Autoris placita. Huic vero ſententiæ patrocinari ſcribit non modo antiquos Philoſophos, ſed & modernos, Chymicos etiam, SS. Patres, imo ipſam Scripturam S; dum nimirum lucem corporis Solaris prima die creatam, ſpeciem autem Solaris diſci quarta demum die prognatam, ſine metu damnandi erroris colligit. Tandem in uſus, quos in rebus Phyſicis & Aſtro-

no-

nom. promittat hæc ſua ſuppoſitio excurrens, tentaſſe ſe dicit Illuſtrium Duum-Virorum D. Leibnizii & D. Sturmii diſſertationes de Natura, in Actis Erud. A. 1698 M. Sept. p. 427 ſeqq. ſecum ponderare, ipſaque diſſenſione ita condire conſenſiones, ut juxta hypotheſin ſuam penes utrumque triumphet veritatis cognitio. Cumprimis vero Aſtronomis non diſplicitura hæc ſua cogitata exiſtimat, præſertim ſi his dumeta intricatiſſima in doctrina parallaxium perreptaverit, ac in fundum alienum transplantaverit; ſi diametrorum Solis & Lunæ, ſi diſtantiæ ab invicem Solis, Lunæ & Telluris inquiſitiones ſuperaverit; ſi de Eclipſibus, Maculis Solaribus &c. mentem ſuam explicuerit; & ſi æquipollentiam cum aliorum hypotheſibus inſinuaverit, cætera tota re ſyderali inturbata.

Quæ jam ſequuntur in opuſculo, ad Lunam pertinent. Nimirum in pari verſatur opinione Autor Clariſs. cum *Diogene Phyſico*, qui apud Plutarchum corpus Lunare pumiceum dixit; non tamen quoad ſubſtantiam, ſed figuræ ſimilitudinem hoc intellectum vult Noſter. Allegat proinde proprias hanc in rem obſervationes; iſtud tamen diſcriminis ponit, quod ſicuti pumex ex partibus conſtat potiſſimum homogeneis, Lunæ corpus ex heterogeneis compactum ſit, quarum majores ad ſimilitudinem humidi, ſecundum raritatem & tranſparitionem, ad denſi vero ſecundum continuas in eodem obſcuro rupturas; lucidiores autem ad ſolidioris opaci naturam accedant. Maria ibidem plane non agnoſcit: Lunam vero per totam corporis ſui ſpisſitudinem radiis Solaribus perfundi, licet paucioribus quam ſuperficietenus, ad ſenſum, ſcribere non ambigit: luculam porro ſecundariam ex hoc ſuppoſito non incommode deducit; & Selenitas quin aſſerat, nihil prohibere docet, tales tamen, qui plane nihil cum noſtris naturis, ſubſtantiis, figuris commune, nedum analogum habeant; quique duplicis ſint generis, reſpectu hemiſphæriorum, unius ad nos, alterius ad cœlum perpetuo obverſi. Ad finem tandem deproperans Autor, a ſuperis ad infera iterum delabitur, & veſtigia veterum, Priſciani, Juliani in libro de Sole, M. Ficini & Ariſtotelis legens, ſtatuit portionem Solaris naturæ etiam intus intra corticem Telluris reſidere. Non enim credibile ipſi videtur, totam terræ ſpiſſitudinem 1600 milliarium, cortice non numerato, cui primum 60, dein duplicato numero 120 mill. aſſignat, eſſe molem plane opacam ac inertem

Digitized by Google

tem &c. & ne rationes ipſi defuiſſe putes, rem ulterius comprobat, & declarat tum ſimilibus, tum autoritate. Ad calcem annectit obſervationem oppido raram, quæ eſt *de motu reciprocationis objectorum*, quam argumentum eſſe motus telluris diurni maxime probabile, haud immerito cenſet. Eſt autem, ut brevibus finiamus, hujusmodi: Si tubum opticum probe firmatum ad objectum aliquod in ſummitate ædium aut turris, diſtantia 200, & ultra, paſſuum direxeris, comperies, notato quodam ſigno prope centrum vitri ocularis, illud objectum, poſt exiguum temporis ſpatium, ab eo dimotum eſſe, vel ſurſum, vel deorſum, vel ad latera; poſt intervallum autem temporis idem ſignum priſtino loco reſtitui; dehinc denuo dimoveri, ut quandoque ſæpius uno die ac citius, quandoque rarius ac ſerius, quandoque etiam intra horulam frequentius, irregulariter quidem, iſta reſtitutio & alteratio motus contingat, quandoque etiam plus, quandoqui minus a puncto medio in vitro ſignato divergat. Idem obſervatum dicit cum tubo in ſitu Horizonti parallelo conſtituto, objecti remotione 2, 3ve milliarium &c. Quod quidem phænomenon, quoniam cum hypotheſi ſuperiori ejuſdem eſt cognationis, dignum judicabat Autor, ut orbi erudito inſimul innoteſceret, quia magnum Philoſophis argumentum, tormentum curioſis inferre poterit. Poſtremo, etſi opportunum videbatur, tamen ex peculiari modeſtia Cl. Autor recenſere noluit labores in rebus ſyderalibus per quinque luſtra, demta monade, adhibitos, quibus ſcilicet inſtituit, inſudavit, invigilavit, haud parum etiam in exploratione cœli ſtelliferi abſtruſiori ejusque micrometria perfecit. Optamus vero nos & forſan omnes, qui ſtudiis hiſce juſtum ponere pretium norunt, & quibus ſingularis Autoris cura & ſedulitas in obſervationibus Aſtronomicis innotuit, non tantum ut promiſſum Solis ſyſtema, ſed & alia ſua cogitata ac obſervata orbi curioſo inpoſterum offerat.

LE CHRETIEN PHILOSOPHE.

Hoc eſt:

CHRISTIANUS PHILOSOPHANS, FUNDAMENTA Religionis principiis ſanæ rationis conformia eſſe probans.

Digitized by Google

Lugduni apud viduam Benedicti Coral, & Bruxellis apud Joſuam de Griek, 1701, in 12. Conſtat plag. 27.

ETſi videri poſſit, hunc librum ea præſertim mente ſcriptum, ut doctrinam Chriſtianam cum ratione & philoſophia ſaniori convenire oſtendat, quod Huetius, Vaſſorius, Placetta, Lockius aliique certatim hactenus probatum iverunt; tamen re accuratius conſiderata apparet, eum cumprimis ad evertenda Fenelonii, Cameracenſis Archi-Epiſcopi, dogmata myſtica eſſe confectum, cui frequentes adverſarii paſſim nunc excitantur. Noſter illum ex primis ſanæ rationis dictaminibus aggreditur, oſtenſurus, (etſi hoc palam præ ſe non ferat) Fenelonii amorem purum phantaſma eſſe manifeſtis abſurditatibus refertum: nam per univerſum opus, cum ipſo aliisque Myſticis depugnat. Conſtat illud duobus *capitibus*, quorum *primum*

Artic. I. præcognitorum vicem obtinet. Monet hic Auctor, ſe a Naturaliſtarum deliriis longiſſime abeſſe, ſibique hanc eſſe mentem: Evangelii doctrinam optime conſentire cum ſana ratione, repugnare ſolum corruptionibus inclinationum naturalium, non ipſi naturæ, quæ una cum ratione bona adhuc ſit, ſi in ſe conſideretur, etſi peccato originali inſigniter ſit debilitata: naturam igitur & gratiam non ut oppoſita differre, ſed iſtam ſolum ab hac perfectiorem reddi, & cum peccato ſuppreſſa ſit, reſtitui in priſtinum vigorem: Chriſtianum perfectum eaſdem, quæ omnibus hominibus inſint, inclinationes habere, eo ſolum diſcrimine, quod in ipſo integræ ſint, perfectæ & reſtitutæ, in improbo autem homine corruptæ & velut incurvatæ. Provocat noſter ad Pauli doctrinam ſuæ affinem; arguit, *naturam a Deo* originem capere, adeoque in ſe conſideratam, ni Manichæi fieri velimus, malam dici non poſſe; imo Servatorem Luc. XIII, 11. mulierem

Artic. II. incurvatam reſtituentem huc reſpicere, exiſtimat. Hinc quosdam Theologos (Myſticos intelligit) Stoicis ſimiles eſſe ait, qui Sapientem ſibi fingant imaginarium, ſine affectibus & naturalibus inclinationibus: idem illos agere, qui Chriſtianum velint totam naturam naturalesque motus omnes exuere: converſionem quidem naturalibus viribus non fieri, cum curvum ſe ipſum reſtituere nequeat, ſed ita tamen fieri, ut natura non auferatur; quin potius per infuſum Dei amorem, cupiditatem malam alias prævalentem tolli in iis, quos Deus converti velit. Porro concludit, poſſe quidem hominem natura me-

Digitized by Google

meliori & ratione puriori præditum, qualis Cicero fuit, religionis
Chriſtianæ veritatem agnoſcere & juxta illam ratiocinari, neutiquam
vero illam amplecti & ſequi ſine Dei gratia peculiari & auxilio: in-
tellectum ſæpe verum & bonum agnoſcere, voluntatem vero illud
nequaquam accipere, ſi amore Dei infuſo non excitetur. Addit, il- *Artic. IV.*
lam agnitionem veritatum Evangelicarum non eſſe ſalutarem, vel fi-
dem dici poſſe, niſi in voluntate accedat ſenſus earum, qui per motus
delectationis amorisque ideis realitatem tribuat. Oſtendit porro *Artic. V.*
diſcrimen inter Chriſtianum vulgarem, qui credat ſola auctoritate mo-
tus, & Chriſtianum philoſophantem, qui eadem tum auctoritate, tum
evidenti rerum cognitione adductus credat: religionis Chriſtianæ *Artic. VI.*
honorem augeri, ſi ejus articuli ratione evidentisſimi reddantur: fal-
ſas vero religiones hac methodo adhibita deſtrui, & tale examen *Artic. VII.*
nequaquam tolerare: genium Chriſtianæ religionis poſtulare, ut *Art. VIII.*
omnes ejus doctrinæ, omnia fundamenta omnium oculis exponan-
tur: (ubi prolixo epiſodio abſolutæ prædeſtinationis decreto patro-
cinari conatur;) ejus veritatem etiam hoſtibus admirationi eſſe, dum
illam vexant. Poſt hæc proſperum laboris ſui ſucceſſum ſibi pollici- *Art. IX.*
tus, ſcopum ejus hunc eſſe affirmat, ut nimirum demonſtret, *religio-
nem eodem nos ſua auctoritate ducere, quo conſcientia nos ſuis prin-
cipiis & natura ſuis motibus ducere velit.* Methodo ſe iſta uſurum,
ut initio ideas ſimplicisſimas ſit propoſiturus, deinde compoſitas re- *Art. X.*
ſoluturus & ad ſimplices reducturus. Addit, eandem mentem Juſti-
no Martyri fuiſſe, dum Philoſophos quosdam natura Chriſtianos, &
Tertulliano, dum animam hominis naturaliter Chriſtianam eſſe dixe-
rint. Philoſophum Chriſtianum poſſe quidem veritates Chriſtianæ *Art. XI.*
religionis impio evidentisſimas reddere, & ideam posſibilitatis de
ipſis in eo excitare, ſed ut idea realitatis, quæ animum movet, oria-
tur, opus eſſe gratia Chriſti, ſine qua corruptus amor noſtri rea-
litates in rebus terrenis & caducis quærat. Objicit ſibi ipſi, Chriſtum *Art. XII.*
& Apoſtolos doctrinam veram nullis ratiociniis confirmaſſe, & re-
ſpondet, id factum auctoritatis Divinæ & θεοπνευστίας oſtendendæ
gratia: eosdem nihilominus interdum ratiocinari, & hodie cumpri- *Art. XIII.*
mis, deficientibus Prophetis & miraculis, hanc methodum adverſa-
rios Chriſti convincendi neceſſariam eſſe. Tandem nonnulla
circa methodum monet, ſeque in hoc opere intimos receſſus &

 mo-

motus animæ noſtræ explicaturum, ſpondet. *Capite II* rem ipſam aggreditur, & initio admonet, ſe probandæ Dei exiſtentiæ peculiarem operam non daturum, quippe cum omnia hujus operis capita eo reſpiciant, nexuque arctiſſimo eam probent, ac præterea totius orbis conſenſus eam ἔξω βέλως conſtituat. Nihilominus velut aliud agendo eam demonſtrat ex motu corporum aliunde orto, ab uno ad aliud tranſeunte, & ad magnum opus gloriæ divinæ & conſervationis mundi harmonice ordinato; ex motibus prævenientibus, quos omnes animæ ſentiant; ex ſenſu pudoris & doloris ob admiſſa peccata, qui nec a nobis, nec ab objectis ullo modo oriri queat; denique ex eo, quod homo ſeipſum perdere nequeat. Poſthæc pronunciat, præcipuum Dei in creando homine inſtitutum fuiſſe, ut ab illo amaretur & coleretur; Deum quippe nullum meliorem finem, quam ſe ipſum vidiſſe, quem jure intenderet. Eapropter hominem creatum cum deſiderio felicitatis, quæ eſſentia voluntatis ſit; felicitatem autem hominis ad Deum reſtrictam eſſe, extra quem, Philoſophorum etiam judicio, nulla vera felicitas detur, ideoque amorem Dei & ſui ipſius inſolubiliter conjunctum eſſe.

Artic. I.

Artic. II.

Art. III. Hinc eos errare arguit, qui hominem Dei gratia creatum, hoc eſt, Deum hominibus indigere ſentiant: aliam eſſe Principum, qui hominum amore & reverentia ſuſtententur, aliam Dei conditionem; poſſe igitur hominem æternæ ſalutis & gratiæ divinæ cauſa Deum amare, cum hæc non bona a Deo diverſa, ſed Dei actiones ſint, neque Deus recte amari poſſit, niſi & ea amentur, ad quæ nos movet & impellit: Myſticos itaque graviter errare, dum amorem *Dei purum* fingant, qui omnem amorem ſui & ſpem gaudii æterni excludat. Hinc Auctor digreſſione facta, Janſenianam prædeterminationem voluntatis plurimis rationibus, ea cumprimis, ſtatuminare conatur, quod voluntas nunquam, niſi dependenter a Deo agat; Deum abſolute facere poſſe, ut aliquid nobis magis placeat; voluntati vero non integrum eſſe, aliud quid, quam quod magis placet, appetere. Porro concludit, amorem noſtri & felicitatis noſtræ, cum in nobis nihil quam vacuum inveniat, exſtaticum eſſe, & objectum, in quo ſe determinet, extra ſe quærere, quod penes pios Deus & divina ſint, penes impios voluptates & terrena alia: vitia & virtutes omnes nihil aliud eſſe, quam determinationes amoris noſtri ipſorum, ſive deſiderii felici-

Art. IV.

Art. V.

licitatis, ad malum vel bonum objectum. Hinc aperta fronte Myſticos, *Art. VI*
præſertim Quietiſtas & Fenelonium, aggreditur, eorumque amorem
purum, omni ſpe, metu, delectatione & reflexione ad nos ipſos deſtitutum refutat, quod dogma Eccleſiæ mirum quam pernicioſum, imo myſterium iniquitatis eſſe, ait. Oſtendit quoque, omnes leges divinas humanasque amorem noſtri ordinatum, ut innocuum, ſupponere. Tan- *Art. VIII.*
dem quatuor hypotheſes falſas, quibus Fenelonium niti credit, refutat, nempe deſiderium naturale felicitatis malum eſſe, vel ſaltem imperfectum, idem non a Deo, ſed a libera noſtri ipſorum determinatione oriri, poſſe Chriſtianum damnationem ſuam exoptare. Addit alias tres,
nimirum, gratiam Chriſti deſtruere amorem noſtri naturalem, im- *Art. IX.*
perfectum eſſe omnem reſpectum ad mercedem vitæ æternæ, & perfe-
ctum amorem hæc omnia miſſa facere; quas itidem refellit. Patrum *Art. X.*
quoque dicta in ſuam mentem trahit, a Fenelonio adducta explicat, & Pauli votum Rom. IX, 3 ita interpretatur, ut per anathema, deſo-
lationem omnesque calamitates hujus vitæ intelligat, vitæ æternæ de- *p. 555.*
ſiderium omnibus commendat, & argumenta Dei exiſtentiam pro-
bantia repetit. Pollicetur Auctor, ſe tres alios libros *de eminentiis* *Art. XI.*
(des Grandeurs) *Eccleſiæ Chriſti*, de *octo beatitatibus* Matth. V de- *XII.*
ſcriptis, atque de *conſiliis pietatis* editurum, quibus quod in Chriſtia- *p. 189.*
no Philoſophante cœptum ſit, perfectum dare velit.

A FREE DISCOURSE CONCERNING TRUTH and Error &c.

h. e.

DISCURSUS LIBERIOR DE VERITATE ET ERRORE, quatenus imprimis ad religionem ſpectant, in quo inveniendi illam atque obtinendi, hunc vero cognoſcendi evitandique certa ratio proponitur, & varii Auctores, præcipue autem Epiſcopi Sarisbherienſis Expoſitio triginta novem articulorum Eccleſiæ Anglicanæ, perpenduntur. Accedit præfatio, quæ breves quasdam annotationes in nuperas cujusdam Cogitationes de Eruditione continet. Auctore

JO. EDWARDS, S. T. D.

Londini apud Jonath. Robinſon, &c. 1701, in 8.

Conſtat alph. 1. plag. 8.

 Sin-

Singula religionis noſtræ capita variis illuſtrare ſcriptis, ac univerſæ adeo doctrinæ ſacræ corpus conficere, apud animum propoſuit ſuum doctiſſimus Auctor, cujus nomen Actis noſtris nec antea ignotum fuit. (V. Ann. 1693 p. 49, & 1696 p. 69.) Ut igitur ad hoc negotium admodum laudabile aditum quendam ſibi panderet, emiſſis hactenus diverſis commentariis, quibus animos ad reconditum & interius ſacrarum litterarum ſtudium præparare voluit, hunc jam de veritate & errore diſcurſum edidit, qui primum coram Carolo II, Angliæ Rege, e ſuggeſtu habitus, in juſti tractatus magnitudinem tandem crevit. Antequam vero de ipſa re dicere inſtituat Eduardus, in præfatione, quam libro præmittit, Anonymi cujusdam *Cogitationes de Eruditione*, hoc ipſo anno menſe Februario p. 49 a nobis recenſitas diligenter examinat, quas cum plurimis in locis ſatis libere perſtrinxiſſet, Auctorem illarum id imprimis egiſſe docet, ut ex humanæ eruditionis vanitate ac imperfectione, divinæ revelationis neceſſitatem utilitatemque evinceret. Sed illa, quæ in præfatione dicuntur, latius perſequi animus non eſt: itaque ad libri argumentum pedem promovemus, & quæ de veritate, quæ de errore proferuntur, paucis nunc explicamus.

Cap. I. Primum igitur caput explosa illorum ſententia, qui cum Pyrrhone Scepticorum principe, nec non Hobbeſii & Spinoſæ adſeclis, præter inane nomen veritatem nihil eſſe reputant, omnino eandem exiſtere, tum animæ noſtræ facultatibus, tum Dei exiſtentia, tum moralis bonitatis natura, tum eo denique comprobat, quod omnes, ipſique adeo, qui falſa plenaque erroris proponunt, veritatis ſtudioſi videri velint. Et quamvis variæ veritatis ſint ſpecies, de ea tamen, quæ in intellectu cernitur, & ad res ſacras imprimis pertinet, hoc loco ſe acturum eſſe ait, ejusque originem non aliunde niſi a Deo mentisque divinæ ideis deducit, quæ ſemper in Deo, idemque cum ipſo ſint. Neque vero ſummam illam veritatis originem efficere dicit, quominus illa propius a nobis abſit, cum duo veluti rivi ſint, ratio nempe atque Scriptura, quibus a primo fonte ad nos derivetur.

Cap. II. Scilicet notiones quasdam veri nobiscum natas, & ad divinum exemplar in animis noſtris expreſſas eſſe, quæ partim in ſola contemplatione conſiſtant, partim a contemplatione ad actionem progrediantur. Multos equidem innatam illam mentibus vim negare, ſed eos facile refelli, ſi quis non modo animam noſtram ſubſtantiam cogitantem

eſſe

eſſe perpendat, ſed & cogitet, ſæpius ejusmodi imagines in animis noſtris adumbrari, quæ a materia aut externa quadam re proficiſci nequeant: ut omnium gentium in virtute remuneranda, vitiisque puniendis, ac aliis rebus conſenſum taceamus, qui cum ſemper obtineat, niſi inſitum naturæ lumen penitus obfuſcatum ſit, illam de innatis notionibus ſententiam firmiſſimo talo niti docet, quam propterea Judæi, Gentiles, Chriſtiani & omnium gentium Sapientes calculo ſuo adprobaverint. Uti vero mentibus veri notio inhæret, ita etiam concluſiones, quæ tum ex ideis, tum ex ſenſibus externis pariter & internis, tum ex hominum communi ſuffragio conficiuntur, ad veritatem nobis duces eſſe demonſtrat. Alterum, quod veritati clariſſimam lucem præfert, Scripturam atque revelationem eſſe ait, cujus neceſſitatem ac præ naturali religione præſtantiam ex eo comprobat, quod & omnes, qui in religione novis rebus ſtuduerunt, revelationes divinas jactaverint, & humana natura non modo imbecillis, ſed depravata plane ſit, & veritates, quæ naturalis luminis ope percipiuntur, ſacris litteris confirmari debeant, & Deus denique omni tempore ſingulari quadam ratione ſeſe manifeſtaverit. His plenius expoſitis, *Tillotſonium* & *Lokium* reprehendit, quorum ille in aliquibus concionum ſuarum locis, hic vero in *ſpecimine de intellectu humano*, veritatem a Deo nobis manifeſtatam non æque certam eſſe, ac illam, quæ ex natura hauritur, exiſtimet, atque e contrario, cum una ſolum ſit veritas, rationem cum revelatione optime ſtare oſtendit. Cum ergo duplex ad veritatem via omnibus hac ratione pateat, mirum alicui videri poſſet, cur pauciſſimi ſolum ad eam perveniant. Hujus rei cauſam ut explicet Auctor, ad illud progreditur, cujus gratia præcipue librum hunc exaraſſe videtur, & quid veritatem impedire, errorem vero maxime promovere ſoleat, diſquirit. Igitur erroris cauſas in voluntarias & minus voluntarias diſpeſcens, harum quatuor recenſet, interque eas primo humani intellectus imbecillitatem, deinde ſublimitatem rerum divinarum, poſt eorum, circa quæ religio verſatur, varietatem, tandemque ſimilitudinem refert, quam falſitas ſæpius & veritas inter ſe habere videantur. Enarratis errorum cauſis minus voluntariis, ad voluntarias pergit, quarum cum plurimas conſtituat, primum quidem fieri monet, ut qui variis fabulis fictisque miraculis animum advertant, faciliime in errores prolabantur,

Cap. III.

Cap. IV.

Digitized by Google

tur; id quod Romanæ Eccleſiæ exemplo probat, in qua hæc res craſſiſſimos errores ſummasque ſuperſtitiones genuerit. Deinde illos quoque erroribus aditum januamque patefacere obſervat, qui ob felicitatem, quæ ſuam ſententiam comitatur, veritatem ſe inveniſſe credunt; quaſi proſperitas veritatis index ſit, & in Eccleſia errores fuerint, cum illa primis præſertim temporibus turbulentisſimis tempeſtatibus jactaretur. Poſtea quoque ex eo errores profluere monet, quod multi calamitatem veritatis ſignum eſſe autumnent, & eandem apud illos ſe inveniſſe credant, qui maximis cruciatibus ipſaque morte crudeliſſima a ſententia ſua amoveri non potuerunt. Sed & his non modo Apoſtoli verba objicit, qui 1 Cor. 13, 3 etiam a charitate remotum, corpus ſuum comburendum tradere poſſe adſerit, ſed etiam Montaniſtarum, Circumcellionum, Manichæorum, Donatiſtarum, Vanini item, Serveti atque Venneri exempla opponit, qui quamvis partim de ingenti martyrum numero ſe jactaverint, partim mortem potius oppetere, quam a ſententia ſua diſcedere maluerint, falſas tamen opiniones ſecuti ſint. Hactenus tres priores erroris cauſas breviter ſaltem atque ſummatim expoſuit Eduardus; nunc reliquas paullo fuſius pertractans, quarto quosdam externa aliorum ſanctimonia & ficta vitæ ſeveritate in errorem rapi demonſtrat. Sic enim plurimos non tantum a Phariſæis falſisque Apoſtolis, quorum Paulus 2 Cor. II. 13. meminit, ſed & a multis veteris eccleſiæ hæreticis, Encratitis, Euchitis, Montaniſtis, Priſcillianiſtis, Apoſtolicis, Macedonianis, Manichæis, Novatianis, Catharis atque Donatiſtis ſeductos fuiſſe; quam fallendi artem ſequenti tempore Romanæ *Eccleſiæ*

Cap. V. adſeclæ, Anabaptiſtæ & Quakeri imitati ſint. Quinto frequentem erroris cauſam in eo ponit, quod multi aliorum *auctoritatibus* nimium deferant. Licet enim clara aliorum nomina, teſtimonia doctorum, antiqua ſymbola, concilia & Patrum priſcorum ſcripta a ſapientibus magni merito æſtimentur, certum tamen eſſe ait, quosdam inter eccleſiæ Patres & ſcriptores veteres erroribus aliquando faviſſe, ſæpiusque nimia aliorum exiſtimatione factum eſſe, ut ſummæ falſitates in eccleſiam irrepſerint. Quapropter ne quis *unquam* vel ſummorum, vel eruditorum, vel bonorum, vel *etiam plurimorum* auctoritate excæcari ſe patiatur, prolixe monet.

Cap. VI. Sexto ingens veritati impedimentum inferre ait nimium antiquitatis amorem, quæ qui-

quidem dignitate ſua non defraudanda ſit, certa tamen veritatis nota eſſe nequeat. Falſitatem enim non minus quam veritatem antiquitate niti, & utramque in prima Eccleſia ſimul ſuccreviſſe: tantum abeſſe, ut novitas etiam in rebus, quæ ad religionem pertinent, erroris nomine ſuſpecta eſſe debeat, ut potius Scriptores atque Theologos duorum ultimorum ſeculorum, in confirmandis illuſtrandisque ſacris litteris plus præſtitiſſe credat, quam omnes priſcos Patres, qui plurimis erroribus obnoxii fuerint, quod vel falſa philoſophiæ principia, quæ juvenes acceperant, retinerent, vel vix ad Chriſtianam religionem converſi ſcripta ſua ederent, vel etiam linguarum, & imprimis Hebrææ, admodum rudes eſſent. Ne vero fruſtra hæc dixiſſe Cap. VII.
Auctor videatur, plurimas Patrum hallucinationes, partim jam olim a *Dallæo*, partim a ſe ipſo obſervatas in medium producit; qua tamen re illorum gloriæ atque uſui nihil derogatum cupit. Nimis prolixum foret, ſingulos errores, quorum ſingulos fere Patres incuſat, ordine recenſere; illos ſaltem attigiſſe nunc ſufficiat, in quibus plurimi ac tantum non omnes conſenſiſſe viſi ſunt. Nimirum, ut illas de Pelicano, Baſiliſco, Salamandra, aliasque ejusdem farinæ fabulas, quas univerſos avide arripuiſſe docet, prætereamus, notum eſſe ait, quod illi locum Gen. IV, 4, de malis Angelis, qui cum mulieribus concubuerint, communiter exponant, & divina oracula, imprimis ſi adverſarios impugnent, admodum torqueant. Multos præterea eorum Chiliaſmum foviſſe, ab eſu carnis tanquam illicito abſtinuiſſe, variasque falſas ſententias, de cœna Domini infantibus etiam adminiſtranda, de piarum animabus ante judicii diem in certis receptaculis deliteſcentibus, de ſecundis nuptiis haut ineundis, defendiſſe adſerit. Addit, quosdam virginitatem & hominis arbitrium nimis deprædicare, & non modo Chriſtum, ſed & Apoſtolos, ut Gentiles atque Judæos docerent, in infernum deſcendiſſe ſtatuere; Cyprianum & complures Africæ Antiſtites, eos qui ab hæreticis ſacro fonte adſperſi ſunt, denuo baptizandos eſſe exiſtimare, & plurimos tandem ſuperſtitioſis ritibus ac ceremoniis, quæ hodie in Romana Eccleſia obtineant, viam aperuiſſe; ut fruſtra laborent, qui illa Patrum loca, quæ pro ſtabiliendis Pontificiorum placitis adferuntur, excuſare & in mitiorem partem interpretari nituntur. Jam ad ſeptimam erroris cauſam Au- Cap. VIII.
ctor progreditur, quam effrenem quandam imaginationem facit,

Digitized by Google

quæ neglecta vera ratiocinatione, omne id, quod ſibi imprimit, tanquam verum adprehendat. Illuſtrat rem Aſtrologiæ judiciariæ exemplo, quæ fictitiis argumentis meraque imaginatione nitatur; quamobrem ipſi in illa arte periti prædictiones & præſenſiones rerum futurarum, quæ ab hominum arbitrio dependent, penitus negent. Ut ut enim *Gadburyus* iſtam futura prædicendi artem omnibus doctis adprobatam adpellet, & propterea ad *Broconium*, *Gellium* & *Goadum* provocet, Noſter tamen his paucis non modo exteros *Regiomontanum*, *Keplerum*, *Tychonem Brahеum*, *Galilæum*, *Bullialdum*, *Hevelium*, *Gaſſendum*, ſed & Anglos ſtellarum peritiſſimos opponit, *Baimbrigium*, *Graveſium*, *Briggſium*, *Wardum*, *Wrenum*, *Walliſium*, *Neutonum*, *Flamſteadium*, apud quos omnes Aſtrologorum prædictiones nullam fidem habeant; ut reliqua, quæ contra *Gadburyum* hic diſputantur, taceamus. Ceterum quod plurimi errores ab imaginatione nimis libera proficiſci ſoleant, Turcarum Alcorano, Judæorum Talmude, Pontificiorum fabulis, quas Legendas vocant, nec non Roſicrucianorum, Behmiſtarum, Familiſtarum nugis probat, quibus imprimis eos jungit, qui Myſticam Theologiam tradere anniſi ſunt, nominatim Arnaldum memorans, cujus ex tractatu *de Sacramento* & *Tranſſubſtantiationis defenſione* clariſſime perſpici poſſe ait, quantas corrupta phantaſia tenebras veritati obducat. Tandem etiam ex imaginatione, quæ Rhetorum argumentis nimium indulget, errores ſæpius naſci obſervat, & doctrinas de Pontificis ſuprema poteſtate, de Sanctorum invocatione, de tranſſubſtantiatione ex eo profluxiſſe docet, quod priſca ætas Epiſcopum Romanum, Sanctos, & elementa, quibus in ſacra cœna utimur, nimiis laudibus extulerit. Octavam erroris cauſam, ineptam quandam obſcuritatis ac myſteriorum adfectationem nominat. Sic Gnoſticos & Valentini ſectatores, qui rebus obſcuritatem adferebant, hæreſes excitaſſe, & Scholaſticos doctores veritatem ſcriptis ſuis obſcuraſſe magis quam illuſtraſſe, quorum numero Paracelſum, Helmontium, omnes Enthuſiaſtas, Cabaliſtas, Behmiſtas, Familiſtas atque Quakeros addit, horumque lumen internum meras tenebras adpellat. Nona erroris cauſa, Eduardo judice,
Cap. IX. in diſputandi pruritu conſiſtit, qui tantum abeſt, ut veritatem magis in lucem protrahat, ut eam potius variis tricis involvat, & ſummas contentiones generet, ipſo Paulo teſte II Tim. 2, 16. Certe Ariani, quos ho-

hodie Sociniani ſequuntur, non alia re, niſi ſtrophis ſuis, fidem veram corrupiſſe creduntur, & Scholaſtici cum Quakeris eadem ratione veritatem ſupprimere arguuntur. Quemadmodum vero nimium diſputandi ſtudium erroris fons merito dicendum eſt, ſic etiam decimo illud ſæpius falſitatis cauſa extitit, quod multi, dum de rebus diſceptant, ad extrema declinant, nec media via, in qua veritas habitat, incedunt. Hac ratione non modo Philoſophos, ſed & Theologos a veritate aberraſſe, exemplis Auctor noſter comprobat, cujus rei non aliam cauſam adſignat, quam quod aut multi ſe obſtrictos eſſe crediderint uni diſſentientium parti accedere, licet neutra ſæpe veritatem habeat, aut quidam animi cœco impetu atque adfectibus vehementioribus ad extrema ſe abripi paſſi fuerint. Undecimo præjudicia craſſiſſimorum errorum cauſas frequenter in religione extitiſſe adſerit, quæ cum ex triplici fonte, educatione nempe atque uſu, profeſſionibus & ſtudiis, & tandem ex corporis conſtitutione, oriri ſoleant, variis peregrinis conſuetudinibus eleganter enarratis, quæ tum in victu & amictu, tum in aliis rebus obtinent, non omnibus, quæ inſueta ſunt, nec moribus noſtris conveniunt, fidem temere abrogandam eſſe oſtendit. Præjudicia vero, quæ ex educatione naſcuntur, multum ſemper in religione potuiſſe, Judæorum, Gentilium & Chriſtianorum exemplis probat, qui ſæpius ſolo educationis præjudicio adducti falſiſſima dogmata abjicere noluerint. Pariter profeſſionibus atque ſtudiis ſuis homines abripi & ſæpe excœcari docet, ne veritatis lumen agnoſcere queant. Sic Muſicus ille, cujus Cicero quodam in loco mentionem facit, animam noſtram certis quibusdam tonis conſtare credidit; *Plautus*, qui piſtori a ſervitiis erat, atque in mola laborabat, ſæpe illa in comœdiis habet, quæ molam ac piſtrinum ſapiunt; *Charron*, qui cauſas in foro antea egerat, ſcriptis ſuis priſtinæ vitæ generis notas impreſſit, & *Lokius* qui multum cum infantibus verſatus, in tractatu de *intellectu humano*, ſæpius ad infantium dicta atque actiones, Auctore teſte, reſpicit. Hac ratione fieri ſolet, ut alii notiones, quas animo conſignatas habent, rebus theologicis immiſceant; quemadmodum Juſtinus, Origenes, Tertullianus aliique Eccleſiæ Patres quædam falſa Philoſophiæ principia in Theologiam intulerunt. Imprimis non modo de *Hammondo* Eduardus obſervat, quem varia Scripturæ loca juxta placita ſua explicare dicit, cum in explicandis Pau-

Cap. X.

Digitized by Google

li epiſtolis plurima ad Gnoſticos referre, qui tamen Pauli ætate nondum extiterint, & multa Scripturæ dicta male ad Hieroſolymarum deſtructionem adplicare, non alia de cauſa, quam quod hæc animo ipſius perpetuo obverſarentur; ſed etiam de ***Lightfooto***, ***Seldeno***, ***Gregorio*** aliisque Scriptoribus, imprimis Criticis ſacris, notat, eos Judæorum opinionibus pertinacius adhærentes, ſæpe in errores incidiſſe; perinde uti Hobbeſius, Carteſius & Malebranchius, ſpecies, quas animo firmiter conceperant, ubique ſecuti, ſæpius a veritatis ſcopo aberraverint. Quæ de præjudiciis ex corporis conſtitutione provenientibus diſſeruntur, jam omittimus, & ad aliam errorum cauſam pergimus, quam adfectuum pertinaciæ ac vehementiæ adſcribit, qua intellectus lumen obſcuretur, & animi judicium corrumpatur. Id ut probet, varia adfectuum genera, nempe timorem, vanæ gloriæ cupiditatem, iram, amorem, ambitionem, invidiam, *levitatem* & inconſtantiam in medium producit, & quomodo ſingulis hiſce erroribus anſa data fuerit, exemplis illuſtrat. Dum de levitate atque inconſtantia diſſerit, præter alios recentiores auctores, imprimis etiam contra Epiſcopi Sariſberienſis ***Expoſitionem triginta novem articulorum Eccleſiæ Anglicanæ*** calamum ſtringens, eum ad Scepticiſmum occaſionem præbuiſſe putat. Quamvis enim Expoſitionem articulorum Auctor ſumme Reverendus promiſerit, in illa tamen ſententia eum eſſe ait, quaſi ſenſus illorum ambiguus atque incertus ſit; quo ipſo Eccleſiæ canones ac inſtituta enervari, eorum qui articulos compoſuerunt, auctoritatem infringi, Atheis, Pontificiis ac Socinianis ad varias calumnias anſam dari, finem illarum propoſitionum penitus tolli Eduardus cenſet, qui non alius ſit, quam ut ambiguitates in

Cap. XI. (margin, beside "erraverint. Quæ de præjudiciis")

Cap. XII. religione evitentur. Ab adfectibus ad negligentiam procedit, quam etiam in cauſa eſſe ait, ut homines toties in errores inducantur. Cum enim juxta Democriti effatum, veritas in profundiſſimo puteo deliteſcat, ſummo ſtudio illam quærendam eſſe ait, præcipue quod non modo & Latinorum & Græcorum profana ſcripta innumeris mendis ſcateant, ſed etiam eccleſiaſtici ac rerum divinarum Scriptores, e. g. ***Nicephorus Calliſtus***, ***Simeon Metaphraſtes***, ***Sophronius***, ***Cedrenus*** aliique plurima conſignaverint, quæ merito cuivis ſuſpecta eſſe debeant. Præterea tot ſuppoſititia Patrum ſcripta, tot loca in ipſis mutila atque perverſa, talem ab omnibus diligentiam efflagitare, quæ alios,

alios, licet illi non ejuſdem nobiſcum opinionis ſint, ſedulo conſulat, nec minima ipſaque adeo vocabula diligenter ſcrutari prætermittat. Ultimam erroris cauſam, vitam vitiis contaminatam eſſe adſerit, idque non tantum variis Scripturæ dictis, ſed etiam argumentis ex ratione deductis confirmat, quæ mentem impietate depravari atque obſcurari arguunt. Addit quoque juſta Dei judicia, quæ ſæpius illos, qui veritati frivole repugnarunt, in craſſiſſimos errores prolabi permiſerit, Gentilium aliorumque peccatorum exemplo, quorum Paulus Rom. I, 28, & II, Theſſ. 2, 11, 12 meminit. E contrario piam atque integram vitam, tum ad inveniendam, tum ad conſervandam veritatem plurimum conferre demonſtrat; qua de cauſa omnes, qui veritatis ſtudio tenentur, ad precum frequentiam & vitæ ſanctitatem hortatur. Cap. XIII.

HISTORIA RELIGIONIS VETERUM PERSARUM, eorumque Magorum: ubi etiam nova Abrahami, & Mithræ, & Veſtæ, & Manetis &c. Hiſtoria, atque Angelorum Officia & Præfectura ex veterum Perſarum ſententia; item Perſarum Annus antiquiſſimus explicatur: Zoroaſtris Vita ejusque & aliorum Vaticinia de Meſſiah e Perſarum aliorumque monumentis eruuntur: Primitivæ opiniones de Deo & de Hominum origine reſerantur: Originale Orientalis Sibyllæ myſterium recluditur: atque Magorum liber Sad-der *e Perſico traductus exhibetur &c. Autor eſt THOMAS HYDE, S.T.D. Linguæ Hebraicæ in Univerſitate Oxon. Profeſſor Regius, & Linguæ Arab. Prof. Laudianus.*

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1700, in 4.
Conſtat Alphab. 3, plag. 5, & figuris æneis 18.

QUi ex antiquis monumentis hiſtorias & ritus illuſtrium populorum eruunt, næ illi præclaram operam cunctis eruditioribus præſtant, eoque majorem ineunt gratiam, quo propiora rebus recenſitis ſunt illa, quibus utuntur, monumenta, & quantum fieri poteſt, illarum gentium, quas illuſtrant, domeſtica. Multi de variis tradiderunt, ſed non eandem meruerunt fidem, quod quidam extra limites vagantur, aut in tempora ab ſuis remotiora, regrediuntur: qui quamvis vera etiam exponant, quod tamen longinquiores ſunt, ſuſpicione incertæ notitiæ non poſſunt ſe plane liberare. Maximam itaque

que laudem conſequetur Clariſſimus Autor, quod pro eximia Antiquitatum Orientalium peritia, poſt tot egregios labores, quibus Orbem eruditum illuſtravit, etiam tenebras, quas Perſicæ Religionis hiſtoriæ tam Græci quam Latini autores adfuderant, ex propriis Perſarum Arabumque, iisque antiquiſſimis documentis diſſipavit, & puriorem illam, quam ceterarum omnium gentium, præter Judæorum quondam & Chriſtianorum, religionem in lucem produxit, & omnium oculis clariſſime expoſuit. Liber eruditiſſimus & varia refertus ſapientia in XXXV Capita diſtributus eſt, quorum primo ſumma totius rei explicatur, inde ab origine populorum Perſas, Medos, Parthos unius Dei, qui omnia creaverit, cultores exſtitiſſe, & quamvis proceſſu temporis aliquas nugas Sabaiſmi & Pyroduliæ (his verbis utitur Autor) non autem Pyrolatriæ, admiſcuerint; tamen uni Deo ad hæc usque tempora devotos ita eſſe, ut præter unum illum nihil unquam divino honore coluerint. Caput II rebus variis & doctrinis fœcundum eſt. Quod enim veteres Perſæ ſuum cultum *Abrahami religionem* eſſe jactitant, primum quæſtio examinatur, an Abraham in Balch, id eſt in Bactris unquam fuerit, quod quidam illorum tradiderunt. Deinde Abrahami famam a multis hauſtam gentibus, non autem intellectam eſſe memoratur, quo etiam filiorum & aliorum hominum immolatio refertur. Cum vero Judæi & *Orientales* Abrahamum Nimrodi temporibus, hujus eo usque vita producta, referant, de Nimrodi parente *Cuſh*, conditore gentis cognominis & regionis docetur, & gentem illam & regionem in Babylonio tractu, non in Africa, quærendam eſſe, idque nomen male a Græcis *Æthiopas* & *Æthiopiam* converſum, quod, & Chaldaicum כות, *Cuth* idem ſit, ſola diſtinctum dialecto: & Cutha urbs juxta Babylonem in Erak Arabica, non Perſica, unde כותיים, *Cuthæorum* ſive *Cuſhæorum* in Samariam colonia ſit deducta. Sed rurſus de Abrahamo, Eberi epigono disquiritur, utrum עברי *Hebræi* cognomen a progenitore, an a ſitu patriæ & fluminis trajectu habeat, quod, poſterius videlicet, doctiſſimo Autori placet, qui eodem modo עבר, *Eber* Numer. XXIV, 24 interpretatur, quo loco & וצים, dubiæ notionis verbum, commode יוצאים *egredientes*, ex MS. Samaritano legi poſſe autumat. Deinde de Abrahami in prima ætate idololatria, & converſione ab illa ad Deum unum & verum, & de patre ejus Therach

rach refertur, quod id nomen a converſione ſit, prius autem & gentile *Adur* ſive *Azur*, quod Arabice *Azer* ſive *Azar* ſonat, ignem autem & fulmen, deinde Martis planetæ ſidus ſignificat: unde principum compoſita nomina Pileſer, Belſazar, Nabopolaſſer aliquid Martiale videantur reſonare. De carcere Abrahami addit Clariſſimus Autor ex Orientalibus, & ſupplicii fabulam, quaſi in ignem conjectus fuerit, cenſet ex male intellectis verbis *ex Ur*, מאור, oppido Chaldææ, ortam eſſe, quod imperiti putarint, *ex igne* ſignificari egreſſionem: *Ur* autem dici הכשדים, *Chaſdæorum*, per prolepſin, quia illa gens a *Cheſed*, filio Nahori, fratris Abrahami, nondum nato cum Abraham exiret, nomen ſuum habuerit, poſtea in *Chaldæorum* nomen a Græcis aliisque mutatum. Capitibus proximis in veterem Perſarum religionem inquiritur, quatenus Abrahami pietati vel conveniat, vel recedat ab eadem. Sabaiſmum autem, id eſt cultum ſtellarum, a צבא, *exercitu* cæli dictum, falſo priſcis Perſis a Græcis & Mohammedanis imputari probatur, qui ſi omnino aliquis apud ipſos fuerit, minus tamen religioſum, ſed civilem tantummodo fuiſſe, ut nec Mithræ cultum, nec Ignis & Elementorum fuiſſe divinum, oſtenditur. Plura ibi de Mithra, ejusque ſymbolis & antro; etiam de Ignis & Aquæ cuſtodia, quæ Perſis erat; nec non de Veſta Romanorum Græcorumque, quæ a Perſarum Igne, hic autem ab jugi igne Iſraelitarum videtur eſſe, copioſe & perſpicue tractantur. Capite IX memoratur, duo quidem principia rerum poſuiſſe Perſas, bonum & malum, non autem ut Dualiſtas, quibus utrumque æternum & pari fuit poteſtate, ſed ut Bonum principium æternum ſit, quod Lucis nomine ſignificabant; alterum creatum & ſubjectum illi nomine Tenebrarum, quo Diabolus, ut Luce Deus, deſignatus fuit. Creationem etiam credunt Perſæ, & aliquid Hexaemero non diſſimile, ſex videlicet Tempora; ſed cuilibet Temporum plures attribuunt dies, primo 45 ad creandum Cœlum: ſecundo 60 ad Aquas producendas: tertio 75 ad creationem Terræ: quarto 30 ad creationem Arborum & Plantarum: quinto 80 ad creanda Animalia: ſexto 75 ad Hominis creationem: ut ita integer annus 365 dierum, creationi fuerit inſumtus. Secundum Tempora hæc feſti dies ex Zoroaſtris lege diſponuntur, ut pro ſingulis Temporibus quini dies epulis & lætitia tranſigantur, quibus Deus pro iis laudetur, quæ ſingu-

lis

lis ſpatiis illorum ſex Temporum condiderat. Capite X continuatur Creationis hiſtoria, quod etiam credant unum marem, unamque fœminam primum creatos fuiſſe, & , propter iniquitatem Orbe ſubmerſo, unum ſuperſtitiſſe Regem, qui humanum genus propagarit. De Paradiſo autem terreſtri non uno modo memorarunt, neque de ſitu & numero conſentiunt: quemadmodum Indi duos Paradiſos fingunt ad duas interſectiones Æquatoris & Zodiaci in Terra, a quarum alterutra Terræ Longitudo numeratur, illis ab orientali ſectione, ſicut noſtris ab ea, quæ eſt ad plagam occidentalem. Sequentibus Capitibus Divina nomina & attributa, nec non Angelorum & Diabolorum nomina ſingularibus indiculis enarrantur; & de Anno & Epochis Perſarum diſputatur, quæ variæ fuerunt, una ab initio monarchiæ Medorum, vel ante eam: *alia Gjemshidæa*, ab rege ſexto Medorum, anni & faſtorum reformatore, *appellata*: quam ſecuta Yezdegherdæa, quæ in damnum veteris religionis nova habuit menſium & dierum nomina, neglectis, quæ ab Angelis deducta erant, unde ritus & ſacræ ſolennitates pependerant. Hanc inſecuta Saracenorum tempora, quibus rex Gjelaleddin Melicshah conſilio aſtronomi Omar Cheiyâm rurſus annum reformavit ita, ut quaternis ſingulis intercalaretur, & quartus quisque annus 366 dies haberet. Non autem per hebdomades veterum Perſarum menſes dividebantur, ſed quisque dies totius menſis habebat ſingulare nomen, quæ cum vario menſium ordine & nuncupatione recenſentur: quibus tandem (interjecta longiore anni Perſici declaratione) deſcriptio epochæ & anni Katæorum & Chinenſium *Capite XVIII* ſubjicitur. Capitibus XIX & XX de Angelis præſidibus menſium, dierum & regionum, eorumque officiis & præfecturis tractatur: item de Magorum feſtis ſolennioribus, diebus fauſtis & infauſtis: & Cap. XXI de Legislatoribus Perſarum, quos inde ab initio Medorum monarchiæ (nam ſuperiora tempora obſcura ſunt) habuiſſe referuntur, cum Keyomâras, primus rex Medorum, etiam religionis ſtatum renovaſſet: poſt quem Zerdusht, id eſt Zoroaſtres fuit, regnante Dario Hyſtaſpis. Tertius poſt Macedonum tempora, qui etiam aliquid innovaverant, Erda-Viraph, ſub rege *Ardeshir* Bâbecân, circiter ducentis annis poſt Chriſtum, qui *concilium* convocavit antiſtitum ſui regni: ſub quod tempus Erda-Viraph eeſtaſin ex ſopo-

Digitized by Google

ſoporifero potu paſſus, in cœlo ſeu altero mundo fuiſſe, & poſt Regi dubitanti de religione perſuaſiſſe, ut firmior eſſet, dicitur. Additum de Hæreticis Perſarum, eorumque occaſione de Manete & Manichæis.

Jam Capite XXII ad Religionis Perſicæ deſcriptionem propius acceditur, quæ a Zerdusht ſive Zoroaſtre reformata & ad certiorem modum reducta fuit, non plane quidem ut Damaſcius & Plutarchus referunt, ſed ut ex propriis Perſarum libris & confeſſionibus habetur. In quibus eſt narratio, ab Indo-Perſis petita, de bonis maliſque Angelis, & Mundi ad annos 12000 duratione, & alia multiplicis argumenti ex libro Sharishtani. Quod vero primæ partes τῷ Zerdusht ſive Zoroaſtri, prophetæ illorum dantur, qui ſub Dario Hyſtaſpis floruit; Cap. XXIII de ipſo illo Dario agitur, quem *Gushtaſp* vocant, Rege Lohraſpe genitum, tacentes de electione per equi hinnitum; niſi forte mutata litera *Gheshtaſp* ejus nomen fuit, quod ſonat *equo pactus*, ut ad notam illam electionem, quam Græci tradunt, reſpiciatur. Hic quod ſedem Perſepoli habuit, indigenarum lingua *Iſtachr* dicta, de ipſa urbe, & palatio in rupe exciſo, etiam de Monte Regio, ſepulchra Regum in rupe exciſa habente, (quod etiam Diodorus Siculus lib. XVII memoravit) narratur. Sequitur Capite XXIV deſcriptio Vitæ Zerdushti, quem prave Græci Zoroaſtrem dicunt, pejus alii cum Bactrianorum antiquiſſimo rege confundunt, cujus nomen non Zoroaſtres, ut multi tradunt, ſed, Diodoro autore lib. II, *Oxyartes* fuit. Patria Zerdushti incerta. Plures Græcorum Perſam dicunt: Platonis Armenius videtur alius eſſe: Indi-Perſæ ex China arceſſunt: Abulpheda ex montibus Gordiæis. Alius Arabs dicit ex diſcipulis Ozeir ſive Ezræ fuiſſe: alius ſervum diſcipuli Jeremiæ: Abulpharagius ſervum Eliæ. Quia vero tam poſt Jeremiæ quam Eliæ fuit tempora, ſola de Ezræ diſciplina probabilior ſententia videtur. Cum Iſraelitis enim verſatum eſſe, tota ejus Theologia probat, quam nemo, expers illius conſortii, ſuo ingenio invenire ac componere, ut infra oſtendetur, potuiſſet. Ejusdem Zerdushti hiſtoria etiam ſingulari libro, *Zeratusht-nâma* dicto, conſcripta exſtat, ſed multis fabulis interpolata, cujus ſummaria pag. 329 & ſequenti exhibentur. Ipſius Zerdushti ſcripta Capitibus inſequentibus recenſentur, generali nomine dicta *liber Zend*, ſive

Zendaveſta, ex pluribus partibus conflatus, quarum viginti ſuis nominibus, tanquam ſeparati libri, enarrantur, licet in iis ſint etiam, quæ ſubſequenti tempore ab aliis videantur adjecta.

Deinde Ritus eccleſiaſtici Perſarum a Capite XXVII exponuntur verbi gratia Signum, quo ad ſacra convocentur, quanquam hoc ad recentiores potius quam veteres Perſas pertinet: item Virgæ ſive bacilli in manibus inter ſacra: Muſſitatio in precando: Silentium inter edendum. Succedit Hierarchia & Ordo Sacerdotum, qui ſunt primo ſimplices Magi ſeu ſacerdotes, quorum plures ſunt ad unum Pyreum ſive templum: deinde Præſules ſingularum provinciarum: tandem Archipræſul, qui plures ſub ſe habet Præſules. Ante Zoroaſtrem primo ſeu infimo ordine ſimpliciter dicebantur Magi, quia *Mogh* Perſice ſacerdotem ſonat: altero, *Mubad*, præſul: ſupremo, *Mubad Mubadán*, præſulum præſul ſive Archipræſul, uti Mufti eſt Turcorum: Zerdusht vero ſive Zoroaſtres nomina immutavit, ut eſſet infimo loco *Hyrad*, id eſt præfectus igni: ſecundo *Deſtûr*, hoc eſt præſul: tertio *Deſturi Deſtur*, archipræſul. Hæc tria Magorum genera ſunt, quæ Hieronymus etiam lib. II adverſ. Jovinianum ex Eubulo refert, ſicut gradibus, ita etiam ſanctitate & abſtinentia ciborum quorundam diſtincta: & qui ſummo ſunt genere, archipræſules, nihil in cibo præter farinam & olera ſumunt. Habitus Magorum ſubrufus, barba promiſſa, pileus conicus vario nomine, mitra, tiara, cidaris: qua pilei recurva figura etiam alii, & ipſi milites Parthici in antiquis monumentis, videntur uſi eſſe. Synagogæ minores, a Pyreis diſtinctæ, habent tantummodo lampadem & *ſingulæ unum* ſacerdotem: Pyrea, quæ inſtar templorum cathedralium ſunt, aram habent cum igne perpetuo (unde *Pyrea* vocantur) & magnum numerum adminiſtrantium ſacerdotum. Ignis alendus eſt puris lignis & decorticatis: neque ferro aut rutabulo illum confodere licet. Nec vero Pyrea ſunt antiquiſſima, ſed ſub dio vetuſtiores ſacra faciebant. Cum legunt ex ſacro libro, Judæorum more cantillant & modulantur, quamvis non ſint carmina, quæ legunt, quia nihil Zerdushti ſcripſit metrice, omnia oratione proſa. Mohammedani Perſas vocant *Ghebr*, *Guebr*, *Ghabr*, *Ghaur*, quod generatim Infideles ſonat; ſpeciatim Ignicolas. Horum plurimi fuerunt ad urbem Iſpahan, integrum ſuburbium tenentes, quod vocatum eſt *Ghebr Abád*, id eſt Ghebro-

Digitized by Google

brorum habitatio. Sed per literas A. 1697 ex Perſide nunciatum eſt, Regem Hoſein iſtum populum ſuam religionem deſerere & Islamiſmum amplecti coegiſſe: a quo ſuburbium jam dicatur ***Hoſein-Abad.*** Sunt tamen adhuc alibi in Perſia Magorum religioni addicti, præſertim circa urbem Yazd, qui inde ***Ghaur-Yazdenſes*** nuncupantur. Quæ enim olim totius regni & integræ nationis fuerat Religio Perſica, Saracenorum irruptione, qui Mohammediſmum introduxerunt, ad pauciores fuit redacta, aliquando etiam graviter adflicta, non autem omnis exſtincta.

Capite XXXI pia & Chriſtianis digna quæſtio proponitur, cur Deus Perſarum genti plus lucis, quam ethnicis aliis, conceſſerit, ut a multitudine & abſurditate deorum ſibi caverent, eaque ſentirent crederentque, quæ propius ad Iſraelitarum religionem accederent. Quod ideo videtur huic genti a Deo & datum & conſervatum eſſe, quia hæc prima futura erat, quæ recens natum Mundi Salvatorem per Magos ſuos ſalutaret ac veneraretur. Et jam olim in Cyro, aliquot ſeculis ante, quam naſceretur, prædicto, apparuerat, quam Perſarum gens, poſt Iſraelitas ſeu Judæos, Deo cara eſſet: quippe ex hac excitaturus erat, qui captivos Judæos liberarent, & Hieroſolymam cum templo ſanctiſſimo, ab idololatris Chaldæis everſam, ex cineribus reſuſcitarent. Quid? quod ex libro Zendaveſta tam Arabes quam recentes Perſæ produnt, Zerdushtum ſeu Zoroaſtrem aliquid de Meſſia & Virgine matre prædixiſſe, quod utrum Deus ipſi revelaverit (nam & Pſeudo-prophetis aliquando, ut Balaamo, inſpiravit,) an ex Iſraelitarum commercio habuerit, in medio relinquitur.

Capite XXXII occaſione de Chriſto vaticiniorum, quæ ex Zerdushti ſcriptis videbantur apparere, Sibyllina oracula, tam vetera quam nova, ampliſſimus Autor ex mythologia orientali impugnat, ex qua unam Sibyllam fuiſſe demonſtrat, non plures, quæ cœleſtis Virgo ſit, ſidus Zodiacale, a majore quam tenet ſtella, שבולה, ***Sibylla***, id eſt ***Spica*** dicta, autoribus Chaldæis atque Phœnicibus.

Capite XXXIII ſumma quædam Perſarum religionis exponitur, ſicut ſparſim ſupra quoque data fuerat; quæ eſt, quod unum Deum credant atque colant, eumque æternum & omnipotentem, ſine quantitate & qualitate, Univerſi creatorem & conſervatorem, qui etiam Angelos miniſtros condiderit, e quibus defecerint mali: item

Fff 2 omnes

omnes homines ex morte reſurrecturos eſſe ac ultimum ſubituros judicium, quo per magnum pontem in felicitatis ſedem, Paradiſum, tranſeundum ſit, ſoli autem probi pertranſeant, mali ab Angelis, cuſtodibus pontis, dejiciantur ex illo in inferna, hoc eſt locum ſuppliciorum. Quod ad medium ſtatum attinet, credunt piorum, vita defunctorum, animas eſſe apud Deum, ceterorum, alio quodam loco, uſque ad reſurrectionem, qua corporibus veſtitæ per pontem tranſire in felicitatis locum tentent, judicium autem dicto modo ſubeant in ipſo ponte. Capite XXXIV agitur de Nuptiarum ritu, de Infantum baptiſmo & ſacra lotione, & de Sepultura Perſarum. Nuptias celebraturi in ſacro loco conveniunt, & rogato conſenſu parentum & pacto dotis, ſacerdos ea rata habet, deſponſos conjungit, iisque felicitatem ſacris formulis, quæ in Liturgia Magorum exſtant, precatur. Zoroaſter etiam inceſtas nuptias permiſit, quas Alexander prohibuit. Nec ſcortari aut mœchari Perſis licitum, ſed crimen habetur inexpiabile. Non utuntur circumciſione, ſed baptiſmo ſeu lotione infantum ad animæ purificationem internam, idque etiam in ſacro conventu coram ſacerdote perficiunt, qui loto infanti nomen imponit, & XV ætatis anno, quo tunicam *Sudra* & cingulum ſacrum (laneum cum duobus nodis) induitur, Confirmationem eidem dat, a quo tempore in numero eſt, ut credunt, Fidelium. Sepultura ſingularis eſt, & a modo gentium ceterarum diverſa. Non infodiunt terræ cadavera, neque comburunt, ne elementa, quæ illis ſancta ſunt, inquinentur. A veſpillonibus ſuper feretro ferreo (lignum enim, quia alit ignem, nolunt polluere) exportantur ad *ſepulcreta*, quorum aliud album, aliud nigrum eſt, illud felicitatis, hoc miſeriæ ſignum, quas præſagiis, adhibito cane & vulture, ſuperſtitioſe putant explorari poſſe. Utrumque lapide exſtructum ad XII pedes, centum ambitu: fundus itidem lapideus a terra quatuor pedibus eductus, in quem corpora projiciunt volucribus voranda. Sic Tavernier & alii recentes deſcribunt: nec antiquior Agathias multum aliter. Sed mos hic plurimorum fuit, alius illuſtrium atque Regum, ut de Cyri & Darii ſepulcris ex Xenophonte & Strabone conſtat, & ex mauſoleo Perſepolitano in rupe exciſo, quod ſupereſt. Ultimum Caput de Nominibus Perſiæ & Perſarum tradit: etiam de lingua eorum tam veteri quam hodierna, ejusque variis dialectis.

Ad-

Digitized by Google

Adjectus eſt Magorum liber *Sad-der*, id eſt Collectio Canonum & Præceptorum, ex Zerdushti ſeu Zoroaſtris operibus, ducentis abhinc annis excerpta in uſum eccleſiæ Magorum, Latine ex Perſico converſus, ex quo plenius de tota religione Magorum cognoſci poteſt & intelligi.

Appendix addita habet quædam prætermiſſa in ſuperioribus, aut Capitum quorundam ſupplementa: in quibus etiam de ætate Pyxidis nauticæ eſt, quæ videatur antiquior fuiſſe, quam vulgo cenſetur. Tandem ſcriptura variarum in Oriente gentium, Georgianorum, Tatarorum, & horum tam Mogulenſium, quam de Boutan dictorum, & Kataeorum: nec non Nabatæorum ſive Mendæorum in Chaldæa; cum integris inſcriptionibus barbaro characterere, una Palmyrena, altera Perſepolitana, omnia æri inciſa oſtenduntur.

HESIODI ASCRÆI QUÆ EXSTANT, EX RECENſione JO. GEORGII GRÆVII. Accedit Commentarius primum editus JOANNIS CLERICI, & Notæ nunc Variorum, &c. Volumina Duo.

Amſtelodami, apud Georg Gallet, 1701, in 8. Alph. 2.

QUid in nova hac ſua editione operum Heſiodi præſtiterit celeberrimus Editor, Jo. Clericus, ipſe ad Lectorem ediſſeruit. Primo enim volumine complectitur *Theogoniam*, quam ſe ait ante aliquot annos in gratiam ſtudioſorum adoleſcentium, ut iis myſteria Græcæ Mythologiæ panderet, interpretatum: deinde *Opera* & *Dies*, ad quod poëma Patris ſui, *Stephani Clerici*, publice id olim Genevæ prælegentis, notas habuerit in aliquam ejus partem, quibus reliqua, ut & pauca in *Clypeum Herculis* adjecerit. *Fragmenta* autem ſe primum Latine vertiſſe, & notulis tumultuariis illuſtraſſe. Emendaſſe ſe quoque profitetur multis in locis verſionem Latinam totius Operis, hactenus cura Illuſtris Viri Jo. Georgii Grævii editam, ſubjectis in ima pagina notis Joſephi Scaligeri, Daniel Heinſii, & Franciſci Guieti, cum ſuis. Alterum Volumen totum alienum eſſe ait, conſtans nimirum Lectionibus Heſiodeis laudati Grævii auctioribus & emendatioribus, Danielis Heinſii Introductione in doctrinam Operum & Dierum, & Indice Georgii Paſoris, obiter etiam multis in locis emendato. Et quanquam Heinſii labores magni non faciat, eumque paſſim aberraſſe putet,

tet, & inanes argutias captaſſe, propter famam tamen Viri non fuiſſe illos omittendos, & eſſe in iis omnino nonnulla, quæ legiſſe neminem pœniteat. Maximum igitur quum editioni huic pondus præbeat inſtitutum celeberrimi Clerici, Mythologiam Græcam ex lingua Phœnicia, antiquiſſimisque Græciæ hiſtoriis, omiſſis tantum non omnibus allegoriis, hic explicantis, quædam inde delibanda nunc fuere. Et Samueli quidem Bocharto laudem, quam meruit, integram ſubinde relinquens, non pauca etiam ex ſuo ingenio repperit, quæ fruſtra quæras alibi. Sic ***Muſas***, quæ inveniſſe eloquentiam ac muſi-
p. 12. ſicam, artesque elegantiores dicuntur, ab antiquiſſimis Græciæ colonis Phœniciſſantibus, appellatas ab ***inventione***: nam Phœnicia lin-
p. 13. gua, inquit, מוצא ***motbſa***, eſt ***inventrix***. Porro ait Muſas dici ***Pierides*** a patria: Pieriam enim nomen eſſe montis & ***regionis*** ei ſubjectæ, qua Theſſalia ad Septemtriones clauditur, Macedonia ad Auſtrum. Si Phœniciis literis hanc vocem, pergit Clericus, ſcribamus, באריא, inveniri in ea ſignificationem ***puteorum*** (nam ב & פ miſceri paſſim apud Orientales) vel ***fertilitatis***, quam non reſpuat regionis ſitus, a-
p. 25. liquot fluviis rigatæ. ***Oceanum***, plane aliter quam Bochartus, a Phœnicibus dictum arbitratur אוגנא ***ogano***, quod ***circulum*** ſonet apud Chaldæos, ceu liqueat ex Paraphraſi Chaldaica Cantic. VII, 2, & præterea ***craterem***, & ***lacum***, quæ omnia optime conveniant Oceano.
p. 41. Sic ***mala aurea*** dici Heſperia a ***pulchritudine***, contra Bochartum arbitratur: nam שפר ***pulcher fuit***, Hebræis. Similiter eruit ſignificationes multarum aliarum vocum, quales Permeſſus, Holmius, Eleuther, Olympus, Tartarus, Pontus, Κρόνος, Θεὸς, Cottus, *Briareus*, Gyges, Gygas, Nympha, Meliæ, ἤπειρον, (continens) Aphrodite, Κὴρ, Κῆρας, Parcæ, Nereus, δῆιος, (judicium), Thaumas, Phorcys, Κητὼ Cetus, Iris, Grææ, Perſeus, Pegaſus, Ghryſaor, Geryon, Erithya, Orthus, Eurytion, Ventus Typhonicus, Cerberus, Chimæra, Sphinx, Thia Θεία, Ἥλιος, Σελήνη, Phœbe, Aſteria, Hecate, Veſta, Ceres δημητὴρ, Juno, Pluto, Neptunus, Jupiter, Lyctus, Lyttus, Atlas, Hercules, Othrys, Nectar, Proſerpina, Styx, Minerva, Themis, Phœbus Apollo, Diana, Hebe, Mars, Lucina, Vulcanus, Triton, Cadmus, Maja, Mercurius, Semele, Bacchus, Centauri, Aſcra, Linus, Leleges, Zeboim, Zebaoth. Ex
p. 73. ſacris præterea illuſtrat locum ***Eſaiæ 65, 11, & 66, 17***: reſpicere Prophe-

Digitized by Google

phetam ad cœnas illas, unoquoque menſe *Hecatæ* oblatas, quaſi Numini menſium præſidi. Ad Hebr. 12, 23, vocare Apoſtolum **πνεύματα δικαίων τετελειωμένων** animas plenas, ſeu quibus expletum vitæ tempus. Quin & textum Græcum videas non ſemel emendari. Nam pro *ἐρχόμενοι* p. 51 legit *ἑρπόμενοι*, *repentes*; pro *ἐν*, legit *οὐ*, p. 132; pro *ἄγγελον* legit *ἄδελον* p. 144. Tum vero duos integros verſus deeſſe textui conjicit p. 295, eosque ſupplere non dubitavit. Quid ſit apud Heſiodum p. 252 *γυνὴ πυγοστόλος*, ita exponit: ***Stolæ muliebres tunc temporis fortaſſe in poſtica parte erant in nodum collectæ.*** Et hinc infert, ***jam a multis annis in magna Europæ parte, eſſe omnes mulieres πυγοστόλους.*** Ne tamen quidquam diſſimulemus, non diffitetur celeberrimus ipſe Editor in præfatione ad Lectorem, fore, qui cupiant ſe rationem copioſius reddere inſtituti ſui in explicanda Mythologia ex lingua Phœnicia. Eam vero rem ſingulari ait opuſculo indigere, quod nunc quidem aggredi non vacet. Interpuncturum ſe tamen ſerias occupationes & graviora ſtudia ejusmodi interdum amœnitatibus, ſi Deus vitam & valetudinem conceſſerit. Sed & Diſſertationem de Hercule promittit p. 91 & 139, ibique oſtendet, Herculem Thebanum nec unum, nec antiquiſſimum fuiſſe eorum, qui *Hercules* dicti ſunt. p. 33.

ANTONII PACHIONI IN ALMA URBE PHILOSOphiæ, & Medicinæ Profeſſoris, ad Perilluſtrem, & Excellentiſſimum D. LUDOVICUM TESTI, celeberrimum Venetiis Medicum,

De novis circa ſolidorum, ac fluidorum vim in viventibus, ac duræ meningis ſtructuram, & uſum obſervationibus, Epiſtola.

VIR EXCELLENTISSIME.

OPuſculum, quod per decennium ratione, & experimentis comprobavi, jam ferme completum eſt. Tunc omnium approbatione dignum cenſebo, poſtquam amice, & acriter judicaveris; materiam namque ſatis novam, & ſolidam includit. Curioſitati, qua flagras, ejus contenta inſpiciendi, candide ſatisfacere plusquam facile eſt. Prima Opellæ facies ***Æquilibrium fluidorum ac ſolidorum in viventibus*** exhibens de ***horum vi & morbis*** plurima ſpondet, quibus

bus (majoris roboris gratia) duræ meningis, omnium ſolidorum matris, fabricam, longo labore perquiſitam, & nuper a me tandem detectam, uſumque ratione, experimentis, ac obſervationibus practico-anatomicis confirmatum ſubdit. Superficies iſta plurima occludit ſeriatim diſpoſita capitula ; Primo enim generali æquilibrii ratione perquiſita, ad ſolidorum cum ipſis ſolidis æquilibrium ſcrutandum deſcendo ; ubi & ſolidorum nomine omnis generis fibras intelligere, eisdemque vim elaſticam, a fluidis omnino independentem, ſed ex præciſa ipſarum ſtructura petendam, ratione pariter, & experimentis ineſſe contendo. His peractis, ad motum fibræ ſucceſsivum tranſitus fit, cujus cum diſtinctæ quædam proprietates exiſtant, rectitudinem ipſi magis competere aſſero ; ejusdem pariter originem ex ſuperioribus, tamquam ex univerſali quodam *principio (ad evitandum* peculiarem in unaquaque parte motorem) nempe ex meningibus, deduco. Ne autem hoc gratis aſſertum videatur, nonnulla experimenta in canibus, ligatis aliquot muſculis, in medium profero, ex quibus non modo hypotheſis noſtra firmatur, verum etiam illorum ſententia retunditur, qui motum ex oppoſitis muſculi tendinibus ad ventrem derivari, opinati ſunt ; unde hac occaſione nonnulla obiter de muſculorum motu, ex calamo fortaſſe exciſa, *exponentur.* Quoniam vero una adhuc ſupereſt ſolvenda difficultas, undenam ſcilicet vim illam ad motum ſucceſsivum quaquaverſum per corpus effundendum Meninges , præſertim dura, habeant ; ſuſpicor in ipſo conceptionis exordio, ubi primum elaſtica vis ſolidorum, ac fluidorum a prolificis particulis in motum proportionali*ter excitatur,* ex loci neceſſitate, meningum firmiſſima compage (quod poſtea experimentis, ubi de craſſæ meningis ſtructura, & uſu, ulterius evincitur) eisdem, tamquam maximo elateri, majorem ad motum proportionem imprimi, impreſſamque, proprio tono, & fluidorum alluvione perpetuari. Quapropter, non ſine fundamento, conjecto capitis molem in fœtu, proportione reliquum corpus excedentem, atque ſuturarum laxitatem, præfatæ meningum *motioni plurimum* conferre, ad juvandum in tenello corpore fibrarum omnium oſcillationem, tenſionemque, æque ac fluidorum preſsionem. Tandem, perſcrutata curſim motus ſucceſſivi in quibuscumque corporibus ſolidis reſpectiva proportione, capitulo huic finem impono, æqui-

librium inter ſolida, & fluida deinceps perpendens. In hoc varia circa motum ipſius fluidi, quatenus ex ſeipſo movetur intrinſeco motu, & quatenus a ſolidis veluti projicitur, expenduntur; quanta ſit proportio, quam in unoquoque individuo fluida ad ſolida habere debent, decernitur, & in ſequenti concluditur, quod ſit major vis ſolidorum ad fluida, quam e converſo. Rationes quidem potiores ſunt, primo quod fluida a ſolidis pellantur, adeoque majus ſit momentum preſſionis eorundem, quam reſiſtentiæ in fluidis; ulterius, major ſit velocitas motus ſucceſſivi in ſolidis velocitate fluidorum; unde quovis dato tempore, & impulſu, plus ſpatii percurrat, cæteris paribus, in fibra, quam fluidum intra quodcumque canale. Horum autem ratio inſuper eſt, & quia *motus citius percurrit partes corporis continui, quam contigui* (ut alibi oſtenditur) & quia motus minus reflectitur in ſolidis, quam in fluidis intra canales, quod ex partium continuitate derivatur. Ulterius, majus ſolidorum ad fluida robur ex hoc firmatur, quod nulla mechanices lege explicabile ſit, quanta vi fluidis opus eſſet pro dilatanda, extendendaque animalis adhuc in ovo latentis, machina ſolida, ſtrictiſſime implicata, cum infinite majores ſint reſiſtentiæ ſolidorum ad fluida, cujuscunque tandem iſta energiæ ſupponantur. Hæc eſt tota ſeries genericæ ſolidorum, ac fluidorum doctrinæ, quam quia ad praxin dirigere intendimus, *ſolida ipſa, non minus quam fluida in morborum productione primas obtinere*, decerno, varias adducendo cauſas, quæ ſolidis immediate vim, ac impreſſionem morbificam inferunt; cui veritati confirmandæ Hippocratis doctrinam ad amuſſim aſtipulantem, & mechanice ſingula explanantem, ex lib. de loc. in hom. decerptam, annecto, cum ſolida in fluxionibus affici aſſerit. Ait enim: *Fluxiones autem & præfrigerata valde carne, & percalefacta fiunt, ac ſuperinflammata* &c. reliquum ex arbitrio apud Auctorem legere poteris. Hiſtoriis inde aliquot partim ex antiquis, partim recentioribus, ac ex propria obſervatione adductis, ſolidorum rationem in morbis habendam (quod hucusque neglectum adnotavi) pancratice, ac ſerio inculco. Aſt quoniam vix quidquam probabilis in hac re ſatis abſtruſa concipere posſumus, niſi multiformes, ac probabiles fibrarum paſſiones diligenti indagine perquiramus, taliaque ſcrutari, ſi non penitus impoſſibile, difficile ſaltem absque prævio experimentorum apparatu (quo per ana-

Ggg

nalogiſmum incedamus) exiſtat; ob hanc potiſſimum cauſam plurimorum animalium, quadrupedum, volatilium puta, ac piſcium, carnes, membranas, tendineſque, (quoniam ſingula ex fibris contexta ſunt) intra diverſæ energiæ liquores, molles ſcilicet, acres, balſamicos, ex mineralibus, vegetabilibuſque variis depromptos, ad menſes maceravi; fibrarum mutationes, criſpaturas, elongationes, horumque modum perſpexi, & mechanice deſcripſi, quæ iconibus ob omnium oculos offerre cenſeo. Si ab Epiſtolæ inſtituto alienum non eſſet, plura de vi in fibra contractili obſervata exponerem, quæ ſane mineralium fautores, ad omnes indiſcriminatim morbos, non parum imperitiæ redarguerent, quoniam ſolida, ac ſi in animalium fabrica ad nihilum conſtructa eſſent, aut inconſulto prætermittunt, aut impudenter aſpernantur. Quanta autem, ex matura *horum conſideratione*, arti commoda adveniant, aut deinceps adventura ſint, hic unicus horum laborum ſcopus.

Ex his ad capitis morbos ſolidorum vitio ortos, tranſitum facio, quibus (ut mihi in omnibus ſemper familiare eſt) anatomicam partis notionem præmitto, ut ea, quæ tractanda ſunt, baſi firmæ innitantur. Poſtquam ergo pericranii, ſeu cranii perioſtii examen inſtituerim, cranium ipſum penetrans in duram meningem *offendo*, cujus miranda fabrica (quantum mihi obſervare licuit in homine) illam cordis adamuſſim æmulatur, ut mihi dura meninx ſtructura, & uſu, cor cerebri, & fluidi nervoſi dicatur; habet enim & ipſa proprios ventres & ſepta, ut quatuor ventriculorum vel duplicatum cor dici mereatur. In interna, & concava ejus ſuperficie, qua cerebro, & cerebello ſuperſternitur, multiplices, ac robuſtos habet lacertos ad diverſa tendentes, præcipue autem ad latera, poſticam, anterioremque falcis meſſoriæ partem: ſepta plura ipſam conſtruunt, quæ cerebrum a cerebello dirimunt, duo vero maxima cerebrum in partem dextram, & ſiniſtram, pariter & cerebellum dividentia, in quæ omnis generis fibræ, a dura meninge, terminantur. Præter hæc, triplex fibrarum ſtratum obſervavi, quorum unum, & magis ſimplex in converſa parte, bina vero in concava locantur. Ex his, *quod immediatius* lacertis ſubſternitur, oppido raram exhibet texturam, & fibrarum progreſſum; unde hæc ad vivum delineari oportuit, ut per ſchemata, mens (quam calamus exhibere ſatis diſtincte nequit) cla-

rius

Digitized by Google

rius illuſtretur. Brutorum meningem ſcrutato inconſpicua ſemper mihi ſe abdidit ejusdem textura, omnemque conatum meum eluſit, ut præ fibrarum tenuitate, aſſerere coactus fuerim, grande hominum cerebrum, validiori, ac conſpicua magis fibrarum, lacertorumque mole indiguiſſe. Nova hæc inventio quamplurimis multum negotii faceſſet, iis præcipue, quibus ſpirituum animalium ſumma vis continuo extollitur; quippe ex potenti dilatatione, ac conſtrictione meningis, totam fluidi nervoſi diſtributionis cauſam, ac plurimam energiæ, ejusdemque velociſſimi motus partem deduco; experimentis in canibus, viventibus, ac hiſtoriis practico-anatomicis confirmo. Data inſuper mechanica haece fabrica, motus cauſa non aliunde quærenda mihi videtur, quam ab ipſa meninge, non vero ab arteriis, quæ paucæ ſunt, & ad hoc munus prorſus ineptæ, neque a nervis, quorum nullus ad ipſam revertitur meningem: quare ex his omnibus, & infinitis propemodum reſiſtentiis, quæ eidem meningi occurrunt, concludendum cenſeo, majorem valde hujus quam cordis eſſe compulſivam vim. Hæc & ſimilia, ſi non penitus elucidare, innuere ſaltem prætermitto. Piæ meningis cum cerebro inhæſionem frequentem fibrillarum e proprio ſinu quaquaverſum effuſionem perpendens, motum obſcurum eidem imprimere, ac internis excitandis, externisque recipiendis motionibus, pro ſenſibus aptam conjectavi; exemplo motus, quo ipſa ſuis propaginibus ad oculum in retina tunica ſenſus viſionis cauſa eſt. Natura enim in omnibus eodem perpetuo, eodemque more ſe gerit, ut quæ unius, alterius etiam ſenſorii, materialis cauſa exiſtat. Præmiſſa hac rerum ſerie, ad morborum aliquot capitis per idiopathiam explicationem me confero, quatenus meningum Elatere vitiato, motu pariter ſucceſſivo, vel reliqui corporis fibris una etiam conſentientibus æquilibrium ſolidorum variis formis depravetur, aboleatur, unde Epilepſiæ, Melancholiæ, Stupiditates, Maniæ, Pervigilia, Vertigines, aliæque hujusmodi inſanabiles affectiones, mihi ad amuſſim deſcriptæ, ortum ſuum primario debeant, non acido alicui, aut alterius generis ſalino corpori, quorum energia ad pertinaces ſimiles affectus producendos nunquam evehi poteſt. Methodum genericam, ac peculiarem his morbis accommodatam cum expoſuerim, cur opiata in pervigilio non exhibenda, in melancholia vero per ideas curationem innuo; ægrotantium, quos tractavi, hi-

hiſtorias poſthac ſeriatim adjungens. Poſt nonnullas alias hujuſmodi, in acutis etiam, fibrarum affectiones ex contractione pendentes, more, quo ſuperius uſus fui, ad Apoplexiam me transfero, & ut locus Scriptoribus, plura deinceps juxta hanc methodum ſcribendi, detur, calamum ſiſto. Morbos thoracis organicos tres jam complevi, quorum abdita natura per cadaverum ſectionem mihi innotuit. An hi cum cæteris lucem viſuri ſint, prima ſaltem editione, ambigo; propoſitum enim ordinem invertere videntur, cum plane diverſam induant formam. Pleuritides, Hippocrati ſiccas, a nemine pro fibrarum morbis habitas, fortaſſe promam, cum infinitum harum numerum elapſis annis adnotaverim, quarum curatio, quoniam ſimpliciſſima, ideo neglecta. Inter morbos abdominis mulieres totam fere implebunt paginam, cum de mola convulſiva, & de menſium ſuppreſſione ex ſolidis acturus ſim, Hippocratis doctrinæ innixus. Molæ veſicularis obſervationem unicam proferre poſſem, aſt vereor, ne hæc implendæ paginæ gratia (a quo plurimum meus diſtat calamus) cenſeantur adjuncta; etenim ſingula innuere potius, quam longa verborum ſerie explanare propoſui; cum ſapientibus enim habenda res eſt, quibus pauca ſatis ſunt. Icterum, quem ſæpiſſime ex totius abdominis interno externoque fibroſo genere, lento pede contracto invadere obſervavi, fortaſſis vel deſcribam, vel hiſtoriis notionem ejus adjungam; curatur enim laxantibus; rhabarbaratis, chalybeatis, ac aliis hujuſmodi exaſperari ſolet, & in lapideam ferme totius partis duritiem converti. Plura pro nunc, quæ tibi exhibeam, non habeo; hæc potiora ſunt, quæ mens veloci calamo ſuppeditavit; fortaſſe pauciora quam debuiſſem, ſed plura quam volui. Poſtquam ergo legeris, in animo conde, & ſi aliquid boni, vel nihil tale in ſe continere conſpexeris, amice nunties, & conſulas rogo. Interim inceſſanter amare ne deſinas

Tui ſemper

Romæ Kal. Aprilis 1701.

Studioſiſſimum Amicum, & Concivem

Antonium Pacchioni.

PAKA-

PARALIPOMENA THEOLOGIÆ MORALIS, SEU Varia de rebus moralibus Epiſtolæ. Auctore R. P. NATALI ALEXANDRO, Ordinis F F. Prædicatorum, in ſacra Facultate Pariſienſi Doctore Theologo.

Delphis, apud Henricum Rhenanum, 1701, in 8. Alphab. 1. plag. 4.

POſteaquam A. 1693 Theologiam didacticam & moralem (decem tunc formæ, quam vocant, octavæ voluminibus conſtantem, ſed poſtmodum, ut diſſertationibus Hiſtorico-Eccleſiaſticis noviſſime junctim editis addi poſſet, in majorem formam redactam) edidit F. Natalis Alexander, varios ſubinde expertus fuit adverſarios, & anonymum imprimis aliquem, qui difficultates adverſus Theologiam iſtam Archi-Epiſcopo Rothomagenſi edito libello Gallico propoſuit. Ut itaque contrariis objectionibus ſatisfaceret, Paralipomena hæc evulgavit, in quibus per modum Epiſtolicarum Diſſertationum, argumenta præcipua excutit, ſuamque theſin pro virili defendit, ſæpius tamen aliorum de rebus moralibus quæſitis reſpondet. Statim ab initio recte ſe dixiſſe innuit: extrinſecam probabilitatem, ex unius vel plurium ſcriptorum autoritate petitam, opinioni morali ſecuritatem conciliare non poſſe. Regulam illam, qua, cum invocentur Sancti, ſpem fiduciamque omnem in ſolo Deo collocandam eſſe aſſirmaverit, ab Autore anonymo pulſari ait leviori objectione, quando id cum Eccleſiæ ſententia & fide e regione pugnare dixerit, quippe quæ beatam Mariam Virginem hunc in modum quotidie ſalutet: *ſpes noſtra ſalve.* Verum figurata ſolum locutione Mariam Pontificio, ſpem ſuam, vitamque ſuam appellare reſpondet Alexander pag. 9, eo, quod Chriſtum, Deum, Dominum ac Salvatorem pepererit, in quem ſperent, & qui vitæ atque omnium bonorum ipſis autor ſit. Quemadmodum ergo ipſam adorare non liceat ea adoratione, quam latriam vocent eccleſiaſtico loquendi modo, quæ ſit Deo ſoli debita ſervitus; ita nec quempiam ſperare in eam hoc modo poſſe, ſed hoc ſoli Deo Filioque ejus unico Jeſu Chriſto competere innuit. Sola caritate corda ab amore creaturarum abſtrahi & ad Deum erigi, recte ſe docuiſſe p. 16 ſ. denuo inculcat, nec moratur anonymi objectionem, qui parum hæc accurate atque Theologice propoſita nuncuparit, ideo, quod

ſpe etiam ad Deum corda erigi notiſſimum ſit. Spem enim id imperfecte tantum præſtare, nec ab amore creaturæ, in qua finem ultimum conſtituat peccator, voluntatem ejus, ſi ſit informis & caritate deſtituta, abſtrahere reſpondet. Quando Clericos ludis aleatoriis absque gravi crimine, ludere vel ludentes ſtudioſe ſpectare non poſſe aſſeruerit, non iſtud ſe dixiſſe p. 29 monet, quod lethalis peccati reus ſit Clericus, qui virum aut fœminam nobilem urbanitatis vel negotii cauſa conveniens ludentes invenerit, nec ſtatim oculos averterit, ac ſine mora e domo exierit; quin potius ad eos ſe reſpexiſſe ait, qui ex condicto & deliberata voluntate, præter urgentem neceſſitatem, eo ſe conferant, ubi alea ludatur, ut iſto ſpectaculo avidos paſcant oculos, qui ludentibus faveant, iis applaudant, eorumque cupiditate afficiantur, qui denique præſentia ſua ludentibus autoritatem concilient. Epiſcopatum aut aliud quodvis beneficium eccleſiaſticum, curam animarum annexam habens, ſine ambitionis lethalis crimine pro ſe neminem poſtulare poſſe, p. 35 ſ. adhuc contendit. P. 43 ſ. contra adverſarium ſuum anonymum tuetur ſententiam, quod graviter peccent, qui cum peccati lethalis affectu Miſſam dominicis feſtisque diebus audiant. P. 60 a religioſo quodam viro interrogatus, reſpondet: non licere Chriſtianis in regno Sinarum intereſſe *ſacrificiis* in honorem idoli Chin hoam, aut in honorem Confucii vel progenitorum paganorum a Sinenſibus oblatis, quolibet prætextu; aut genua flectere coram altari, in quo offerantur, aut coram tabellis, quæ ſedes animæ vel ſpiritus Confucii aut progenitorum defunctorum inſcribantur; aut ſuperſtitioſis quibusvis ritibus eorum, *etiam occaſione* funerum, miniſterium aliquod vel ſolam præſentiam exhibere, quamvis ficte interſint, animoque ſint ab illis ſuperſtitionibus prorſus alieno, aut genuflexiones intentionemque dirigant ad crucem, quam occulte gerant, vel in templo inter flores abſconderint. P. 70 alii mentem ſuam de virgula divinatoria declaraturus, eadem uti lethale peccatum vocat, divinationisque per virgas profeſſoribus abſolutionem denegandam eſſe dicit, niſi arti ſuperſtitioſæ renunciaverint, ac pœnitentiam egerint. P. 76 retractationem P. Franciſci Caffaro, Clerici Regularis ordinis Theatinorum, qua veterem de arte hiſtrionica & de comœdiæ frequentatione opinionem emendarit, amico Romæ degenti transmittit, iſtaque occaſione hiſtriones & comœdos

in

Digitized by Google

in arte ſua perſeverantes ad SacramentaEccleſiæ non admittendos eſſe, ſimul oſtendit. P. 80 Sacerdotis cujusdam, ſingulis diebus Miſſam de roſario beatæ Virginis Mariæ celebrantis, devotionem taxat. P. 96 admittere haud vult, ut conjugata mulier nobilis, cui acerbiſſima cum viro diſſenſio, monaſterium ſacrarum virginum ingrediatur, ibique ut penſionaria vivat. P. 108 ſ. ſcrupulos quosdam circa juramentum ac perjurium exortos reſolvit, idemque p. 146 circa uſuras, & p. 281 circa Simoniam præſtat. P.165 ſ. Capituli poteſtatem, quam ſede vacante exercere poſſit, declaratam dat. Monachis & ſanctimonialibus, & omnibus generatim religioſæ paupertatis voto obſtrictis, munera largiri vel accipere absque ſuperiorum permiſſu haud licere, p. 188 ſ. ſtatuit. Chriſtum duobus diſcipulis Emaunticis euchariſtiam non porrexiſſe, p. 194 probat. Eum, qui duello pugnans hominem aliquando occiderit, & poſtea religioſam vitam ſolenni ritu profeſſus fuerit, ſacrosque ordines, diſpenſatione ſuper irregularitate a ſummo Pontifice non impetrata, ſuſceperit, ſacris operari non poſſe, p. 244 ſ. oſtendit. P. 249 Clericos, qui paſſim mulieribus libent oſcula, nec ab Epiſcopo ſuo moniti pravæ conſuetudinis vitium emendent, patriæ morem, urbanitatis officium, benevolentiæque teſtimonium conſanguineis aut amicis ab honeſtis quibusque viris impendi ſolitum prætexentes, poſt iteratam monitionem, ſeverioribus remediis coërceri poſſe ac debere cenſet. Sacerdotes, qui boves, oves, equos emant, in paſcuis ſuis alant, eorumque fructus vendant, a negotiatione illicita p. 300 ſ. abſolvit. Non licere p. 309 aſſerit, ut judex reum inebriet, quo confeſſionem criminis eliciat. Caſuiſtarum quorundam recentiorum, Deum verbis æquivocis uti poſſe & aliquando uſum eſſe aſſerentium, errorem p. 316 ſ. refellit. P. 320 examinat illam propoſitionem, quam neoterici nonnulli publicis theſibus Lugduni nuper propugnarint: non eſſe evidens evidentia morali proprie dicta, religionem Chriſtianam Catholicam ſolam eſſe in terris veram religionem; eamque falſam, temerariam, erroneam & ſcandaloſam appellat, quæ viam ad Socinismum aut ad indifferentiam religionis aperiat. Solam alimentorum proviſionem filiis illegitimis a parentibus deberi, p. 332 aſſerit. Mendacio ſuam vel alterius vitam ſervare ac tueri Chriſtianum ſalva poſſe conſcientia, p. 353 inficiatur. Qui paſſim & ſine cauſa per fidem ſuam jurent, eos p.336 temerarii juramenti reos conſtituit.

Ma-

Matrimonia Catholicorum cum hæreticis, quos vocat, illicita p. 344 pronunciat, etiam in iis regionibus, in quibus Catholici cum hæreticis permixti ſint, nec poſſe eadem a Catholicis absque gravi peccato contrahi exiſtimat, niſi diſpenſationem a ſummo Pontifice obtinuerint, omneque ſubverſionis abſit periculum, & Catholicæ liberorum inſtitutioni proſpiciatur. P. 347 ſ. Medico officia præſcribit. P. 358 non equidem improbabilem videri dicit eorum Theologorum opinionem, qui peccatores aliquos ita excœcatos & obduratos eſſe doceant, ut nulla eis præſto ſint vel offerantur a Deo gratiarum interiorum proprieque ſufficientium auxilia in infelici illo ſtatu. Aſt licet ſummam fidei non ſpectet illa quæſtio: utrum excœcatis & obduratis gratia omnis interior, etiam ſufficiens, a Deo denegetur; errorem tamen eſſe monet Scripturæ Sacræ & Traditioni *contrarium*, aſſerere, quod hujusmodi plane excœcatis & obduratis *hominibus, quos omni* gratia interiori & ſufficienti deſtitui arbitrentur Theologi quidam, peccata non imputentur; aſſerere quod errent, qui dicant, ipſis imputari peccata, & quod tolerabilius cenſeant, qui dicant, eis non imputari. Quibus latius deductis, merito rejiciendam eſſe concludit propoſitionem illam, in Collegio Pariſienſi Societatis Jeſu d. 14 Decembris A. 1699 propugnatam; cujus declarationem Germanus Beſcheffer *Illuſtriſſimo* Pariſienſi Archi-Epiſcopo obtulerit; quam ipſam quoque p. 366 ſubnectit. P. 376 ſ. exhibet cenſuram & declarationem conventus generalis Cleri Gallicani, A. 1700 in materia fidei & morum editam, in qua centum & viginti ſeptem propoſitiones damnantur & configuntur, cumque iſta conferri cupit Theologiam ſuam *dogmaticam* & moralem, ut conſtet, an ullæ ex aſſertionibus ſuis regulisque moralibus affinitatem aliquam habeant cum propoſitionibus iſtis a Clero Gallicano damnatis, an econtra eos errores & ipſe confutaverit, quos Alexander VII, Innocentius XI, Innocentius XII, & noviſſime generalis Cleri Gallicani conventus confixerint & condemnarint? Iſta certe ratione obviam procedi poſſe arbitratur rumori Gratianopoli ab æmulis ſuis diſſeminato, quod propoſitiones nonnullæ, ex *Theologia* ſua excerptæ, in Cleri Gallicani comitiis in S. *Germani* caſtro congregatis examinentur & propediem damnandæ ſint.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA ANATOMICA, PROBLEMATICA, QUARTA & Decima, authore Mauritio a Reverhorſt Med. Doct. & Anat. Prof. ad Virum Clariſſimum FREDERICUM RUYSCHIUM, Med. Doct. Anatomiæ ac Botanices Profeſſorem, cum hujus Reſponſione de Nova artuum decurtandorum Methodo.

Amſtelodami apud Joannem Wolters, 1701, in 4.
Conſtat plag. 3, & fig. plag. 1.

NOva artuum decurtandorum ratio in quo conſiſtat, ex Diſſertatione Epiſtolari Petri Hadriani F. Verduyn, quam in Actis noſtris anno 1697 pag. 119 recenſuimus, repetere licet. De qua judicium ſuum Clariſſimus Ruyſchius in Epiſtola hac nunc ſuppeditaturus, hiſtoriam præmittit juvenis 16 annos nati, qui cum a nativitate manus atque pedes eorumque digitos tumoribus admodum duris, extrinſecus accurate radices Cyclaminis, aut potius Chryſanthemi Americani radice tuberoſa, æmulantibus obſeſſos nactus fuerit, manus alterius, cujus tumor exulceratus hæmorrhagias enormes, & dolores immanes induxerat, extirpationem efflagitavit, & feliciter ſuſtinuit. Operationem tum ipſam prolixius recenſet, & quicquid in curatione ſeſe obtulerat, fideliter communicat. Concludit inde, novam hanc methodum antiquæ omnino præferendam eſſe, ſiquidem operatio non tam diuturna, neque dolor poſt extirpationem tantus, nec magnæ hæmorrhagiæ metus, nec oſſis ſeparatio expectanda foret, imo nervi nervoſæque partes, tendines, eorumque fibræ, & vaſa ipſa jam tecta, & a frigore cæterisque moleſtiis & injuriis externis ab applicata muſculoſarum partium mole conſervata ſatis conſpiciuntur. Non autem determinat, num dolores, quos ægri vulgari modo membro privati in parte amputata ſemper perpetiuntur, eos pariter ſemper vexent, qui novam methodum admittunt, (quod quidem Petrus Verduyn negat) an vero in dicto ægro iidem ex gangræna ſuperveniente aut alia cauſa ortum duxerint. Quanquam vero hac vice membrum in loco altiore abſcindi curaverit Noſter, ut ſcilicet truncus membri amputati ſufficienti mole carnea, quæ in cubiti extremo nimis exigua, tegi valuerit; ſufficere tamen exiſtimat, ſi truncus cute a vola, vel dorſo manus ſeparata tegatur, ut ſcilicet, quantum fieri poteſt, ma-

xima membri pars ad munia melius obeunda conſervetur. Nec Exoſtoſes ſeu Excreſcentias, quæ in homine vegeto obſervantur quandoque e trunco emergere, methodo huic officere exiſtimat; in manus enim aut cubiti extirpatione non eſt, cur ſolliciti ſimus, ſiquidem membro detruncato non incedit homo, excreſcentias autem cruris Magiſter Petrus Verduyn inhibere ſe poſſe aſſeverat. Gangrænam denique a mutilata parte arceri commode, perhibet Clariſsimus Ruyſchius, modo ligatura juſto arctius non conſtringatur.

Figuræ, quæ additæ ſunt, exhibent brachium detruncatum, cum manu tumoribus obſeſſa; digitum cum papillulis ſuis cutaneis, epidermide artificioſe ablata, extra cutem prominentibus; atque tumoris maximi portionem, qui non glanduloſus, ſed cartilagineus partim, partim cartilaginoſæ ſubſtantiæ æmulus, celluloſus, & mucaginoſus fuit.

D. AUGUSTI QUIRINI RIVINI P. P. CENSURA Medicamentorum Officinalium.

Lipſiæ apud Jac. Fritſchium, A. 1701, in 4. plag. $7\frac{1}{2}$.

QUanquam Medicina, cum naſceretur primum, paucisſimarum procul dubio herbarum ſcientia fuerit, ſucceſſu tamen temporis ægrorum & medentium multitudo remediorum peperit copiam. Cum enim & Græci & Arabes, Barbari omnis generis eandem excolere in ſe ſuſciperent, & literati pariter ac illiterati congererent, quicquid placuerit, mirum non eſt, tot exoticis hodie, tot generoſis & ignobilibus, conſtare Materiam Medicam. Nec dubium, quin Medicis majori ignominia quam honor, Pharmacopœis damnum majus quam lucrum, ægrotantibus nauſea potius quam deſiderium atque fiducia inde naſcatur, quod quævis promiſcue ſine omni judicio coacervata tam ſancte cuſtodiantur in officinis. Imo culpa non levis in ipſos Medicos redundat, utpote quorum inſpectioni ac regimini Pharmacopœi merito ſubjecti ſunt, tanquam miniſtri. Hinc, quod Joh. Baptiſta van Helmont in Pharmacopolio ac Diſpenſatorio modernorum, & Daniel Ludovicus in Pharmacia moderno ſeculo applicanda, jam dudum tentaverant, in hac Cenſura perfectius deducere, & ſalva conſcientia, ſalva exiſtimatione Medicorum, officinas in eo ſtatu, qui de præſenti

eſt,

Digitized by Google

eſt, relinqui nullatenus poſſe, clarius demonſtrare integrum viſum fuit Excellentisſimo Rivino. In VII autem capita diſpeſcitur præſens tractatulus, quorum primum *aliena* commemorat, quæ ad officinam Medicam nequaquam pertinent, in eadem tamen hactenus fuerunt aſſervata, utpote quæ ad curam hominum non adhibentur. Atque ad hanc claſſem referuntur brutis deſtinata remedia, venena, pigmenta, coſmetica, odoramenta, ſaccharata, ſale acetoque condita, & quæ in uſus alios domeſticos mechanicosve cuſtodiuntur. In II *ſordida* & *nauſeoſa*, utpote quæ Medicos ſimplicitatis, imperitiæ, vel ſocordiæ arguunt, ex medicamentorum catalogo expunguntur; Mumia ſcilicet, & quæ deſumuntur ex cadavere humano, inſecta plus minus venenata, brutorum viſcera, parteſque aliæ putridæ ac verminoſæ, pudenda atque ſtercora cum omnibus inde paratis. In III ex officinis relegantur *ignobiliora*, & *indigna* quæ in iisdem aſſerventur, quoniam exiſtimationem Medicorum & Pharmacopœorum talia minuunt, & ægrotantium ſpem fallunt; qualia ſunt rejectanea, ut ungulæ equi, aſini; domeſtica, ut lactuca, endivia; exoleta, ſicca viribus privata, ut rad. armoraciæ, cochlearia; corruptibilia, ut butyrum, medullæ, ſemina oleoſa, & olea expreſſa; virulenta, ut lap. Armenus, Lazuli; inuſitata, ut rad. allii, porri, lignum aſpalati, buxi; ſuperflua, ut integri lapides cancrorum, fragmenta coralliorum, crudum opium, ſcammonium; & æquipollentia, ut amygdalæ ambroſinæ & dulces, magnitudine, & folia betæ rubræ & albæ, colore tantum diſcrepantia. In IV toleranda minus eſſe docentur *dubia*, ut rad. Been albi & rubri, Helleborus niger Theophraſti, Dioſcoridis vel Hippocratis Caſti ſpecies; ſuppoſititia; adulterata & defraudata; falſa & erronea, ut lapides bezoar & cancrorum factitii. In V removentur *ſuperſtitioſa*, ut pretioſa, ſpecifica, quæ appropriata vulgo creduntur, non alia ex cauſa, quam quod ſimilitudinem aliquam vel convenientiam propiorem & affinitatem habeant cum membris; *ſuperſtitioſe collecta*, *phantaſtica*, ut amuleta, *magica*, ut ungu. armorum ſeu ſympatheticum Crollii. Eandem cenſuram *male præparata* in cap. VI experiuntur, utpote quæ nugas, imprudentiam vel impoſturam cum ægrorum damno conjunctam implicant; ut inutiles aquæ deſtillatæ; remedia ſupervacaneo labore parata, ut fl. benzoes, ol. camphoræ; imperfecte & ſaltem ſuperficie-

ficietenus elaborata, ut C. C. vel Ebur philoſophice ac ſine igne calcinata; dubia, ut Antimonium diaphoreticum, Antihecticum Poterii legitimo modo non parata; incongrue facta, ut oleum perlarum, carbunculi, coralliorum; corrupta & in præparatione caſtrata, ut rad. ari, eſulæ, hellebori, ſi in aceto macerentur; ſophiſtice præparata, ut Aurum potabile, ſeu Tinctura Auri. Tandem in Cap. VII exulare jubentur *incongrue mixta*, dum nempe vel inutilia ad compoſitionem recipiuntur, vel ſibi ſimilia, vel fugitiva & minus durabilia, vel contraria & pugnantia, vel nociva, dum e. g. ſaccharum pulveri hyſterico Auguſtanorum & contra abortum additur; atque huc referuntur antiquæ compoſitiones omnes, utpote ſine ordine, ſine proportione, ſine artificio, imo ſine omni judicio utplurimum conſcriptæ; prout exemplis Theriacæ & Mithridatii monſtratur.

Der wunderwürdige Jüden und Heyden Tempel.

h. e.

ADMIRANDUM TEMPLUM JUDAICO-ETHNICUM, in quo veri pariter Numinis cultus ac vana idololatria panditur. Opus ab ALEXANDRO ROSSÆO Anglice primum conſcriptum, nunc emendatum auctumque a DAVIDE NERRETERO.

Norimbergæ, apud W. M. Endterum, 1701, 8.
Conſtat alphab. $3\frac{1}{2}$ & plurimis figg. æn.

ALexandri Roſſæi nomen in plerisque, locupletisſimis etiam, virorum doctorum catalogis deſideratur, nec, quod cui forte mirum videri poſſet, quicquam hauriendæ de ipſo notitiæ inſerviens ſuppeditavit operis illius *de univerſi orbis Religionibus* editor recentisſimus, admodum Reverendus Nerreterus, niſi quod in ipſo ſtatim titulo Anglice iſtud primo editum fuiſſe innuerit. Quemadmodum autem libros a Roſſæo editos alios cognoſcere cupientem ad amplisſimum Bibliothecæ Bodlejanæ catalogum, in quo P. II. p. 117. leguntur, ablegamus, ita præter verſionem hujus tractatus Germanicam plus vice ſimplici impreſſam, Gallice quoque eundem jam ab A. 1666 lectum fuiſſe obſervamus. Optime interim de eo meritus eſt Nerrete-

Digitized by Google

reterus noſter, munere, ut arbitramur, Miniſtri Eccleſiæ in ſuburbio Norimbergenſi defungens, quando plures & prolixiſſimas non raro additiones ſingulis fere Autoris paragraphis ſubjecit, quarum potiſſimas heic loci commemoraſſe juvabit. Ad ſectionem *primam* & *ſecundam*, quæ *Religionibus Aſiaticis* ſunt deſtinatæ, multa in medium affert de variis ſacrificiorum apud Judæos generibus, de templo in monte Garizim extructo, de celebratione ſabbathi, de paſchate, feſtisque Judaicis ſolennioribus reliquis, de Urim & Thumim, de Talmude, Cabbala & Maſora. Argumenta etiam ſubminiſtrat, quibus convinci poſſint Judæi, ut Jeſum Nazarenum verum eſſe Meſſiam fateantur. Magiæ ubi aliquando mentio injicitur, de quatuorviris, H. C. Agrippa, Joanne Tritthemio, Alberto Magno & Theophraſto Paracelſo, criminis hujus inſimulari ſolitis, nonnulla diſſerit. Oracula inſuper Sibyllina conſiderat, in Muhammedaniſmi hiſtoriam inquirit, & varia, quæ ad religionem Sinenſium ſpectant, accumulat; ut, quid de Brachmanibus, de inquiſitione Goana, de Chriſtianorum perſecutione in Japan, de Oſiride & Iſide, de mumiis, de pyramidibus &c. commentetur, taceamus. Ad ſectionem *tertiam* quæ ad *Africanos & Americanos* Lectorem deducit, præcipuæ Noſtri additiones religionem in Habeſſinia obviam, Mexicanorum ſuperſtitionem, Braſilianorum Chriſtianiſmum, ritusque Peruanorum ſacros reſpiciunt. Sectio *quarta Religiones Europæas* conſiderans varios diſcurſus exhibet de præcipuis Romanorum feſtis, quæ Noſter (prout in ſectione ſequenti circa feſta quoque Græcorum fecit,) juxta ordinem menſium diſpoſuit. Inde Romanorum pariter & Græcorum ſacrificia deſcribuntur, iſtorum porro funera notantur & exequiæ, utriusque item gentis Dii recenſentur Deæque, ac templa, atque ſacerdotes latius commemorantur. In ſectione *quinta Germanorum veterum* ſuperſtitionem uberius excuſſit Noſter, Saxonumque imprimis idololatriam enarravit; quamvis nec Lapponum, Vandalorum, Obotritarum, populorumque ejuscemodi aliorum dememinerit. Singulas autem haſce annotationes ut textui Roſſæano ipſi paſſim interſperſit, ita operi abſoluto peculiarem annexuit commentatiunculam de origine idololatriæ, natisque hinc fabulis poëticis, quidque modo ex rebus geſtis ante- & poſt-diluvianis, modo ex Abrahami poſterorumque ejus, modo ex Iſraëlitarum, modo ex Novi Teſtamenti hiſtoria,

 modo

modo etiam a creaturis humano generi ſeu proficuis ſeu noxiis mutuo huc tranſſumtum fuerit], dilucide exponit. Cæterum figuræ æneæ haud parca manu ubivis ad nitorem elegantiamque operis adduntur, ſed quarum maxima pars apud Chriſtophorum quoque Arnoldum, qui Abrahami Rogeri Januam apertam ad abditum Gentiliſmum Germanice converſam, acceſſionibusque plurimis locupletatam dedit, occurrunt, prout & alias haud infrequens eruditiſſimi Autoris hujus uſus apud Noſtrum deprehenditur.

NOVA LITTERARIA.

CUm Bibliopolæ hodie celebratiſſimi, Fratres Huguetani, & Dionis Caſſii Hiſtoriam Romanam, & Philoſtrati utriusque Opera, & Photii Bibliothecam, libros hactenus deſideratiſſimos, denuo edere conſtituerint, ac Eruditos publice invitarint ad conferenda, quibus exornari nova illorum editio poſſet; ut ad plurium notitiam inſtitutum perveniat, non gravabimur librorum horum inſcriptiones, quas dicti Bibliopolæ jam publicarunt (augendas tamen haud dubie, ubi novæ ſuppetiæ acceſſerint,) hic quoque, una cum monitis, quæ ipſi ſubjecerunt, exhibere. Id unum optamus, ut editionem ſolertiſſimi Bibliopolæ non feſtinent, nec aggrediantur, niſi juſto apparatu ex doctorum virorum ſymbolis inſtructi, atque tum non nitorem ſolum & typorum chartæque elegantiam, ſed & vel maxime, ut libri æſtumatiſſimi ſine mendis excudantur, curæ cordique habeant.

DIONIS CASSII HISTORIARUM ROMANARUM quidquid ſupereſt, Græce & Latine, cum Notis Rob. Stephani, Guil. Xylandri, Franc. Sylburgii, Henr. Stephani, Fulv. Urſini, & aliorum. Accedunt ad hanc editionem Fragmenta Dionis ex Excerptis Conſtantini Porphyrogenetæ cum, Notis Henrici Valeſii.

Monitum:

ANtequam prælo recudendum ſubjiceremus *Dionem Caſſium,* viſum eſt inſcriptionem, addito Monito, in lucem emittere, ut viros doctos invitaremus ad ſubſidium, ſi qua poſſint, *in tam* utili inſtituto nobis ferendum. Curæ nobis erit, ne poſſint dicere, ſe in gra-

gratos beneficium contuliſſe, qualecumque ſit; ſive ex MSS. codicibus, ſive ex conjecturis, animadverſionibusque ſuis id hauſerint. Singulis paginis ſubjicientur omnes omnium notæ integræ, quæ antehac editæ ſunt, & quibus multæ novæ, a viro docto nobis promiſſæ, miſcebuntur. Volumen erit ea forma, quæ *in folio* dici ſolet, elegantibusque typis & charta edetur.

PHILOSTRATI UTRIUSQUE OPERA OMNIA quæ exſtant, Græce & Latine, cum Notis Federici Morelli, & Blaſii Vigenerii, aliorumque antea ineditis, figurisque eleganter æri inciſis.

Monitum:

CUm rariora in dies fierent Philoſtrati utriusque Opera, conſtituit Bibliopola Amſtelodamenſis ea recudere, & quidem duobus voluminibus in 4, ea forma, qua Wetſtenianis typis excuſus eſt, ante paucos annos, *Diogenes Laërtius*. Notulæ *Morelli* ſubjicientur paginis, addenturque plurimæ a viro docto, quæ nunquam lucem publicam conſpexerunt. Idem operam dabit, ut a vitiis typotheticis diligenter repurgetur contextus *Philoſtrati*, quæ in pulcherrima ceteroquin editione Morelliana non pauca ſunt. Verſionem quidem non interpolabit, ſed permulta fœdiſſima ejus errata breviter indicabit in notis. Ex *Vigenerii* vero commentariis in Icones *Philoſtrati* Junioris, ea excerpet, quæ faciunt ad ejus Scriptoris explicationem, circumciſis digreſſionibus, iisque quæ in quovis Lexico Poëtico occurrunt; qualia plurima ſunt a *Vigenerio* congeſta, laudabili ſane tum ſtudio, cum pauca ejusmodi exſtarent Lexica, at nunc minus utilia Juventuti, & doctioribus tædioſa. Eæ notæ e lingua Gallica in Latinam vertentur. Quandoquidem autem imagines æri inciſæ editionis Gallicæ non ſunt inutiles ad intelligendum *Philoſtratum*, dabit operam Bibliopola, ut accuratisſime exprimantur, nec ulla ratione Vigenerianis figuris cedant.

Si quid habent viri docti, quod ad ornatum hujus editionis conferant, orantur a Bibliopola, ut ad ſe tranſmittant, ſub eorum nominibus edendum, & grato animo excipiendum. Quod ſi fecerint, quidquid a ſe merito petetur, non ægre expendet.

PHO-

Digitized by Google

PHOTII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITAni Myriobiblon, ſive Bibliotheca, Græce & Latine, cum Notis Davidis Hæſchelii & Andreæ Schotti hactenus editis, aliisque nunquam antea in lucem emiſſis.

Monitum:

ANimus eſt Bibliopolæ, viri eruditi opera & ſtudio adjuto, recudere *Bibliothecam Photianam* Græce & Latine; in qua editione dabitur primum opera, ut Græcus contextus emendatiſſime edatur; ſecundo, ut notæ ſingulis paginis ſubjiciantur, cum eæ quæ ſunt jam editæ, tum aliæ multæ; tertio, quamquam verſio *And. Schotti* integra ſervabitur, in notis adhuc ineditis ſtudioſe vitia ejus retegentur, ne incautiores fallant, textusque Græcus paſſim illuſtrabitur.

Rogantur omnes viri eruditi, litterarumque Græcarum & Eccleſiaſticarum amantes, ut ſi quid hac de re monendum habeant, aut ſi quid operæ, ſive ex MSS. codicibus, quos poſſideant, ſive ex conjecturis, aliisve animadverſionibus conferre poſſint, dignentur ea de re ad Bibliopolam Amſtelodamenſem litteras dare. Conſilia eorum ac ſubſidia, ſi quæ attulerint, grato animo excipientur, nec erit cur eos benignitatis ſuæ, collatæque operæ umquam pœniteat; ſi modo candide, & quamprimum rem ei aperuerint.

Si res bene ceſſerit, animum appellet etiam Bibliopola recudendis *Photii* Epiſtolis, quibus varias illas addet, quæ poſt *Montacutii* editionem prodierunt, omnesque in unum corpus colliget. Quod ſi poſſet excitare viros eruditos ad exſcribenda illuſtrandaque reliqua *Photii* opera, quæ in Bibliothecis adhuc latitant, & ſecum communicanda, eſſet quod ſibi gratularetur, operamque daret, ut ne qui id laboris ſuſcepiſſent, ejusque participem ipſum feciſſent, fruſtra a ſe exantlatum quererentur.

ERRATA.

A. 1701. pag. 19, l. 10 a fine, & pag. 20, l. penultima pro *retractionis* leg. *refractionis*. pag. 139, l. 11 pro $bxr - 2y^s dx$ ponatur $bx^{r-s} = y^s dx$. pag. 174, l. 19 pro $\sqrt{4+2z} : s$ leg. $\sqrt{4+z} : 5$. pag. 175, l. 4. inter *eſt* & *quod* deleatur comma. ibid. l. 27, pro $= 12ax$ ponatur $-12ax$.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Octobris Anni MDCCI.

WILHELMI ERNESTI TENTZELII, HISTORIOgraphi Saxonici, Supplementum Hiſtoriæ Gothanæ ſecundum de vario arcis urbisque ſtatu ab origine usque ad noſtra tempora, multis diplomatibus figurisque æneis diſtinctum, nec pauca conferens ad totius Germaniæ, Thuringiæ præſertim Miſniæque, omnigenam Hiſtoriam illuſtrandam.

Jenæ, ſumtu Joan. Bielkii, 1701. in 4. Alph. 3, plag. 18. cum fig. æn.

MEnſe Aprili ſuperioris hujusque anni commemoravimus Hiſtoriam Sagittarii Gothanam, Tentzeliique noſtri primum Supplementum: jam ſequitur ſecundum, ſeu potius hujus prima tantum ſectio. In Dedicatione ad urbis Senatum, laudatur inprimis familia per totam Germaniam propagata, Lucæ Cranachii, pictoris celeberrimi, cujus uxor, Barbara, ex civitate Gothana fuit oriunda. In ipſo Supplemento *Sect. I. num. 1.* examinatur vulgaris opinio, quæ a Gothis nomen originemque civitatis repetit, fictis Gothorum inſignibus, Agno & Dracone, curiæ inſculptis præſertim nixa, Melanthone præeunte, quem plurimi, etiam doctisſimi viri, ſequuntur. Sed Tentzelius illorum oſtendit ſimplicitatem, quando non obſervarunt, Majorum noſtrorum, qui olim Agnum cum vexillo triumphali & Draconem cum homine deglutito in ſacrarii foribus, curiæ dehinc affixis, poſuerunt, non aliam fuiſſe intentionem, quam ut hominum, ſacrarium illud prætereuntium vel intrantium, animis pias de Chriſti Servatoris meritis diabolique inſidiis cogitationes ingererent: Tantum abeſt, ut quidquam de Gothorum inſignibus in mentem illis venerit.

Pergit hinc celeberrimus Auctor ad eos, qui Gothæ a Gothis originem inde probare ſatagunt, quia in agris etiam circumjacentibus, ut

alibi, reperiuntur non raro nummi aurei, miris figuris ornati, ſcutellares ſive ſcyphati, majores minoresve, quos vulgus **Regenbogen-Schüßlein** appellare, doctiores vero pro nummis Gothicis aut Vandalicis venditare ſolent. Unum nuper in agro vicino effoſſum exhibet Tentzelius, prolixumque & jucundum de illorum ratione excurſum inſtituit, conjecturam addens, quomodo in Thuringiam ejusmodi nummi fuerint delati, in ea tamen *num. 2.* ad urbis originem probandam haud acquieſcens, nec in aliorum ſententia, Gothæ unum e quatuor judiciis provincialibus a Carolo Magno inſtitutis exercitum fuiſſe aſſerentium. Non improbat vero *num. 3.* Myconii narrationem, ex MS. Chronico Iſenacenſi aſſerentis, diætam provincialem *in villa, quæ vocatur Gotha*, habitam. *Num. 4. 5. & 6.* urbis originem ab Henrici Aucupis temporibus repetit, Witechindi de eo verba ad Gotham applicans: *Num. 7.* S. Gothardum non conditorem ſed amplificatorem & in Papatu patronum aſſerens, unde in ſigillis civitatis æri inciſis compareat. *Num. 8.* eos impugnat, qui ex ſylvanis ornamenti cauſa lapidibus curiæ angularibus inciſis, urbem Comitibus Schwarzburgicis quondam paruiſſe colligunt. *Num. 9.* & ſeqq. arcis Grimmenſteiniæ origines inquirens, removet nummos in illius ruderibus repertos, & a CCLL. VV. Sagittario Mellenioque allegatos, quaſi ad Hermenfridi, ultimi Thuringorum Regis, excidium, diviſamque inter Francos & Saxones regionem ii pertinerent; putat autem, a Wilhelmo III, Duce Saxoniæ, cuſos, & a quodam forſan operario in firmanda arce perditos, hanc autem ab Henrico Landgravio Thuringorum & poſtea Romanorum Rege exſtructam.

Num. 13. Capellam S. Jacobi vetuſtiſſimam eſſe, probat ex antiquo more præ foribus illius ſub dio judicia exercendi. *Num. 15.* originemMonaſterii S. Crucis inquirens,cui multa *Theodoricus miles de Gotha* largitus eſt, nobilium diſtinctionem in *milites* & *ſervos* explicat. *Num. 17.* initia Hoſpitalis a Ludovico S. Eliſabethæ marito fundati; & *Num. 19.* Monaſterii Auguſtinianorum diligentius exponit. *Num. 28. & 31.* detegit vulgarium Chronicorum errores, quo tempore mortua ſit Cunegundis Iſenbergica, Alberti degeneris primo *pellex*, inde conjux ſecunda; & quando is duxerit tertiam, Eliſabetham: quæ tamen in primæ ſectionis mantiſſa accuratius perſequitur. Et quoniam

Digitized by Google

niam hujus Eliſabethæ filia fuit Eliſabetha, Friderici Admorſi conjux, quæ dotalitium poſtea Gothæ nacta eſt, illius quoque res illuſtrat; *num. 35.* oſtendens, perperam ipſi affingi a Sagittario filium Hermannum; ſtatimque ſubjiciens explicationem monumenti Friderico poſiti. *Num. 36.* notari merentur varia, ad conjugium Friderici Gravis cum Mechtilde, Ludovici Bavari Imp. filia; *num. 38.* ad mutationes Moguntinas eo tempore, quas ad Gothanos etiam redundaſſe mirum haud eſt; *num. 39.* ad lites inter Eliſabetham nepotemque Fridericum, de Gotha ſubortas, & ab Imperatore demum compoſitas; *num. 41.* ad Lupoldum de Bebenburg, libris pro Imperio adverſus Papam & Clerum ſatis celebrem, qui præter cæteras dignitates Caveo aliisque memoratas, Præpoſitus quoque S. Severi Erfordienſis fuit; *num. 43. & ſeqq.* ad Canonicos Ordruvio Gotham translatos, Eliſabetha Landgravia promovente; *num. 47.* ad Coburgum cum annexis Friderico Strenuo Catharinam Hennebergicam ducenti datum, ortoque inde Friderici Sapientis Electoris joco de Gallinæ Hennebergicæ ovo; *num. 49.* ad Mechtildis & Friderici Gravis obitum, hujusque inprimis epitaphium; *num. 61.* ad placitandi publicumve judicium habendi modum, apud veteres uſitatum; *num. 68.* ad Eliſabethæ mortem, redditumque in ipſius epitaphio diem & annum ex MS. Hennebergenſi; *num. 70.* ad judicium publicum Waltershuſanum; *num. 79. 80.* ad aquæ Linæ ductum Gothanum a Balthaſare Landgravio inſtitutum, detectaque vulgari de monacho auctore ibi ſepulto fabula; *num. 89. 90. 97. &c.* ad Ludovicum, Balthaſaris fratrem, Archiepiſcopum Moguntinum, ſed a Canonicis ibi non receptum; *num. 90.* ad Balthaſaris in terram ſanctam iter; *num. 105. ſeq.* ad Urbani Papæ VI in caſtro Luceriæ obſeſſi in Gothanum Capitulum benevolentiam; *num. 129.* ad morem nolas campanulasve cingulis annexas geſtandi; *num. 134.* ad impoſitum a Balthaſare tributum, der Währ appellatum; *num. 136. 146.* ad Fridericum ejus filium a ſocero mirifice circumventum, ſed a patruelibus liberatum; *num. 160.* ad infelicem cum Huſſitis pugnam prope Uſſig commiſſam; denique *num. 178.* ad Friderici illius obitum pertinentia. Quæ pro ſpecimine ſufficiant: ne prolixam *Sectionis primæ Mantiſſam* excutiamus, plurima eruditis non minus grata, quam utilia continentem, de pagorum urbiumque in Thuringia denomi-

nationibus, de ethnicorum ſepulcris nuper effoſſis, de comitiis Ottonis M. Arnſtadii celebratis, de Conradi II, ac Henrici III, Impp. diplomatibus, hujusque præſertim non duabus tantum, ut vulgo, ſed tribus uxoribus; de primorum Thuringiæ Landgraviorum rebus geſtis, falſisque epitaphiis Reinhardsbornenſibus & ſimilibus.

THE VANITIES OF PHILOSOPHY, AND Phyſick.

i. e.

VANITATES PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ, Authore GIDEONE HARVEY, Med. Doct.

Londini apud W. Turnerum, 1700. in 8.
Conſtat liber plag. 10.

VUlgarem medendi methodum ante aliquot annos acriter perſtrinxit Author Clariſsimus in libro, quem inſcripſit: *Ars curandi morbos expectatione*; cujus contenta retulimus in Actis hiſce A. 1695, pag. 382. Eundem nunc laborem continuat in præſenti tractatu, erroresque varios tam circa Theoreticam & Practicam Medicinæ partem, quam circa Philoſophiam naturalem commiſſos notat. In *Capite I* nimiam vulgi miratur credulitatem, quod præſcriptas formulas quovis auro præſtantiores æſtimet; Herbaria vero hortulanis magis neceſſaria eſſe docet quam Medicis, ſiquidem illi ex figuris herbas cognoſcant, quæ in agris hinc inde creſcentes, plantisque eſculentis nutrimentum detrahentes eradicari debent; atque conſultius eſſe putat, pueros ablegare in ſylvas & montium declivia, pro colligendis plantis, quam Medicos: ſiquidem illi eum in finem eo excurrant, ut pecoribus pabulum procurent; hi vero, ut novam plantæ faciem æri incidi curent, immenſa conſcribant volumina, & Aldrovandi inſtar varias beſtias, piſces, aves, muſcas &c. delineantis, nihil agendo vitam terant. Et cum omnia ſimplicia non infallibiliter tollant morbum, tanta vegetabilium farragine ſuperſedere, & pauciſſimis contentos nos eſſe poſſe, tradit. *In Cap. II* monſtrat, *Philoſophiam Corpuſcularem* non minus, ac Peripateticam, *res naturales* male explicare, & ſupponit 1) quicquid in Philoſophia & Medicina nondum cognovimus, eſſe plus, quam cujus cognitionem acquiſivimus;

mus; 2) pleraque in Medicina, quæ cognita & manifeſta pronuntiamus, eſſe conjecturalia & incerta; 3) falſum & erroneum eſſe ſæpe, nos rei hujus illiusve eſſentiam, cauſas & effectus penitus cognoviſſe. *In Cap. III, IV, & V*, de Chylificatione agit, diverſasque Authorum allegat ſententias, easque refutat; negat enim, illam calore ſtomachi naturali, vel per arterias ab hepate, liene &c. adducto peragi; aut ab acido fermento perfici; nec ſalivæ præcipuam vel nimiam diſſolvendi vim in acceptis eſſe referendam; nec ſtomachum capacem judicat, qui ejusmodi liquorem acidum contineat, quo oſſa, ligamenta, nervi & caro poſſint diſſolvi. Quin potius omnem digeſtionem putat abſolvi per ſpiritus animales, tanquam particulas corporis ſubtiliſſimas ſalinas, per nervos ſextæ conjugationis amplos in ſtomachi cavitatem hiantes, & per ipſius tunicas diſtributos, eo depoſitas. Ut autem in chylum redacta alimenta depurentur, formatum eſſe dicit ſuccum fermentativum, eumque acidum, per glutinoſas vel gummoſas particulas ſpiritibus igneis junctum; quæ fermentatio augeatur, poſtquam in inteſtinis humiditas ex pancreate & meſenterii glandulis deſtillans cum bile fuit miſta. Quemadmodum autem omnem ventriculi dyſcraſiam nervorum a pituita, aut fæculentiis acidis, alimentis δυσπέπτοις vel in cruditates nidoroſas redactis obſtructorum debilitati adſcribit: ita omnia calida & reſtrictiva medicamenta ſtomacho magis obeſſe quam prodeſſe, abſterſiva vero remedia vera eſſe ſtomachica pronunciat; quem in finem pilulas ſuas aloëticas, quarum præparationem prolixe deſcribit, commendat, iis vero, qui conſtitutionis calidæ & ſiccæ aut hæmorrhoidibus obnoxii ſunt, Electuarium lenitivum, Caſſiam Fiſtularem, Rhabarbarum, Mechoacannam, Tartarum Rhenanum, Semen Fœniculi, & Syrupum Dialtheæ recipiens magis conducere ſcribit. De cetero purgantia fortiora & venæſectiones repetitas ſerio damnat. *In Cap. VI* doloris nephritici, podagræ, colicæ, pleuritidis, rheumatiſmi, apoplexiæ, &c. cauſam in certam ſubtilem & acrem ſeroſitatem ſeu potius lympham vitiatam, a cerebro per nervos ad extremitates derivatam, rejicit. *In Cap. VII.* cordi & arteriis nullam vim movendi ſanguinem concedit, quin putat, hunc movere cor, eodem modo ac aër premens & replens pulmones eodem tempore comprimit aërem in thoracis cavitate contentum & diaphragma dilatat. *In Cap.*

IIX. ſpirituum animalium præſtantiam (vitalium enim & naturalium exiſtentiam negat) collaudat, utpote qui ad omnes omnino functiones concurrant, dum per nervorum non modo extremitates, verum etiam poros laterales, ad omnes deferantur partes; hinc cerebrum pro unica totius corporis parte principali habet, quatenus totum corpus externorum ſenſuum & motus localis, & hæc ſenſuum internorum gratia facta ſupponit. Cor autem partem inſtrumentalem dicit; hinc eſſe contendit, quod remedia cordialia vulgo dicta non cor, ſed cerebrum reſpiciant, cephalica rectius dicenda. Iisdem ſpiritibus deberi monet, quod ſanguis circulariter moveatur; ſecus ac Medicorum turba rem exponit, qui illos ab hoc moveri adſtruunt, cum tamen ipſi doceant, ſanguinem multo eſſe craſſiorem ſpiritibus. Abſurdum pariter pronuntiat ſtatuere, per pulſationem arteriarum ſanguinem ex his ad venas urgeri; id potius contingere putat mediante rarefactione, per continuam agitationem a ſpiritibus factam ſanguini introducta, cui adſociat levem aliquam pulſationem venarum; negat tandem, in ſyſtole omnem ſanguinem ex corde expelli, & in diaſtole totam cordis concamerationem repleri. In fœtu ſpiritus functiones ſuas non præſtare aſſerit, quas in natis peragunt, ſed illum vivere vitam plantæ, & deſtitui omni reſpiratione omni cordis & arteriarum pulſu, omni ſanguinis motu circulari. In *Cap. IX.* remedia antiphthiſica hactenus decantata, ut Syr. de Rapis, Hederam Terr. Fl. Hyperici, Conſervam Roſ. &c. irrita proclamat, & opiatorum noxam exponit. In febribus putridis & malignis, de quibus *Cap. X.* agit, ſupponit putrefactionem, mixturam ſanguinis diſſolventem, & calorem p. n. producentem. Culpat igitur Medicos, quod calorem pro cauſa & eſſentia febrium habeant, ac refrigerantia propinent. Per venæſectionem ſemel vel bis inſtitutam ſpiritus libertati quidem reſtitui, & maſſam ſanguineam ſpatium capacius acquirere concedit, nihilominus ſi frequentius repetatur eadem, ſpiritus diſſipari, & febri minus conſuli putat. Vomitoria & purgantia licet per ſe febrem non tollant, admittit tamen eadem in principio, quatenus malignos humores evacuant. *Diaphoreticorum* uſum ſuſpectum habet, quia ea ante declinationem, materia nondum cocta, haud debeant propinari, & falſum ſit, ea augere & agitare ſpiritus, imo operatio ipſorum dubia notatur. Narcotica

mi-

Digitized by Google

mitigare quidem ſymptomata ipſi dicuntur, poſt quorum operationem tamen malum augeatur. Ex quibus nullum verum dari antifebrile concludit; & licet Cortex Peruvianus quibusdam tale audiat, ſæpe tamen majores eum concitaſſe turbas docet. *In Cap. XI.* Medicorum vulgus irridet, qui calorem p. n. renum, aut facultatem λιθοποιητικὴν, pro calculi cauſa habent. Ipſe potius ad ejus generationem requirit 1) ſpiritus animales depauperatos, ſerum non ſufficienter ſeparantes, & expellentes; 2) ſerum cum Sale Ammoniaco ſaturatum; 3) mucum, qui combinat ſal cum 4) ſabuloſis ſanguinis particulis; 5) anguſtias viarum in renibus; & 6) gluten vitioſum ex nervis nephriticis exſtillans. Lithontriptica tum examinat, atque negat, acida corroſiva tale quid præſtare; diuretica vero agere pronuntiat vellicando, ſtimulando, vias conſtringendo, & ſic ſerum expellendo; ingentem tum eorum apponit farraginem, inter quæ tamen delectum commendat. *In Cap. XII.* ſenſationem examinat, quam hoc fere modo ſibi concipit. Scilicet ſenſus externi fiunt per impulſum, ſeu impreſſionem, ſicque per contactum, eorumque ſubjectum primarium non eſt nervus, ſed membrana, adeoque viſus ſubjectum tunica cornea ſeu ſclerotica eſt. Hæc impreſſio continuatur, juxta nervorum longitudinem, per ſpiritus animales usque ad cerebrum, & producit ſenſum communem; ſin eadem per ramos nervorum laterales propagetur, & diu perſiſtat, memoria dicitur; ubi vero diverſæ impreſſiones modo componantur, modo dividantur, imaginatio exurgit, ita ut ſenſus internus una quidem ſit facultas, ex diverſis tamen actibus conſtet. Jam ſi ſpiritus animales irregulariter & violenter moveantur, & impreſſiones confundantur, mania oritur, cujus ſymptomata explicat, & curam ſuppeditat; in qua Venæſectiones nimias & Emetica nimis frequenter propinata rejicit, atque de ſe teſtatur, quod aliquot maniacos per V. S. bis vel ter repetitas, lenes purgationes & medicamenta antihypochondriaca mineralia, intra 6. ſeptimanas feliciter curaverit. Tandem quædam oculorum vitia examinat, cataractam puta, ſuffuſionem, guttam ſerenam, & ophthalmiam; qua ratione vero viſus integer conſervari queat, regulas tradit, illosque ſalſe ridet, qui pilulas lucidas etiam atque etiam commendant, ſiquidem illas oculis non magis ac pedum digitis judicat appropriatas.

HEN-

HENRICI HULSII IN ACADEMIA DUISBURGENſi Doct. & Prof. Primarii, de Vallibus Prophetarum Liber unus. Editio ſecunda.

Amſtelædami, apud Engelbertum Solmans, 1701, 4.
Alphab. 3. plag. 9.

Proliſiſſima libri hujus, anno jam tum 1693 prima vice editi, recenſione in Actis noſtris anni ſequentis, ſemel a p. 38 ad 47, iterumque a p. 68 ad 77 defuncti, & adeo quidem clare methodum Hulſianam in exponendis Scripturæ Sacræ oraculis Lectori Benevolo ob oculos nos poſuiſſe arbitrati ſumus, ut, cujus titulum tunc ſubnectebamus, Commentarii Prophetici in ultima Paroemiaſtæ Salomonis ab eadem manu profecti faciem ulterius minime delineandam duxerimus. Multo igitur minus hac vice plura de *Auctoris* inſtituto dicenda nobis venient, quando repetita editione opus iſtud prius in lucem publicam emiſit. Denuo tamen injiciendam illius mentionem duximus, ut non emendatiorem modo textum ejus redditum, ſed & marginalibus præterea, corollarioque ac indicibus auctum fuiſſe ſignificaremus. Et in corollario quidem id agit Autor, ut modum tractandi Hiſtoriam & Scripturam V. T. oſtendat. Nec tamen eſt, ut alium hunc exiſtimes ab eo, quem ipſe hactenus tenuit, quique iſti innititur hypotheſi, quod vetera, quæ evenerunt, omnia umbra ſimul ſint ac prophetia eorum, quæ denuo ac rurſus evenire debuerint aut debeant. Neutiquam proinde illum ſatisfacere ait hiſtoriæ ſacræ veteris Teſtamenti, qui ſic eam tractet, ut in *hiſtoria qua hiſtoria* ſolum hæreat, ſicque eam explicet & applicet, quin potius hæc quatuor officia a quolibet digno Scripturæ veteris tractatore requirit, ut nempe primo omnium hiſtoriam iſtam exponat; typum hinc in ea occurrentem non negligat; eam porro in ſacra fabuloſa gentili, in qua tota deliteſcat, ſimul detegat; tandemque in appoſita analogia atque ſerie evincat, quod idem rurſus ſub novo Teſtamento evenerit, quod per hiſtoriam veteris præfiguratum ſit. Regulas has ipſemet ad praxin mox applicat, dum in appendice peculiari figuras, quas appellat, temporum perſequitur. *Veteris* namque Teſtamenti decurſum univerſum in tres diſtinguit pericopas ſolenniores, quarum primam ab Adamo ad Noachum, ſecundam a di-

diluvio Noachi uſque ad exitum ex Ægypto, tertiam ab hoc ad Chriſti uſque adventum extendit, & omne, quod per hæc tempora eveniſſe in Scripturis narretur, res geſtas Novi Teſtamenti velut in typo præfiguraſſe, multo cum verborum apparatu innuit. Cæterum & iſtud ex iterata Commentarii hujus editione agnovimus, quod opera longe plura ab indefeſſa Auctoris induſtria Eruditus ſibi Orbis polliceri valeat. Singulis certe annis ad labores novos eunti, tempore Profeſſionis ſuæ, hos jam ſubnatos ſibi eſſe dicit commentarios: in *Johannis Apocalypſin*, concinente *Daniele*; in *Eſaiam*; in *Ezechielem*, concinente *Cantico Salomonis*; in *duodecim Prophetas minores*; in *ultima Jobi*, ſeu *Leviathan* & *Behemoth*; in *præludia & parabolas omnes Novi Teſtamenti*; in *annum Judæorum, viſum in emblemate*; in *plagas Ægypti*; in *conjugium Abrahæ myſticum*; in *Epiſtolas Catholicas*; & in *Epiſtolam utramque ad Corinthios*. Subjicienda porro fore pollicetur ſequentia: *Theologiam Emblematicam*; *Doctorem perplexorum* tomis aliquot abſolvendum; *Nodos ſolutos Gordios in elucidatione difficiliorum Theologiæ capitum*; *Epicriſin in Locos Theologiæ communes*; *Pentalogum de deſiderio mulierum*, *Deo Mauſim*, *Deo ignoto*, *Deo ventre*, *Deo mundi*; diſſertationem de *modo cogitandi Trinitatem*; aliamque de *modo concipiendi creationem*; de *myſterio numerorum ſacrorum*; de *Melchiſedeco*; de *hirco Azazel*; de *veritate ſacra ad conſcientiam ſe commendante*; de *duratione ac tempore regni Anti-Chriſti*, *Mohammetani ac Turcici*, *Imperiique Romano-Germanici*. Ut ſpecimina de *raptu Helenæ*, *duodecim laboribus Herculeis*, *lyraque Orphei*, *opus* item *Irenopolemicum*, pro tolerantia religionum in Imperio Romano admiſſarum, vernacula lingua conceptum, taceamus.

THE MYSTERIES OF OPIUM REVEALED.

i. e.

MYSTERIA OPII REVELATA, STUDIO D. JOHANNIS JONES, Cancellarii Landavenſis, Collegii Medicorum Londinenſis Membri, ac quondam Socii Collegii Jeſu Oxonienſis.

Londini apud Richardum Smith, A. 1701, in 8.
Alphab. 1. plag. 2. chartæ auguſtæ.

 Equi-

EQuidem totius ſcripti præſentis epitomen *Autor* ipſe Experientiſſimus, cujus *de Febribus intermittentibus* hypotheſin jamtum in *Actis* A. 1684, p. 324 recenſuimus, vel in titulo ſtricte ſiſtit conſignatam, intimans hic a ſe I. Opii nomen, modum conficiendi, ſelectum atque effectus edoceri; II. opiniones omnes, quæ hactenus de operatione opii innotuerunt, non niſi chymæras eſſe, comprobari; III. veram cauſam, qua quilibet ejus etiam maxime occulti effectus promte atque mechanice explanentur, demonſtrari; IV. principia opii noxia, & quomodo hæc ſeparanda, ut tuta & nobilis obtineatur panacea, oſtendi; V. uſum denique ejuſmodi panaceæ, tum palliativum, tum curativum exhiberi. Ut curioſo tamen Lectori, ſpecialiorem haud dubie generalium iſtorum capitum cognitionem deſideranti, fiat ſatis, nulli dubitamus ex diffuſo Autoris ſermone *nonnulla* ſuperaddere, quæ ſingulis perſpicue declarandis *queant inſervire*. Scilicet quemadmodum ſuccum lacteum e capitibus papaveris albi oblique vulneratis in vaſcula ſuppoſita ſtillantem, atque calore Solis cum ſucceſſiva coloris alteratione concreſcentem, Græci *κατ᾽ ἐξοχὴν* quondam *ὄπον* i. e. ſuccum nuncuparunt: ita ante omnia a Noſtro innuitur, quomodo facili poſtmodum literarum permutatione Latini Opium, Arabes vero Ofium, Affium, Affion vel Amphion eundem papaveris ſuccum inſpiſſatum dixerint, hodieque diſcrimen, quod opium inter atque meconium primum intercelſit, fere deſierit, cum noſtro tempore non ſolum ſuccus ex capitibus papaveris, ſed & ex foliis atque caulibus expreſſus, atque ignis calore concretus, promiſcue opii nomine vocetur in uſum, a Turcis tantummodo opium verum *Maſiack*, vulgare autem *Pous* appelletur. Et quamvis in opio Thebaico, ceu præſtantiſſimo, vel ab alterius regionis opio, vel ab adulterato diſcernendo, omnis olim locata fuerit opera, nunc nihilominus, quia opium vel ex Perſia & India Orientali, vel ex Turcia ſeu Aſia minore ad nos transmittitur, tum in genere Turcicum, veluti ex papaveris capitibus atque foliis paratum, Indico præfertur atque Perſico, quod ex caulibus papaveris albi ſimul elicitur magisque ſordibus turget, quam in ſpecie illud Turcicum *optimum* cenſetur, quod amaritie, calore atque acrimonia eminet, quod flammam lucidam concipit promte, quod uniforme, læve ac tenax, tantum non omne in aqua ſolvitur, quod rubicundam in ſolutionibus

bus præbens tincturam, empyreuma minus ſpirat, nec ſordibus internis ſcatet, quod diſſectum ſcintillas, tanquam totidem ſalis volatilis oleoſi particulas alterationi in aëre humido ſubjectas, ſpargit copioſas, quod in proportione ad totam molem habetur levius, i. e. in aëre minus, quam in aqua ponderat. Sed effectuum, qui electum opium vel externe vel interne uſurpatum ſolent inſequi, dum prolixus attexitur catalogus, non ſolum externo uſu opium & anodynum eſſe, & alterans, i. e. ſomnum provocare, dolores ſedare, reſolvere, emollire, ſuppurare, in tenerioribus ſubjectis, ſi optimum ſit ſive Maslack, exulcerare, pilos inſtar pſilotherici extirpare, nocere oculis & auribus, pruritum excitare, atque in viris perinæo adaptatum ad Venerem ſtimulare, indigitatur; ſed & in uſu interno effectus opii ſub moderata doſi adhibiti, tam perpetui & frequentes, quam rariores & qui ſub finem operationis ejusdem occurrunt, ſolicite ab iis diſtinguuntur, qui vel ab opio, ſive præparato ſive crudo, copioſius ingeſto, vel ab uſu etiam tali citius intermiſſo, deprehendantur; neque effectuum demum inter ſe repugnantium omittitur enumeratio. Ex cunctis annotaſſe ſufficiat, inter effectus perpetuos, quos opii unum vel tria grana in forma liquida vel ſolida aſſumta mox intra dimidiam aut integram horam dicuntur edere, gratiſſimam ventriculi ſenſationem primo ſtare loco, ſomnum autem non niſi inter effectus frequentes primum commemorari. Hinc ut Veterum æque ac Recentiorum in effectibus opii explanandis pateſcat hallucinatio, ipſum fundamentum, in quo cum Veteribus Moderni conſpirant, quaſi ſpirituum animalium ab opio imminuatur motus, ex eo cumprimis ſubvertitur, quod potiores opii vires cordiales, in quarum gratiam illud ab orientalibus populis in majori aſſumitur quantitate, penitus ſic negligi ſoleant, torpor autem ſpiritibus neque ratione frigoris, neque ratione exhalationis, neque ulla alia ratione queat conciliari. Etenim adverſus frigus, quod Antiqui ſummum attribuebant opio, de hujus potius calore ſaporem perquam amarum & calidum mordacemque, odorem fœtidum ac gravem, diverſasque operationes a frigidis magis inhibendas, luculenter teſtari; falſum econtra haberi, quod opium frigidorum adinſtar incraſſando ſiſtat fluxiones. Effluvia vero, quæ ab opio ex ventriculo emitti ad cerebrum Recentiores unanimiter aſſerunt, licet circa modum diſcrepent, quo talia immediate vel

cerebrum vel ſpiritus animales afficiant, eo magis videri imaginaria, quo minus viæ a ventriculo ad cerebrum patulæ adſint, minusque a vaporibus ſomnus naturalis aliaque pathemata præternaturalia, v. g. ſyncope, convulſiones &c. occaſione lactis in ventriculo coagulati, ortum trahant. Multo minus alia quacunque ratione ab opio rite ac moderate uſurpato torpidos reddi poſſe ſpiritus, quanto potentius hi ab illo vini inſtar recreantur, ac potiſſimum circa ventriculi regionem adeo grata ſenſatio excitatur, ut quieti in ſuavem abripiantur ſomnum, occupationibus vero diſtenti agiliores hilarioresque evadant. Quæ ſingularis delectatio ipſa pro vera tum reliquorum opii effectuum adſtruitur cauſa, quia attendenti ſemper ſit ſenſibilis, e diverſo ſanguis ab opio neutiquam alteretur, nec ſenſatio moleſta ab eodem, quemadmodum ab aliquo emetico, cathartico, errhino &c. inferatur. Ut majori tamen evidentia tot mirifici ſæpeque contrarii opii effectus ab ejusmodi ventriculi, quam concitat, titillatione ſuavi poſſint derivari, nonnulla circa ſenſationem, cum in genere, tum in ſpecie gratam ſive voluptatem, hujusque in animam ſenſitivam, corpusque animale effectibus, ex peculiari *de Mechaniſmo animali* prælibantur Tractatu, poſthac non minus edendo, atque *Phonographia* ſeu arte literas & ſyllabas connectendi ſcribendique ac loquendi omnes linguas a Noſtro inventa. In œconomia namque ſenſationis uti variæ circa objectum, medium externum ſive aërem, organum ſeu ſenſorium, ſpiritus animales ceu medium internum, atque animam ſenſitivam requiruntur conditiones, eo præcipue tendentes, ut ſenſorium ab objecto nunc immediate, nunc interveniente aëre *elaſtico* & compreſſo movendum, ſit tenſum, ſpiritus pariter elaſtici atque compreſſi, animaque ſenſitiva, tanquam unicum in corpore animali principium vivens, percipiens atque movens, ipſam organi contractionem ſive tenſionem efficiat; ita ſomni tempore, quod anima ſenſitiva delaſſata, ideoque reficienda, a tali contractione ceſſet, ſenſoria relaxata ſpiritusque animales expanſi oſtenduntur, atque ex his phænomena diverſa circa ſomnum & vigilias ſolvuntur, nec non circa confortantia, quæ haud augendo ſpiritus, ſed gratam potius ſenſationem conciliando propter multas rationes, videantur operari. Unde cum voluptas ſenſitiva nil niſi animæ ſenſitivæ ſit delectatio, ab objecto cum ſenſorio congruenti reſultans, ſimulque cum refocillatione ſpi-

Digitized by Google

ſpirituum & partium ſenſibilium relaxatione conjuncta, nervea vero ventriculi tunica omnium ſenſilisſima ab oleoſis ſalibus volatilibus, veluti principiorum intuitu cum dicta membrana convenientibus, præcipue titilletur, opium omnino (ratione particularum aquoſarum, ab aëre humido promte augendarum, elegans hygroſcopium præbens) ob ſal volatile oleoſum perquam aptum traditur ventriculum blande afficiendi, eoque ipſo non ſecus, atque vinum & Venus, doloribus medendi, quoniam membranæ ſenſationis gratæ occaſione relaxatæ ſpiritibus libertatem concedunt ita ſeſe expandendi, ut compreſſionis defectu nullam amplius aliunde impreſſionem ſuſcipere ac ad animam ſenſitivam deferre valeant. In propatulo ſic eſſe, cur a ſomno, cum voluptate inſigni ac conſtanti partim concordante, partim ab eadem diſcrepante, adeoque & ab opiatis, quæcunque fluxiones ab irritatione alicujus partis ſenſibilis dependentes compeſcantur, ſola ſemper tranſpiratio ac interdum menſium & lochiorum profluvium, ob poros ſcilicet relaxatos, magis promoveatur, nequaquam vero ex communi ſententia ſudor, niſi in humidioribus corporibus, procuretur; cur opium timorem excutiat & melancholiam, ac inſtar ſeminis maſculini partes genitales titillando ad Venerem ſtimulet, cur idem in nonnullis ſomnum, in aliis autem nimium exhilarando ſpiritus, inducat vigilias, &c. Pravi econtra opii effectus dum non ſolum nimiæ partium ſenſibilium relaxationi, ſed & ſulphuri opii reſinoſo acri, minus ſtricte cum ſale ipſius volatili combinato, pertinacius autem ventriculi parietibus adhæreſcenti ac vellicanti, attribuuntur, pro opio in genuinam porro exaltando panaceam, cujus conditiones recenſentur, variis præparationibus menſtruiſque rejectis, opii unciæ octo ſolius aquæ pluvialis deſtillatæ unciis viginti quatuor, in loco temperato ac vaſe probe obturato, quotidie ter quaterve agitando, intra ſex dies jubentur ſolvi, hinc per chartam bibulam filtrari, ac oleo dulci affuſo ſub titulo panaceæ opii liquidæ aſſervari. Qua obtenta mox, ad omnem gummoſam opii portionem, ſal volatile oleoſum recondentem, a noxia reſinoſa exacte ſeparandam, eadem aqua pluvialis deſtillata relictis fæcibus tam diu innuitur affundenda, quouſque rubicunda elicita tinctura fuerit omnis, pariter filtranda ſimulque in balneo ad Extracti, ſolidam opii panaceam conſtituentis, inſpiſſanda conſiſtentiam.

Digitized by Google

Ubi notari meretur, quod aliquis a panaceæ liquidæ integro ſextario (*pinte*) cum dimidio, tres opii uncias comprehendente, apud *Dn. Banckium* Chymicum Londinenſem hauſto, præter vomitum, poſt elapſam horam forſan magis vini antea ingurgitati occaſione ſupervenientem, nequicquam mali perhibeatur ſenſiſſe. Præter utramque nihilominus opii panaceam, aliæ quoque hujus præparationes in doſi moderata haud contemnendæ, & partim Veteribus jamjam, v. g. Diacodium, Diaſcordium, Theriaca Veneta, Mithridatium &c. partim Recentioribus, e. g. *Wedelio*, *Langelotto*, *le Mort* (aquam pluvialem itidem loco menſtrui adhibenti,) *Bateo*, *Starckey*, *Sydenhamio &c.* uſitatæ commendantur, earumque doſes non minus, ac utriusque panaceæ, pro diverſitate ſexus ac roboris ſubjectorum in peculiari tabula indigitantur. Tandem pro causarum varietate variis ad infauſtos opii effectus tollendos remediis præſcriptis, regulisque & cautionibus generalibus opiata rite quoad ſubſtantiam, formam, doſin, vehiculum, tempus, ſubjecta & morbos adhibendi deſignatis, uſus eorundem opiatorum, ſpeciatim panaceæ, in anima ſenſitiva & ſpiritibus confortandis atque placandis, partibus ſenſibilibus relaxandis, doloribus ſedandis, ſomno conciliando, fluxionibus ſiſtendis ac nonnullis promovendis, Venere ſtimulanda, vigiliis procurandis &c. tam internus, quam externus a capite 31 ad caput usque 41, quod ultimum, edocetur prolixe.

ANTIQUITATES MEIERIANÆ, SEU DE MEIERIS Diſſertatio, qua quicquid ad hoc nomen illuſtrandum ex Jure, Antiquitate, & Hiſtoria afferri potuit, explicatur a JOACHIMO MEIERO J. U. L. & in Gymnaſ. Göttingenſi P. P.

Gottingæ, typis J. Woyten, 1701, in 8. Plag. 10.

QUæ alios Viros Clariſsimos ad ſuſcipiendam in aliorum nominibus commendandis operam movit curioſitas, eadem ut in proprio ſibi nomine illuſtrando egregiam prorſus præſtaret, excitavit nobiliſſimum *Meierum*, diſſertationis hujus Autorem eruditiſſimum.

C. 1. Hic enim in originem nominis *Meieri*, veramque ejus ſignificationem curioſe inquirit: & illam quidem ab antiqua voce *Mar*, *Mer*, vel *Mir* derivat, hanc vero equum maſculum bellatorem & genero-

ſio-

Digitized by Google

ſiorem deſignare, ejusque fœmininum *Mare*, *Mere*, vel *Mire* equam,
eine **Mehre** apud inferioris Saxoniæ incolas, denotare dicit. Hinc
apud veteres *Marſcalcum*, (unde illuſtre in aulis nomen Mareſchalli
ortum,) miniſtrum equeſtrem, ex *Mar* equus vel eques, & *Scalc* ſer-
vus, dictum fuiſſe ait: cognataque nomina, *Marſtallum* & *Marenbol-
dum*, quorum priori *equorum ſtabulum*, poſteriori is qui *equis ſavet*,
indicitur; verbum item *Marcare*, i. e. equitare, & clamorem Sarmatæ
cujusdam apud Marcellinum l. 19, qui voce *Marah*, *Marah*, equos con-
ſcendendos monuit, explicat. Inde primam *Meierorum* apud antiquos C. 2.
dignitatem, multaque de equis & equitibus Germanorum ex hiſtoria
accurate tradit. De iis porro, qui *Mari*, vel *Maieri*, *Meri*, & *Miri* C.
nomen geſſerint, prolixe diſſerit, illudque Celtis inprimis, deinde
& aliis varie uſurpatum, jamque præpoſitum, ut in voce *Marbadus*,
Marbaldus, *Merovigus* ſeu *Merovicus* &c: jam in nomine *Civismarus*,
Viridomarus, *Teutomarus* apud Gallos, *Indutiomarus* apud Trevi-
ros, *Segimerus* & *Inguiomerus* apud Cheruſcos, *Actumerus* apud
Chattos, *Theutemerus* apud Francos & Suevos, *Waldemarus* apud
Danos, *Caſimirus* apud Polonos, *Ulodomirus* apud Ruſſos, atque
apud recentiores in nominibus *Bachmeierus*, *Erbmeierus*, *Goldmayerus*,
Kirchmaierus, *Kromayerus*, *Lobmeierus*, aliisque pluribus, poſtpoſi-
tum eſſe oſtendit. Abhinc ex Cæſare L. VI de Bello Gallico c. 15 & aliis C. 4.
ſcriptoribus, *Marorum* ſeu Equitum nomen Celtas primo Principibus,
denen vorderſten/vorſten ſeu **Fürſten**/deinde vero & horum Clien-
tibus, Miniſterialibus, *Ambactus* (quam vocem ab antiquo **Ambath**
i. e. miniſter, ex **amb** ſeu **umb**/ & **aht** ſeu **acht** / cura, **Obacht** derivat)
dediſſe; eosque e plebe quidem, ſed ingenuos tamen, poſtea et-
iam nobilitatem conſecutos, atque **Edelknecht**/**Dienſtman**/**Amtmann**/
Amtleute/ **Ambacht** priſcis Celtis dictos, & peculiare genus feudi, quod
Miniſterialium ſeu Palatii, *feudum Ambachtiæ* apud Alemannos
dicebatur, conſecutos fuiſſe, evincit; eaque occaſione plura de feu-
dorum origine notatu digna proponit. Qua expoſita, Miniſteriali-
um diviſionem quoque ſubjungit, illosque in majores & minores C. 5.
diſpeſcit: quorum illi in Regum & Principum comitatu erant, &
Epiſcopis etiam Abbatibusque ac Abbatiſſis Principali dignitate gau-
dentibus miniſtrabant, **Ambacht Leut** / **Dienſtmann** / **Ambachtmann**
appellati; hi ſervi erant Miniſteriales, *Aldii* & *Liddi*, *Leudi*, *Laudi*
vocati,

vocati, qui Dominis ſeu Senioribus operas ſuas præſtabant, & illi ipſi erant, quos hodie *Vaſallos* appellamus, (quare & rectius nonnulli vaſallos *Homines*, **Leute**/ a Leudis dici putant) quales olim habebant Comites, Fiſcus, Nobiles, & Eccleſia: quo pertinent ex Leg. Longob. Lib. 1. Tit. x §. 8 & 14 *Servus Presbyter*, *Servus Diaconus* & alii, qui officium Presbyteri & Diaconi, ſive deſtinata illis prædia feudi nomine poſſidebant: huc tandem & *Ruſticani*, *Bubulci*, *Maſ-*
C. 6. *ſarii*, *Porcarii*, *Caprarii*, *Armentarii* referendi. Porro Miniſteriales majores duorum fuiſſe generum dicuntur. Alii *Miniſteriales Palatini*, Principibus, Regibus & Imperatoribus miniſteria præſtantes; quales erant Pincernæ, Dapiferi, Culinarii, Mareſcalci, Stabularii; quales & in aula Orientalium *Impp.* erant, capiti ſuo *Comiti Caſtrenſi ſacri Palatii*, & judici *Magiſtro Officiorum* ſubjecti. Alii Miniſterialium majorum erant, qui in villis Regum & Imperatorum aliorumque Germaniæ Principum, peculiaria illorum jura & Regalia adminiſtrabant, dicebanturque *Vaſalli Regii*, **Königs-Leute**/ſicut *Epiſcoporum Vaſalli* **Altar-Leuthe.** Huc pertinebant Meieri ſeu Villici, *Forſtiarii* **Förſtner**/*Cellularii* **Kelner**/*Poledrarii* **Poſtmeiſter**/*Decani*, *Monetarii*, *Cidelarii* **Zeidlers**/ *Domeſtici*, *Telonarii*, *Sculdaſii* ſeu *Sculteti* **Schultheiſſen**/ *Buticularii* **Butellers**/ *Miſſi* **Seneſchallen** & alii. Quales Vaſſos vel Vaſallos, juxta Aimoinum de Geſtis Francorum, Carolus M. plures inſtituit; quibus jura egregia & ſplendidiſſima privilegia, immunitas, multique honores poſtea tri-
C. 7. 8 buebantur. Quæ omnia porro Autor prolixe explicat, & omnem Villicorum, villicatus & villarum, apud Romanos pariter ac Germanos, naturam erudite declarat: hisque familiarum Nobilium a *Meieris* eorumque feudo appellatarum catalogum ſubjungit. Certe *Kirch-*
C. 9. *maieri* a villicatu Eccleſiaſtico, *Rietmeyeri* a locorum ſylveſtrium, *Teichmeieri* a piſcinarum, *Hagemeieri* a nemorum, *Marsmeieri* a pratorum. *Münchmeieri* a cœnobiorum villicatu appellati ſunt. Et a tam variis Meierorum officiis factum, ut tanta Meierorum multitudo hodie in Germania exiſtet, quantam vix aliæ familiæ producere poſſint.
C. 10. Quin & ad integras nationes & alias etiam res translatum Meierorum nomen fuit. A *Mar* certe *Marſi*, *Marruvii*, *Marrucini* & *Marici*, Italiæ populi a Celtis orti, nomen habent. Inde *Marcomanni*, quæ, vox Cluverio teſte, idem ſignificat quod Anglis *Horsmann*, Ger-

Digitized by Google

Germanice Roßmann/ vel Pferdemänner/ i. e. equites, dicti: *Marſingi* etiam, vicini Marcomannorum, & *Moravi* vel Mararenſes, die Mähren/ a flumine *Maro*, quod a *Mar* eſt, appellati, eandem originem agnoſcunt. Urbes porro, ut *Merſeburgum*, *Maroboduum* quod hodie Praga eſt in Bohemia, *Marbachium* in Ducatu Würtenbergico, *Marchburgum* ad Danubium, *Wiſmaria*, *Hademaria*, *Jaromiria* in Bohemia, *Wolodimiria* in Moſcovia, *Alcmaria* Hollandiæ, *Colmaria* Alſatiæ, *Geiſmaria* Haſſiæ, *Meiringia* Sueviæ, *Marvilia* Galliæ, & plures aliæ inde appellationem ducunt. Tandem & Fluvii, *Marus* ſeu *Moravus* Moraviam mediam interfluens, & *Mariſius* ſeu Maroſch Pannoniam tranſiens, Maris ſeu Meieris nomen ex mente Autoris noſtri debent. Nec intra Europæ terminos nominis hujus claritas contineri potuit; exteras etiam gentes cepit. Apud Scythas & Tartaros hodie etiam Præfecti equitum *Mirſa*, *Myrſa* & *Mürſa* audiunt. A quibus ad Turcas & Perſas idem nomen venit. Illi enim Præfectum aquarum *Mir-Aab*, Præfectum equorum regiorum *Mir-akoer-Bachi*, teſte Chardino de Coronatione Solimanni II, appellant. Et quis *Miros ſeu Emiros* Turcarum Principes ignorat? Apud Tavernerium Perſis *Mir-za* nomen nobiliſſimorum puerorum eſt. Idem Autor in deſcriptione Tunquinæ c. II. *Marum* quendam nobilem facto bello Regem regno ſuo ejeciſſe commemorat. Judæis uti Meierorum communiſſimum nomen eſt: ita quidam clariſſimi Talmudici Doctores hujus nominis ab Autore recenſentur; & paria omnino de Arabibus, Syris, Armeniis, & aliis nationibus adferuntur. Tandem ultimo capite tres decades clariſſimorum in Germania Meierorum, quorum *Wittenius* in Biographia mentionem non fecit, ſiſtuntur. Inter quos principatum facile cum Parente ſuo ducit celeberrimus Theologus *D. Joannes Fridericus Mayerus*, Paſtor, cum hæc Autor ſcriberet, Hamburgenſis ac Scholarcha, & Theologiæ in Acad. Kilonienſi Profeſſor, S. R. Maj. Sueciæ in provinciis Germanicis, & Reverendiſſ. Abbatiſſæ Quedlinburg. Conſiliarius Eccleſiaſticus ſupremus &c. In cujus vita enarranda CL. Autor in eo fallitur, quod *Wurzena* ipſum olim Paſtorem fuiſſe aſſerit, cum Grimmæ hanc ſpartam obierit. Cæterum in eo nos conſentientes habet, optandum omnino eſſe, ut tantum Meieriani nominis & literarum decus diu nobis incolume ſervetur.

C. II.

C. 12.

Digitized by Google

MEMOIRES OF THE REIGNE OF KING CHARLES I &c.

i. e.

COMMENTARII DE REBUS SUB CAROLO I GEſtis, una cum earum rerum Hiſtoria, quæ usque ad Caroli II reſtaurationem contigerunt. Auctore PHILIPPO WARWICK, Equ.

Londini apud Richardum Chiswell, A. 1701, 8.
Alph. 1. pl. 6.

OPtime merentur de Republica Litteraria, quicunque virorum, qui in aulis Principum verſati ſunt, ſcripta ab interitu vindicant. Quamobrem librum hunc quisquis in *ſcriniis* hactenus latentem in lucem protraxit (nam ab ipſo Auctore jam tum anno circiter 1677 fuit ad finem perductus, ut patet ex p. 403) rem fecit veritatis ſtudioſis admodum gratam & jucundam. Etſi enim non deſint Anglis auctores, qui in deſcribenda Caroli I hiſtoria operam navarunt, attamen eo magis commendari omnibus iſti Commentarii debent, quo facilius in ſecretiora cum ipſius Caroli, tum aliorum, apud quos eo tempore rerum ſumma fuit, conſilia penetrare potuit omniaque rerum momenta perſpicere Warwickius, quippe Caroli, ut paſſim ex ipſo libro patet, Secretarius. Is quo majorem conciliaret Hiſtoriæ huic gratiam, non modo politica paſſim præcepta & characteres morum inſperſit, familiasque data occaſione, ut Montaquileam *p.* 221, ſequ. deſcripſit, ſed & res ipſas comptæ orationis flore *ubique* conveſtivit.

p. 5. Ut pauca ex multis more noſtro legamus, primam Carolini exitii cauſam haud obſcure in Buckinghamium confert Auctor, qui jam olim ſub Jacobo multorum odia contraxerat, indeque tanto omnibus exoſus magis fuit, quod poſtea apud ſucceſſorem Carolum eundem gratiæ locum retineret. Is bellorum Hiſpanici atque
p. 15. 23. Gallici ſuaſor fuerat præcipuus, non tam quod bene conſultum *hoc* modo Angliæ vellet, quam ut ignominiam ob ſpretos apud gentes illas amores ſuos ulciſceretur. At rebus uſus minus ſecundis, Regem ipſum in ſummum apud Parliamentum odium adducebat, & tametſi ſpes eſſet, cum ejus cæde extinctum iri in Anglis novarum rerum ſtudium,

dium, mox tamen novas querelas de vectigalibus mercium (*Tonnage and Poundage*) Parliamentum excitabat. Quare Rex, quorſum hæc ſpectarent, prudenter advertens, diſſolvendi Parliamenti conſilium capit: quod priusquam exſequi poſſet, novas illud ſanctiones facit, & cum de Papiſmo introducendo metueret, hoſtem Angliæ, qui quicquam in religione mutare præſumſerit, & proditorem libertatis Anglicanæ, quicunque vectigal Parliamenti ſententia haud probatum ſolverit, pronunciat. Soluto Parliamento, ne quid Rex contra jus fasque facere videretur, priſtina & pœne obſoleta Regum jura revocat, & exploratis, ſi quid ſibi amplius liceret, duodecim Judicum ſententiis, tributum pro navibus ædificandis (*Shipmony*) exigit. Tum ne juris ſui prodigus videretur, eos qui ſibi vel verbis vel reapſe in Parliamento obſuerant, ad tribunal ſeu Bancum Regium (*Kings-bench*) vocat. Quibus rebus cum illud quoque accederet, quod Eccleſiæ poteſtatem vellet ſubeſſe civili, multorum contraxit odia, qui quo facilius eum opprimerent, Pontificiis faventem finxere, & per latus Archi-Epiſcopi Laudi Regem ipſum petierunt. Hunc dum prolixe commendat Auctor, mentionem injicit libri doctiſſimi, quem contra Fiſcherum Jeſuitam ſcripſit, ejusque Carolum Regem feciſſe ait epitomen adeo concinnam, ut ſi edatur, poſſit novæ Iconis Regiæ vicem ſuſtinere. Perhibetur tamen Laudus moribus paulo aſperior, & ab amico ſuo Juxonio, Epiſcopo Londinenſi & Archi-Theſaurario, longe diverſus, qui ut multo ſuavior Laudo, ita civili prudentia inſtructior fuerit, quandoquidem juri dicundo operam prius dediſſet, quam Theologiam amplecteretur, jamque ſummos in Jure honores adeptus eſſet: unde factum, ut & Parliamenti, & Regis, cui morienti adfuerit, gratiam perpetuo retineret. Sed plures Noſter perſonarum characteres hic ſubjungit, quando hiſtoriam rerum ab A. 1628 ad 1640 geſtarum complectitur. Poſtquam enim hanc fuiſſe Scotis præcipuam odii in Regem cauſam notaſſet, quod in bona, quæ ſub Murrei imperio, fiſco Regio fuerant a magnatibus abſtracta, curioſius inquiri, & vel fiſco reſtitui, vel in Epiſcoporum, quos nuper Rex conſtituerat, uſum converti vellet; de Jacobo Hamiltono, quem inter alia ſuppetias Suecis adduxiſſe, cum A. 1630 impetum in Germaniam feciſſent, domumque nulla re memorabili geſta rediiſſe memorat, ejusque moribus primum ediſſerit, interjectisque poſtea Straffordii & Comitis Northum-

p. 44. p. 45. p. 49. p. 51. p. 77. p. 78. ſqq. p. 82. p. 89. p. 94. p. 97. p. 101. p. 108.

p. 121. briæ characteribus,redit ad Scotos. Nimirum cum Rex, Scoticæ Ec-
cleſiæ cum Anglica uniendæ admodum ſtudioſus, novam A. 1637 Li-
turgiam in ſacello Regio introduci vellet, eo repente a murmuratio-
ne & tumultu quorundam auditorum res pervenit, ut univerſa natio
p. 128. a Rege diſcederet, fruſtra Hamiltono, qui obſequii Scotos admone-
p. 130. ſqq. ret, miſſo. Ventum inde primum ad arma, cumque Rex ejus belli
duces partim minus ad res gerendas aptos, partim infidos conſtituiſ-
p. 134. ſ. ſet, eoque ſucceſſu minus proſpero uſus pacem iniquis conditioni-
bus cum Scotis pepigiſſet, illi multo ex ea benignitate inſolentiores
p. 144. facti, iterum arma capiendi neceſſitatem Regi imponunt. Etſi vero
ingentes,adScotos in ordinem redigendos,pecunias Regi ſponte mini-
ſtrarent viri in Eccleſia & Aula præcipui, attamen cum & Angli A.
p. 147. 1640 in Parliamento congregati a bello Scotico *abhorrerent*, *atque*
Rex indignabundus altero ſtatim menſe Parliamentum diſſolviſſet,
acceſſit ex his turbis animus Scotis, ut ipſi Angliam invadere, quam
p. 152. præſtolari intra ſuos fines Regium exercitum, ſatius putarent. Tan-
dem actum iterum de pace, & miſſi ſunt a Scotis Londinum, qui An-
glorum quoque ritus ſacros ad ſuum ingenium reformarent & com-
ponerent. Proinde paſſim Presbyteriani ex omni Anglia Londinum
convolabant, qui Timotheum & Titum fuiſſe Epiſcopos publice
p. 153. negabant, & honoris, ſi nomen Chriſti audiretur, ſignificationem
externam adeo non probabant, ut publice divenderent librum, cujus
titulus: *Jeſus-Worſhip confuted* (cultus Chriſti confutatus.) Con-
vocato inde rurſus Parliamento, primus,quem Regi fidiſſimum nove-
rant, Straffordius petitur, cumque poſt multam altercationem morti
p. 161. damnat major pars; fuere enim diſſentientes quinquaginta ſex, at-
que inter hos noſter quoque Warwickius, quorum nomina paſſim
in urbe Londinenſi & Weſtmonaſterienſi affigebantur, quo majori
p. 136. deinceps objicerentur periculo. Eam condemnationem cum Rex ſua-
ſu Uxoris ratam haberet, tantas tumultuanti plebi vires addidit, ut
p. 164. nihil non in ſui gratiam Regem ſperarent facturum. Ideoque com-
muni gaudio tranſactus is dies Londini eſt, quo ſumptum a *Straffor-
dio* ſupplicium, ut illa veſpera feneſtris eorum non parceretur, qui
ignem in gaudii ſignum accendiſſent nullum. Hinc de *Laudi* quoque
Archi-Epiſcopi ſupplicio per πρόληψιν agitur,quod *ſolo Parliamenti*
p. 168. decreto(novo vocabulo *Ordinance* vocabant)procuratum eſt A. 1644,
ne

ne quidem deſiderato Regisconſenſu. In eo vero id imprimis miratur Noſter, quod cum illi mortis violentæ quidam a natura horror ineſſet, magno tamen animo id ſupplicii genus ſubierit. Abrogatis interim multis collegiis, inter alia nova decreta id quoque ſancitum, ut Parliamentum, quousque ipſum vellet, continuaretur, neque minus Rex, ſuadente iterum Uxore, quæ ad omnem motum trepidabat, aſſenſum præbuit, eoque modo ſe ipſum omni poteſtate exuit. Tum de ejiciendis e Senatu Epiſcopis deliberatum eſt, cumque major pars Nobilium ab eo conſilio diſſideret, excitatus a plebe Londinenſi tumultus, neque noſter Warwickius longe hic a periculo abfuit. Profectus inde ad Scotos Rex, quos modo inimiciſſimos expertus erat, honoribus auxit. Quare viciſſim illi publica lege injuſtum id bellum pronuntiarunt, ſi quod absque auctoritate Regis deinceps decerneretur. Interea vero gravis in Hibernia naſcitur ſeditio, auctoribus Pontificiis, quos cum Rex eſſet in ordinem redacturus, non modo negata ipſi ab Anglis ſubſidia, ſed & digna viſa eſt eis occaſio exercitus penitus ſibi devinciendi, quemadmodum ſane factum. Nam ſero, ut apparuit, criminis læſæ Majeſtatis Rex accuſabat e Parliamento nonnullos, quippe qui re a Comitiſſa de Carlisle (quæ poſt Straffordii cædem Pymio, harum turbarum auctori præcipuo, favebat admodum) prodita, in tutum ſe receperant initio, atque poſt unum alterumve diem a cohortibus civicis Parliamento reſtituti eo rem tandem perduxere, ut Rex una cum Conjuge & Filia Londino profugus, Eboracum A. 1642 concederet. Quæ cum ita fierent, fatetur Auctor, ſe cum opem Regi, velut olim Davidi, a Deo latum iri in eo diſcrimine fruſtra ſperaſſet, in mœrorem quendam ac diffidentiam, quam vocat, incidiſſe, ut ex eo tempore *de cognitione Dei & ſui ipſius ex lumine naturali & revelato* librum ſcribere occœperit. Exinde quæ partium ſtudia in univerſa Anglia fuerint, accurate deſcribitur, & poſt alios Ruperti Palatini character inſeritur, Principis fortiſſimi, ſed qui ex ſuo ingenio omnia geri pertinacius voluit; ex quo coorta inter eum ceterosque belli duces ſimultas eſt, quæ, cum Rex auctoritate ſua mature ſatis non uteretur, magno illi poſtea damno fuit. Dum vero de belli ducibus mentionem hic facit Auctor, Jacobi Ashly imprimis commendat pietatem, quandoquidem in pugnam prodiens, ſublatis in cœlum manibus, exclamaſſe fertur: *Bone Deus, noſti quam*

p. 171. p. 175. ſqq. p. 181. ſ. p. 184. p. 186. p. 193. p. 199. p. 200. p. 203. p. 204. p. 205. ſ. p. 207. p. 226. ſ. p. 228. p. 229.

me oporteat hodie eſſe occupatum: quodſi me tui contingat oblíviſci, noli tu tamen mei dememiniſſe; atque illico inde ad milites converſum
p. 235. ſ. proclamaſſe: *agite, ite in campum.* Contra in Novi Caſtri Duce poetici obſervat nonnihil fuiſſe ingenii, quod militem haud deceat; quare Wilhelmum Davenantium, Poëtam Anglum non incelebrem, ſibi ſubſtituerit Locumtenentem Generalem, cujus conſuetudine factum, ut belliſſimam ſæpe vincendi occaſionem amitteret. Poſtquam vero, qua felicitate uſus initio Rex fuerit, & quoties de pace agitatum fruſtra Regem inter & rebelles, dictum eſt, Cromwelli imprimis, qui res proſtratas reſtituit, characterem repræſentat Noſter.
p. 247. ſ. In hoc enim, quem primum A. 1640 viderat in Parliamento, minus, quam Nobilem deceret, apto habitu indutum, nec quicquam urbanitatis præ ſe ferentem, vix ſatis mirari poſtea potuit *majeſtatem &*
p. 249. mores habitumque Rege dignos. A Medico ejus D. Simcott narratum acceperat, eum juvenem admodum fuiſſe ſpleneticum, & frequentibus perturbationibus obnoxium. At adultior factus peſſimis flagitiis ſemet commaculavit, quorum tamen pœnitentia motum ſe ſimulans, publice poſtea ſignificavit, ſe quibuscunque injuriam intuliſſe depre-
p. 250. henderetur, ſatisfacturum candide, atque in eorum una caſtra ſe
p. 252. ſ. tranſtulit, qui apparitiones & inſpirationes jactabant. Neque alienos ab iſtis nugis habuiſſe in exercitu milites fertur, qui quantum a Venere & comeſſationibus abſtinebant, tantum ſuperbia peccabant & perfidia in Regem. Sed ut in orbem revertamur cum Auctore noſtro, conſtat equidem, ſat proſperos Regi ſucceſſus fuiſſe, donec
p. 268. Scotis circa annum 1644 Angliam ingreſſis, Dux Hamiltonus, qui ſecreti cum iis conſilii accuſabatur, in carcerem mitteretur, ejusque provincia Ruperto Principi demandaretur. Nam ex eo tempore res Regis admodum collapſæ ſunt; quemadmodum ſtudioſe advertit War-
p. 278. wickius. Tametſi enim Eboracum fruſtra per duos menſes Scoti Anglique obſediſſent, Novi Caſtri Duce fortiter urbem tuente, & i-
p. 279. pſa initia pugnæ prope *Marſton-moor*, quæ in diem tertiam Julii A. 1644 incidit, adeo eſſent ſecunda, ut Lesleus & Fairfaxius cum maxima exercitus parte fugam capeſſerent, poſt biduum ad ſuos demum re-
p. 280. verſi; attamen exitus ejusdem pugnæ fuit longe infeliciſſimus. Quippe Cromwellius, rei bene gerendæ occaſionem forte nactus, Rupertum tandem acie excedere cum paucis copiarum reliquiis compulit,
Novi

Digitized by Google

Novi Caſtri Duce aliisque belli imperatoribus adeo repente perculſis,
ut Hamburgum e regno ſe reciperent. Tum vero & occupatum Ebo- p. 286.
racum,& Rex ipſe ad Spinas primum,iterumque A. 1645 prope *Naisby*
majori clade victus, cujus hanc Auctor fuiſſe ait cauſam, quod Rex
copias univerſas tempeſtive non univiſſet, adeoque cum ſinguli pu-
gnarent, ſinguli victi fuerint. Neque ſane felicior fuit Digbæi in p. 289.
Scotiam expeditio, quippe qui, antequam copias ſuas cum Comite
Montroſſio, qui prope ſeptem millia Scotorum Regi fidem ſervanti-
um habebat in exercitu, jungere poſſet, in ipſo itinere victus & fu-
gatus eſt. Inter hæc Galli ſuis rebus ſtudebant, ac multis tandem ra- p. 292.
tionibus Montrevillius legatus Gallicus perſuadebat Regi, ut ad Sco-
tos ſe conferret, promiſſa largiter non modo corporis, ſed & hono-
ris & conſcientiæ ſecuritate. Itaque nemine præter Hudſonium & p. 293.
Ashburnhamium comitante, Oxonio A. 1646 excedens, ad Scotorum
exercitum præter ſpem omnium venit. Verum quam parum ſer- p. 295.
vata illa promiſſa fuerint, abunde tum apparuit, cum quater centum
mille libris Sterl. cujus ſummæ dimidium perſolutum ſtatim eſt,An-
glis venderetur, quamvis etiamnum libertatis quædam umbra ſuper-
eſſet. Quamobrem nec erat de ſe ipſo nimium ſollicitus Rex, pau- p. 297.
cis licet ſtipatus miniſtris,quin ſupra querelas ſe & lamentationes con-
ſtitutum eſſe Autori noſtro affirmabat; neque ſpes omnis concili-
andi populo Regis aberat. Aſt enim vero dum Independentium & p. 298.
Presbyterianorum ſectæ ſuis quæque commodis ſtudent,exercitus Du-
ces,temporis opportunitate utentes,rem novam aggrediuntur,& e ſin-
gulis legionibus ſingulos,quos vocabant, *Agitatores* legunt, qui exer-
citus commoda procurent. Hinc antequam Rex poſſet Parliamenti
juſſu deferri Londinum, mittitur cum paucis militibus ſignifer eque-
ſtris *Joyce*, Regem ad exercitum deducturus. Quo loco notamus o- p. 299.
biter facetum Regis dictum, quandoquidem, cum Joycius de manda-
to rogatus milites ſuos demonſtraſſet, *na! mandata tua*,dixit, *ſunt le-
ctu nequaquam difficilia, & facile in oculos incurrunt.* Accuſatis ex- p. 301.
inde nonnullis Parliamenti membris, iisque fuga ſibi conſulentibus,
Fairfaxius & Cromwellius Londinum ingrediuntur; Carolus vero li-
beriorem pariter nactus captivitatem(Cromwellio quippe palam Re-
gi favente) a miniſtris ſuis haud prohibebatur. Nihilominus tamen p. 304.
ſibi male metuens, maxime ideo, quod a Cromwellio ceterisque du-

cibus

cibus ſecuritatis promiſſionem ſcripto impetrare nullam poſſet, ſecre-
to ſe ex Hamtoni Curia, quo loco commorabatur, ſubducit in inſu-
p. 309. ſ. am Vectem, ubi mox in manus Hammondi præfecti incidit. Duras
inde conditiones proponunt Angli, quas eo pertinacius recuſabat
p. 311. Rex, quod clam ei eodem tempore Scoti auxilia ſua pollicerentur. In-
de ne novæ conditiones offerantur, niſi propoſitas Rex admiſerit, Se-
natus-conſulto prohibetur, obſtinatis adeo & unitis eam in rem Par-
p. 312. ſſ. liamenti & militum præcipuorum animis, ut fruſtra a quibusdam *in*
exercitu, claſſe ipſa, & paſſim univerſa Anglia pro Rege conclamare-
tur. Atque iſtos ſane motus Cromwellius compreſſerat, prius-
p. 319. ſſ. quam Scoti Hamiltono duce Angliam ingrederentur, exercitu qui-
p. 316. ſſ. dem haud parvo, ſed conſilio imprudenti. Scotis enim a Cromwel-
lio victis, cum Hamiltonus una cum reliquiis in *interiorem Angliam*
penetrare, quam domum redire ſatius haberet, facile captus eſt ac te-
p. 321. meritatis ſuæ pœnam luit. Ex eo tamen rurſus Angli, ut bellorum
pertæſi viderentur, mittebant qui cum Rege de pace agerent; quibus
ut prudentiſſime ad ſingula Rex ipſe reſponderit, pro eo ac potuit
p. 333. diligenter adnotavit Warwickius. Porro dum utraque Curia ſalu-
p. 332. tem Regis procurat, Fairfaxii juſſu Rex, multis antea inſidiis fruſtra
tentatus, in arctiora vincula mittitur, & Londinum abſtrahitur. *Hic*
uti coram tribunali cauſam ſuam egerit, & contra jus fasque fuerit
condemnatus, alii prolixius ediſſerunt. Qua vero conſtantia ad
p. 134. mortem ipſam duraverit, hic quoque nonnullis exemplis docetur. Ni-
mirum nocte illa, quæ proxime præceſſit ejus ſupplicium, ſecure dor-
mivit, neque unquam mutavit mores vel faciem, niſi quod morti vi-
p. 345. cinus, cum vim ſibi paratam animadverteret, ni ſponte collum ſuppo-
nere ſecuri vellet, paulum ſubriſit. Dicendum eſt autem hoc loco
aliquid de ejus charactere, quem ſupra, ne ordinem turbare videremur,
p. 64. prætermiſimus. Etſi natura eſſet parum firma Carolus, illud tamen
temperantia & uſu conſecutus eſt, ut inter tot turbas nunquam
in morbum inciderit. Tres patinas apponi menſæ ſuæ, nec plures vo-
luit, totidemque vitra, quorum primum cereviſia, alterum *vino, ter-*
tium aqua repletum fuit. Extra prandium cœnamve cibi nunquam
p. 65. aliquid ſumpſit. Cum eſſet majeſtate undique conſpicuus, *liberrime*
tamen cum eruditis & mechanicis verſabatur, ut *ſæpe ab illo* doctio-
res receſſerint; atque ipſe profecto ad exemplum Franciſci I, Regis
Gal-

Galliæ, plus rerum uſu, quam ex libris, quos pauciores habuit, didicit. Modeſte nec ſine gravi ratione cum aliis diſputabat, uſus his frequenter formulis: *by Your Favour, Sir, I think otherwiſe*, id eſt, feras me haud gravatim ea in re diſſentientem. Nota eſt præterea ejus pietas & rerum, quæ ad Eccleſiam Anglicanam ſpectabant, cognitio, ut ab ipſo ſcriptum eſſe librum Εἰκὼν βασιλικὴ ſit admodum veroſimile; nec fuit, uno verbo, quod in illo poſſet reprehendi, niſi quod fatis ſuis nimium ceſſit meticuloſe. Sequuntur deinde Commentarii rerum in Anglia poſt Caroli I mortem, usque ad Caroli II reſtaurationem geſtarum. Hic quibus artibus Cromwellius ad faſtigium pervenerit, breviter delineatur, tum quæ jurejurando confirmaverit, parum quidem ſervata. Nam cum primum Parliamentum Calendis Septembris A. 1654 convocatum, neque ante quinque menſes diſſolutum iri promiſiſſet, contra tertio Septembris die, qui ejus præliis fuerat ſemper auſpicatus, congregari Parliamentum voluit, & cum inter Aſſeſſores, qua auctoritate convocati fuerint, acriter diſputaretur, nondum elapſo quinque menſium ſpatio dimiſit. Congregato poſt ea A. 1656 novo Parliamento, quo ſecludebantur, quicunque novo Protectori eſſent ſuſpecti, offertur Cromwellio axioma Regium, quod non tam modeſtia recuſavit, quam ne exercitus, Presbyterianorum item, Independentium ac ceterorum omnium benevolentiam amitteret. At novum ea occaſione ſplendorem titulo Protectoris conciliat, ſuosque miniſtros tum primum habitu a ceteris diſtinguit, & Richardum majorem natu filium creat Cancellarium Oxonienſem, Henrico vero minori Hiberniæ præfecturam tradit. Hac felicitate fretus convocat iterum Parliamentum A. 1657, admiſſis quoque iis, quos ante annum rejecerat, & conſtituta nova quadam Curia, (nam hactenus abrogata ſuperiori penes ſolam inferiorem auctoritas aliqua permanſerat,) quæ ſuperiori non erat abſimilis, quamque *alteram Curiam* (the other Houſe) vocabant. Verum hic parum aberat, ut reſcinderentur ſuperioris Parliamenti acta, niſi poſt dies circiter ſedecim Cromwellius, irato animo curiam intrans, rurſus congregatos diſſolviſſet. Equidem & neceſſarii ejus & propinqui de nova Reipublicæ forma tum cogitabant; quæ res eum mire vexavit, donec tandem fatali die 3 Septembris A. 1658 e vivis exiret. Aſſeveravit vero Medicus ejus, febri correptum ſubito in delirium incidiſſe, adeo ut de ſucceſſo-

p. 67. ſ.
p. 369.
p. 375. ſ.
p. 380. ſ.
p. 382.
p. 383.
p. 386.
p. 37.
p. 388.

ceſſore ſuo, rebusque deinde ordinandis, nihil certi vel conſiderati ſta-
p. 389. tuere potuerit, etſi facile invenirentur, qui Richardum filium, velut a Cromwellio deſignatum ſucceſſorem eidem faſtigio admoverent. Denique quo pacto mutata ſæpius regiminis forma, quibusque Monkii artibus eo res perducta fuerit, ut Carolus II quaſi poſtliminio in
p. 437. Regnum reduceretur, Londinum die 29 Maji, ipſo die natali, A. 1660 inter fauſtas & votivas acclamationes ingreſſus, præclare Warwickius deſcribit.

GERARDI NOODT, JURISCONSULTI, JULIUS Paulus, ſive de Partus Expoſitione & Nece apud Veteres liber ſingularis.

Lugduni Batavorum apud Fredericum Haaring, 1700, in 4. Conſtat 12. plag.

UTi non infrequens Gentium moratarum & barbararum eſt diſtinctio, ita applicatu oppido arduum videtur, quænam natio hoc aut illo titulo ſit inſignienda, cum illa res plerumque affectu ac innata ambitione definiatur. Illud certum, quod Gentes, quæ, aliis non valde reluctantibus, moratiores ſibi viſæ ſunt, peſſimis ſæpe vixerint moribus, indicio non adeo fallaci, jactatam morum elegantiam plerumque nihil aliud eſſe, quam ſplendida vitia exactamque ad regulas artis vanitatem. Liquet hoc Græcorum Romanorumque exemplo. Hi quidem gentium moratarum titulo olim valde fuerunt tumidi, aliasque nationes velut barbaras inſulſasque præ ſe deſpexerunt; ſed nullum delicti criminisve genus temere reperias, quod non in utraque gente fuerit frequentatum, ac in publicos propemodum mores abierit; ceu ex illorum temporum ſcriptoribus Hiſtoricis Satyricisque ſatis conſtat. Inprimis enormis ac omnem humanitatem ſupergreſſa feritas erat, qua liberos recens natos impune vel necabant, vel abjiciebant, eodem facinore & hominum & parentum perſonam exuentes. Barbarum hunc morem occaſione *l. 4. ff. de agnoſc. & alend. lib.* in qua Paulus: *necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, ſed & is, qui abjicit & qui alimonia denegat, & is, qui publicis locis miſericordiæ cauſa exponit, quam ipſe non habet*, graviter pronunciat, Doctiſſimus Autor, ex amœnioris Jurisprudentiæ ſcriptis magnam famam dudum conſecutus, ſingulari libro egregie illuſtra-

ſtravit. Levaturus enim dolorem, acerbo dilectiſſimæ Conjugis obitu ſibi inflictum, humanitatis ſtudia, præcipuum in adverſis remedium, adhibuit, quibus ut falleret ſolitudinis ſuæ infelices horas, hoc opus, ut paſſæ res ſunt, conſcripſit, prout ipſe in dedicatione Affini facta, admonet. In Græcis igitur fuiſſe quidem Gentes, quarum inſtitutis eſſet prohibita liberorum expoſitio, ſed fuiſſe alias & plures forte, apud quas in parentum eſſet poteſtate, liberos recens natos, ſi eis videretur, tollere, ſin minus, necare aut exponere, auctoritate Ariſtotelis, Æliani & Plutarchi Noſter *c. 1* oſtendit. Apud Romanos ex lege Romuli, teſte Dionyſio Halicarnaſſeo, oportebat cives tollere omnem virilem prolem & e filiabus primogenitas; præterea ante biennium ſobolem occidere nefas erat, niſi infans in ipſo partu editus eſſet mutilus aut monſtroſus. Tales enim fœtus a parentibus exponi, minime vetuit Romulus, modo ſi prius oſtenſi eſſent quinque vicinis proximis, & hi eos quoque exponendos eſſe cenſuiſſent. Iſtam Romuli legem confirmarunt deinde Decemviri in Duodecim Tabulis, atque ita aliquem impietati finem poſuere. Sed mali mores longius ſunt progreſſi, quando, ſublatis illis reſtrictionibus, parentum arbitrio ſine diſcrimine reliquerunt, utrum liberos ſanguinolentos tollere, an exponere necareve vellent. Atque illi mores valuerunt temporibus Principum, ſub quibus floruerunt Jureconſulti, ex quibus excerpta ſunt Pandectarum fragmenta; quod cum aliis, tum præcipue Taciti, de Judæis ac Germanis, quod *numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare* non ſoleant, velut rem Romanis novam ac admiratione dignam annotantis, teſtimonio probatur, prout hæc *cap. 2* pluribus deducuntur. Neque vero illi mores, docente *cap. 3*, ſunt expuncti SCto Planciano, neque altero illo, quod tempore Hadriani factum dicitur, neque reſcripto Divorum Fratrum, neque edicto Prætoris, neque remedio, quod majori trimo extra ordinem indulgetur. Nam illorum omnium cura ultra remedium civile privatumque intereſſe non aſſurrexit, crimini vero expoſitionis impunitas iis haud fuit negata; nam hanc etiam poſt illa duraſſe, nonnullis veterum, Tertulliani puta, Juſtini Martyris, Apuleji, Quintiliani, Scævolæ in *l. 29. de manum. teſt.am.* nec non Imperatorum Diocletiani & Maximiani in *l. 16. C. de nupt.* teſtimoniis amplius *cap. 4* confirmatur. Imo etiam ſub Chriſtianis

Imperatoribus, ac nominatim ſub Conſtantino, licitam impunitamque fuiſſe infantum expoſitionem, autoritate Julii Firmici Materni Lactantii, ac ipſarum Conſtantini legum, quarum altera in *l. 1. C. Th. de alim. quæ inopes Parentes de publico petere debent*, altera in *l. 2. C. de Patrib. qui fil. diſtraxer.* habetur, Noſter in *cap. 5* evincit. Primi autem expoſitionem infantum prohibuerunt Imperatores Valentinianus, Valens & Gratianus, quando juxta doctrinam *c. 6*, in *l. 2. C. de infant. expoſ.* ſanxerunt: *Unusquisque ſobolem ſuam nutriat, quod ſi exponendum putaverit, animadverſioni, quæ conſtituta eſt, ſubjacebit.* Circa quam ſanctionem id non adeo expeditum, quæ ſit illa *animadverſio conſtituta*, quam infantum expoſitoribus minantur Imperatores. Hubertus Giſanius ignorantiam hic fere fatetur, ſed Accurſius animadverſionem eam extraordinariam eſſe ſuſpicatur, additque etiam teneri patrem, quaſi occiderit filium. Inde huc fere devenitur, ut, quisquis infantem non occidendi animo, ſed quo evitet alimentorum onus, aut quam infamiam, aut quid ſimile, alienæ miſericordiæ aliquo celebri in loco expoſuerit, tantum extra ordinem puniatur; ſin eum in flumen, in ſylvam, inve quam aliam ſolitudinem abjecerit, aquis, fame, frigore aut ferarum laniatu conſumendum, quia necis conſilium habuit, Lege Cornelia de ſicariis, aut Pompeja de parricidiis coerceatur. In cujus ſententiæ confirmationem præcipue citantur *l. 1. §. 4 de agnoſ. & alend. lib. l. 9. C. de patr. poteſt.* & *l. 4 de agnoſc. & alend. lib.* ſed quam illa, ac in primis textus Pauli in *d. l. 4.* a ſcopo abludant, Conſultisſimus Autor in *d. c. 6* prolixius demonſtrat. Cum vero Accurſius ejusque ſectatores argumento, quod a conſequentia rationis aut dicti deſumitur, in eam permoti videantur ſententiam, hinc facta aliqua digreſſione, Noſter in *cap. 7.* per exempla, tam ex Autoribus claſſicis, quam jure Romano depromta, quam lubricum ſit illud argumentandi genus, deducit, ut hac obſervatione aliquanto certior fiat ſententia Pauli, & ſimul appareat, eis, qui ad eruditionem, illam juſtam ac maſculam, bona enituntur fide, in exponendis Veterum Auctorum ſcriptis, deinceps parcendum eſſe argumentis tam levibus & fallacibus. Inde ſpeciatim *cap. 8* contendit, ex eo, quod Paulus dicat, *necare videri non tantum eum, qui partum perfocat, ſed & eum, qui abjicit, & qui alimonia denegat, & eum, qui publicis locis miſericordiæ cauſa* ex-

exponit, quam ipſe non habet, male & imperite colligi, infantis perfocationem, abjectionem atque expoſitionem, Pauli tempore, obnoxiam homicidii aut parricidii pœnæ fuiſſe. Paulum enim id neque ſenſiſſe, nec ſentire potuiſſe, uſu fori palam iſti ſententiæ repugnante, verum reſpexiſſe eum non ad juris regulas, ſed præcepta: illæ foro ſerviunt & legum tabulas ſequuntur, hæc vero non ad forum, ſed ad officium viri boni & ſancti ſpectant, nec quid populi legibus moribusque impune fiat, ſed quid pietas, honeſtas, verecundia, denique ratio velit, conſiderant; ut ſententia Pauli huc tandem redeat, in foro quidem conſcientiæ, & perfocationem & abjectionem & expoſitionem partus eſſe illicitam, in foro tamen externo illa impune fieri. Atque illum Pauli ſenſum a nullo, quantum ſciat, animadverſum, Lactantii, anguſtias juris civilis, in hujus generis rebus, ab officio viri juſti & ſancti, ex ſeculi ſui diſciplina, accurate diſtinguentis, nec non Juſtini Martyris teſtimonio amplius Noſter illuſtrat. Quibus præſtructis, in *cap. 9* docet, per *conſtitutam animadverſionem* in *d. l. 2. C. de infant. expoſit.* intelligi capitalem atque ex lege Cornelia de ſicariis infligendam pœnam; id quod autoritate *l. 8. C. ad L. Cornel. de ſicar.* probat, in qua iidem Cæſares, Valentinianus, Valens & Gratianus ſanciunt: *ſi quis necandi infantis piaculum aggreſſus aggreſſave ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum.* Hunc enim textum neque de quocunque, etiam jam agnito alique juſſo, infante, ceu præcipit Cujacius, neque de liberorum immolatione, olim in Africa fieri ſolita, prout conjectat Rævardus, ſed de infantibus ſanguinolentis, ſeu recens natis, quorum cædes, juxta votum omnium Virorum bonorum & ſanctorum, ſub capitali pœna prohibeatur, eſſe exaudiendum (quod Lipſius ſubodoratus eſt, ſed non explicavit,) Noſter evincit. Nimirum utraque lex eosdem habet Autores, eodem etiam anno, ad eundem Magiſtratum, Probum ſcilicet Præfectum Prætorio, eſt perſcripta, ita quidem, ut *d. l. 8. C. ad L. Cornel.* præceſſerit, ſed *d. l. 2. C. de infant. expoſit.* paulo poſt fuerit ſecuta, inſcriptione & ſubſcriptione illa omnia probantibus. Hinc probabilis ſumitur explicatio, in illa cædem recens natorum ſub pœna capitali eſſe prohibitam; in hac vero pœnam ad eos quoque, qui in celebri aliquo loco eos expoſuerint (circa quos alias non leve erat dubium, cum non perinde ac illi, necandi infantis piaculum aggreſſi videri queant,) extenſam.

Cum etiam, pro explicando Paulo, diſcrimen *regularum* & *præceptorum juris* in *c. 8* fuerit inculcatum, hinc illud Noſter in *cap. 10* ex ſententia Veterum amplius declarat, ac quod, miteſcentibus paulatim hominum ingeniis, aliquando eveniat, ut quæ ante erant in præceptis, deinde ad juris regulas tranſeant, in *cap. 11* expoſitionis infantum, procurationis abortus, fidei commiſſorum, teſtimonii familiæ emtoris & heredis, beneficii ordinis fidejuſſorum ac ſtipulationum jocandi animo factarum exemplis demonſtrat, excitato ſublatoque eleganti quoad duo priora dubio, quod memorare liceat. Scilicet jam tempore Ciceronis punitæ fuerunt mulieres, quæ partum abigerent, ceu ex ejus Oratione pro Cluentio Avito oſtendit Tryphoninus *in l. 39. ff. de pœn.* adjiciens, mulierem, quæ poſt divortium viſceribus ſuis vim intulerit, ne jam inimico marito filium procrearet, etiam ab Imperatoribus temporali exilio coercitam fuiſſe. Non igitur dubium videtur, quin tum quoque punita fuerit infantum occiſio aut expoſitio. Sed reſpondet Noſter, Ciceronem loqui de Aſia, in qua legibus moribusque alicujus gentis, quæ ſuo jure uteretur, quod multis contigerit, ſic recte potuerit judicari. Aſt uſu juris Romani, procurationem abortus a ditioribus fœminis Romæ quotidie, & ſi fides Juvenali, fere palam admiſſam, & tamen impunitam fuiſſe. Et licet eam, velut extraordinarium crimen, Severus & Antoninus, ad quos JCtus Tryphoninus in ſua additione probabiliter reſpexit, puniri juſſerint, quod indignum ipſis fuerit viſum, mulierem impune maritum liberis fraudare poſſe; attamen expoſitionem & occiſionem infantis recens nati usque ad Valentinianum, Valentem & Gratianum, extra pœnam manſiſſe, Noſter cenſet. Neque enim eadem, quæ circa abortus procurationem occurrebat, prohibitionis ratio, in hoc etiam delicto locum invenit.

INSIGNIUM VIRORUM EPISTOLÆ SELECTÆ, quæ nunc primum prodeunt ex Bibliotheca JANI GUILIELMI MEELII, J.C.

Amſtelædami, ex typographia Halmiana, 1701. 8. Plag. 12.

ANtonii Matthæi, JCti Clariſſimi, veſtigiis inſiſtere voluiſſe videtur Doctiſſimus Meelius, quando, uti ille Andreæ *Alciati* contra vitam monaſticam ad Bernardum Mattium epiſtolam, variis Giſanii, Vulcanii, Brahei, Scriverii, Pontani, Voſſii, Sibrandi, Siccamæ, Grono-

Gronovii, Boxhornii & aliorum nondum antea editis ſtipatam, in lucem publicam emiſit, (vide Acta noſtra A. 1696. p. 290. ſeq.) ſic ipſe quoque hanc epiſtolarum hactenus ἀνεκδότων ſupellectilem communi conſecrare uſui dignatus eſt. Et iſtas quidem in quinque diviſit decurias, quarum prima Grotii vel ad Grotium, ſecunda, tertia & quarta Scriverii vel ad eundem, quinta vero variorum ad Barlæum datas literas complectitur. Ex his *Jo. Arcerius*, Pater, *Sixtusque* Filius duas ad Scriverium, *Jo. Beverovicius* totidem ad Barlæum, *M. Z. Boxhornius* & *Cornelius Boyus* uterque unam ad eundem, *Arnoldus Buchellius* ut ſeptem ad Scriverium, ſic unam ad Barlæum, *Pancratius Caſtricomius* ad Scriverium duas, totidemque ad H. Grotium, *Jo. Cordeſius* & *Ubbo Emmius* quatuor ad Scriverium, *Hugo Grotius* duas ad Fratrem, unamque ad Sigilli Cuſtodem, *Janus Gruterus* unam ad Scriverium, duas vero *Jacobus Hovius*, *Conſtantinus Hugenius* unam ad Barlæum, unicam quoque ad Scriverium *Gothofredus Jungermannus*, duas ad Grotium *Georgius Michael Lingelshemius* & ſingulas itidem *Benjamin Aubery du Maurier* atque *Marinus Merſennus*, quatuor ad Scriverium *Joannes Meurſius*, unam ad Barlæum *Reinerus Neuhuſius* & *Jo. Scototarvatius*, Arnoldo Buchellio duas, Adriano vander Burchio unam, Joanni Lydio tres, & Joanni Iſacio Pontano unam *Scriverius*, Barlæo unam *Guil. Staackmans*, unam *Nicolaus Vaſſanius* Scriverio, & *Joachimus Vicquefortius* Barlæo, & *Gerardus* denique *Joannes Voſſius* Hugoni Grotio ſcripſere. Ex earum autem argumentis paucula hæc delibabimus. Pag. 2. ſ. Lingelshemius Jani Douſæ luget obitum, & Thuani hiſtorias commendat. Pag. 5. idem Scaligeri fabulam Burdonianam laudat, viciſſim vero in Scioppium, famam Scaligeri, Caſauboni & Thuani arrodentem invehitur. Pag. 10. Grotius de ſua induſtria agit, qua gnomas Græcorum Patrum, quæ ſunt apud Stobæum, Latine verterit. Pag. 17. ſ. ea idem excuſat, quæ poſt ſuam e carcere liberationem ſuſceperit. Pag. 50. Meurſius Scriverio ſignificat, ſe ex Arnobio, quem ruri ſecum habuerit, errata plus minus 450 ſuſtuliſſe. Pag. 52. ſ. idem Decerminum libros, Agelliumque & JCtorum fragmenta a Scriverio evulganda laudat. Pag. 58. Scriverius diligentiam ſuam in novam Martialis editionem impenſam exponit Adriano vander Burgio, quam ut maturet, Meurſius eundem p. 63. excitat. Pag. 69. que-

ritur

ritur Janus Gruterus, quod Salluſtium ſuum atque Tacitum Palthenius Bibliopola edere tergiverſetur. Pag. 74. Deſiderii Heraldi animadverſiones in librum Jamblichi de vita Pythagoræ, nec vanas nec ineruditas videri, ad Scriverium ſcribens obſervat Gothofredus Jungermannus. Pag. 82. ſ. duabus in epiſtolis Scriverius cum Jo. Lydio de editione epiſtolarum Eraſmi confert. Pag. 80. & 90. quædam ad initia Academiæ Groninganæ A. 1614. fundatæ ſpectantia, a Caſtricomio & Jacobo Hovio nunciantur. Pag. 97. Ubbo Emmius dolet, quod Hiſtoriæ Friſiæ abs ſe concinnatæ chartas Chorographicas inſeri Bibliopola noluerit. Pag. 101. idem Scriverio narrat, quod D. Eitzo Tiarda totus mente motus fuerit. Pag. 111. Scriverius Jo. Lydium excitat, ut, quem affectum habeat, tractatum de Friſiæ Apoſtolis ſeu de Doctoribus, qui inferiorem Germaniam prima luce Evangelii illuſtrarunt, edere haud pigretur. Pag. 129. adverſus Boxhornium pugnat ſcribens ad Scriverium Arnoldus Buchellius, & aquilas bicipites Imperatorum longe ante Carolum V. invaluiſſe oſtendit: pag. 131. de Leone Hollandico diſſerit, & in Boxhornii theatro Hollandico παροράματα nonnulla taxat. Pag. 147. exhibetur Conſtantini Hugenii ad Caſp. Barlæum epiſtola, qua hujus ille epigramma, quod in liberatum obſidione Trajectum ad Moſam per tentatam Bredæ obſidionem compoſuerat, erroris alicujus reum agit. Pag. 166. ſ. Boxhornius coram Barlæo de prurigine ſcribendi, qua ſe laborare fatetur, jocos ſpargit. Pag. 178. Reinerus Neuhuſius, Gymnaſii Alcmarienſis Rector, eidem Barlæo exponit querelas ſuas de præpoſtera adoleſcentum plurimorum conſuetudine, juxta quam mature nimis ad Academias provolent. Cæterum non paucis ex harum epiſtolarum numero Eruditisſimus Editor notulas ſubjunxit, quæ ad obſcuriora earundem loca illuſtranda faciunt.

HYACINTHI CHRISTOPHORI I. C. Neapolitani de Conſtructione Æquationum Libellus.

Neapoli ex typographia Joſephi Roſelli 1700, in 4.
Plag. 11.

IN dedicatione & præfatione libelli, qui Illuſtris *Magliabechii* cura nuper ad nos pervenit, dicitur Eruditiſſimi *Autoris* patrem Bernardum fuiſſe molitum Vitas illuſtrium virorum, qui cum Jo. Joviano

viano Pontano Neapoli floruerunt, & ſimul ortum & progreſſum A-cademiæ ejus dediſſe, ſub titulo *Academia Pontani*. Ibi eum voluiſſe quoque tradere diſciplinarum ſucceſſionem inde a Cadmo, ſed poſt mortem ejus opus ex Muſeo fuiſſe furto ſublatum. Itaque ſe ad evitandos hujusmodi caſus, opuſculum hoc, ſuadentibus amicis, Nicolao Galitia & Joſepho Lucina, exire paſſum. Scopus Clariſſimo Autori eſt promovere Analyſin, & tradere conſtructionem æquationum tertii aut quarti gradus unicam ſimpliciſſimam, non inconſtanti methodo, modo per cuborum latera, modo per lineas circulis inſcriptas, ut ab aliis traditam. Proponatur invenienda conſtructio æquationis quatuor dimenſionum (primo) $x^4 = px^3 + qxx + rx + s$; cui addendo utrobique $- px^3 + \frac{1}{4}ppxx$, fit (2do) $x^4 - px^3 + \frac{1}{4}ppxx = (q + \frac{1}{4}pp)xx + rx + s$. Aſſumatur (3tio) $xx - \frac{1}{2}px = ay$ Ea eſt ad parabolam ex Pappo in fine lib. 4; quia rectangulum ſub axe ejusve parallelis & parametro, æquale eſt rectangulo ſub baſis ſegmentis: poteſt autem intelligi parameter a, arcus parabolæ ABCD, cujus vertex B, baſis AFED, Axis BGF. Jam parameter ſit a, & CG ordinatim applicata $\frac{1}{4}p$, CE axi parallela (vel GF) ſit y; AE major baſis portio ſit x; ED minor portio $x - \frac{1}{2}p$, & prodit æqu. 3tia. Itaque Autor ait pag. 4, non recte a quodam memorari, hanc proprietatem fuiſſe veteribus Mathematicis incognitam. Porro (4to) adjungit Autor æquationem ad Hyberbolam $(aq + \frac{1}{4}pp)xx + aarx + a^3 s = aayy$. Potuiſſe & æquationes duas ad parabolas adhiberi, ſed & ſi in æqu. 4 pro x ſubſtituatur ejus valor $\frac{1}{2}px + ay$, prodire (5to) æquationem ad Circulum, nempe $xx + yy = (q + \frac{1}{4}pp + a)y + (\frac{1}{2}p + \frac{1}{2}qp + \frac{1}{8}p^3 + r)x + s$ Unde facilis oriatur conſtructio Æquationis I per circulum & parabolam; nec referre etſi aliqui termini deſint, æquationem autem trium æquationum ad quatuor extolli poſſe. Quæ quidem Analyſi Sluſianæ ſatis conſentanea ſunt. Ex his ait Clariſſimus Autor patere artificium conſtructionis Carteſii, quod ipſe abſcondiderit, ſed Fermatius in appendice ad Iſagogen Topicam detexerit, & ita lumen Autori præbuerit. Cæterum eos non habuiſſe opus, ut terminum ſecundum tollerent; ſuam autem methodum ait p. 20 non ſolum ſimpliciorem eſſe Sluſiana, ſed & Backeriana centrali apud Celeberrimum Stur-

mium relata in Matheſi Enucleata. Miratur etiam (pag. 31) Carteſium methodi ſuæ amplitudinis oblitum confugiſſe ad regulam Cardani vel Scipionis Ferrei, qui primus eam invenit, etſi Tartalea poſtea iterum invenerit, & cum Cardano communicarit. Sed in regula Cardani id ſingulare eſt præter conſtructionem, quod dat incognitæ valorem analyticum. Et Carteſius exemplum priorum ſecutus, operæ pretium putavit, omnes æquationes tertii & quarti gradus reduci ad inventionem duarum mediarum proportionalium & triſectionem anguli. De cætero Clariſſimus Autor p. 36 citat Viri Clariſſimi Antonii Monfortii tractatum de problematum determinatione.

Pergit Autor ad conſtructionem quarundam æquationum altiorum graduum. Exempli gratia ſit (1mo) $x^6 - px^5 + qx^4 - rx^3 + sxx - tx = 0$, quæ conſtruetur per (2do) $xx - \frac{1}{2}px = ay$; *id eſt* (3tio) $x^6 - px^5 + \frac{1}{4}ppx^4 = aayyxx$, æquationem ad parabolam communem, & (4to) per $(\frac{q}{a} + \frac{1}{4}\frac{pp}{aa})x^3 + rxx - asx + aat = yyx$ æquationem ad Cubicam Hyperbolam. Et hanc Methodum putat eſſe ſimpliciorem, (pag. 51) quam ſi cum Fermatio adhibeantur duæ tertii gradus curvæ. Sic æquationem ſeptimi gradus generalem conſtruit per duas curvas tertii gradus, quas Fermatius conſtruit per duas curvas quarti, ſed Carteſius quæſivit curvas quæ cum circulo conſtruerent. Cæterum æquationes ad tales curvas prolixiores ſunt, quam ut huc commode tranſcribi poſſint. Et tota hæc doctrina talium conſtructionum raro in uſum deducitur. Ait Dn. Autor, æquationes ſexti gradus, deprimi debere *ad quintum*, & octavi ad ſeptimum, ut conſtructionibus quas exhibet ſit locus. Sed nondum conſtat, qua ratione id fieri poſſit. Licet enim Carteſius methodum ad hoc promiſerit, nuſpiam tamen dedit, nec forſan erat daturus. Quod ſi hoc ſuppleret Autor doctiſſimus; item ſi curvas explicaret quæ una cum circulo altiores æquationes ſolverent, & ſimpliciſſimas curvas altiores, quæ id præſtarent combinatæ inter ſe; non contemnendum aliquid ad rem Analyticam eſſet additurus. Nec minus, ſi oſtenderet, quandonam eæ æquationes per inventiones mediarum, & ſectionem anguli, id eſt per Tab*ulas* Logarithmorum & Sinuum reſolvi poſſint. Comperimus *autem* æquationem ad *curvam rationalem*, quæ dimidii gradus ſit ejus cujus eſt æquatio conſtruenda, exponentem habens numerum parem; con-

conjunctam cum æquatione ad circulum, inſervire ad conſtructionem. Exempli gratia ſit Æquatio gradus octavi data conſtruenda (ad quem æquatio ſeptimi gradus exaltabitur) $x^8 + bx^7 + cax^6 + daax^5 + ea^3x^4 + fa^4x^3 + ga^5xx + ha^6x + ia^7 = 0$ ſit æquatio ad circulum $xx + yy + mx + ny + ap = 0$. Et æquatio rationalis ad curvam quarti gradus $y = 10x^4 + 11ax^3 + 12aaxx + 13a^3x + 14a^4, :, 21x^3 + 22axx + 23aax + 24a^3$ cujus ope tollendo y ex æquatione ad circulum, habebitur æquatio octavi gradus producta, quam comparando ſeu potius *identificando* cum data conſtruenda ejusdem gradus, invenientur literæ vel quantitates *aſſumtitiæ* m, n, p; & 10, 11, 12, 13, 14; 21, 22, 23; quantum ſatis eſt, ut determinetur circulus & curva conſtructrix. Quæ occaſione per recenſionem hujus libri oblata, adjicere operæ pretium putavimus.

D. JO. FRID. MAYERI HISTORIA VERSIONIS Germanicæ Bibliorum D. MARTINI LUTHERI.

Hamburgi, apud Godofredum Liebezeit, 1701, in 4. Alphab. 1. plag. 8.

DUm in eo verſatur Magnificus Mayerus, ut tomum ſingularem operum D. Lutheri editioni paret, quo ea Theandri ſcripta, vel certe aliorum ad rerum ab ipſo geſtarum dilucidationem apprime facientia monumenta, complecti animus eſt, quæ in ampliſſima collectione Altenburgenſi deſiderantur, nec unquam junctim uno volumine in lucem emiſſa fuerunt; hanc interim verſionis Bibliorum Germanicæ a Megalandro Luthero adornatæ Hiſtoriam erudito orbi legendam exhibet, quæ a varia eruditione non parum ſe commendat. Et capitum quidem illa Decade peculiari abſolvitur, in quorum *primo* initia, progreſſum & primam verſionis iſtius editionem commemorat. Iſto ſane tempore, quo Bibliorum verſiones Germanicæ admodum imperfectæ extiterint, Sacræque Literæ ad pauciſſimorum conſpectum pervenerint, Lutherum, poſteaquam ſemel in Sacras Literas inciderit, aſſiduum fere ac unicum in iis ſtudium collocaſſe ait; qua de cauſa is linguarum, quibus indigere ſe cognoverit, ſcientiam ſibi comparare modis omnibus allaboraverit. Facto autem translationis

Germanicæ initio a ſeptem Pſalmis Pœnitentialibus, quos non ex ipſis quidem fontibus, ſed vulgata verſione cum nova Reuchlini collata, vernaculo idiomate A. 1517 ediderit, progreſſum eum monet ad Pſalmos nonnullos alios ex Ebræo fonte convertendos, usque dum de Novo Teſtamento integro, tandemque & de univerſo opere Biblico lingua Germanica donando cogitaverit. Et iſtud quidem A. 1522 abſolutum fuiſſe obſervat; hinc A. 1523 Pentateuchum, reliquos libros Hiſtoricos A. 1524, eodemque & Jobum, nec minus primam Pſalterii verſionem, ſecundam vero A. 1531, Proverbia, Eccleſiaſten & Canticum A. 1527, Jeſaiam A. 1529, reliquos Prophetas A. 1531, 1532, Apocryphos libros circa A. 1530, lucem aſpexiſſe; denique univerſa Biblia, in unum corpus collecta, A. 1534 excuſa fuiſſe innuit. In capite *ſecundo* accurationem, fidem & induſtriam, *qua Lutherus in* Bibliis transferendis uſus ſit, pro eo ac dignum, celebrat, & Rich. Simonium, vix tenuem notitiam linguæ Hebraicæ Luthero tribuentem, refutat; contra vero linguarum inſcitiam Emſero, Dietenbergio, Cajetano, aliisque Interpretibus Pontificiis exprobrat. Viros Hebraice pariter ac Græce doctiſſimos, Phil. Melanchthonem, Caſpar. Crucigerum, Io. Bugenhagium, Jo. Forſterum, Matthæum Aurogallum, Juſtum Jonam, aliosque a Luthero quidem diligenter *conſultos* fuiſſe largitur, ſed iis tamen Germanicam deberi verſionem, adverſus Andream Maſium negat. Sicut autem in inveſtigandis verbis propriis & perſpicuis ſingulare prorſus Lutheri ſtudium induſtriamque incredibilem nuncupat: ita fidem ab ipſo adhibitam Retractationes ejus probare potius, quam labefactare oſtendit, ac de cætero librariorum errores ac punctorum novitatem eum agnoviſſe, nec manuſcriptis exemplaribus, ſed editionibus fontium impreſſis & verſionibus, quæ tunc extiterint, recentibus & antiquis, commentariisque Lyrani uſum fuiſſe ſuperaddit. In capite *tertio* ſecundam verſionis Germanicæ editionem ſive recognitionem prioris ab Autore factam, & A. 1541 Wittebergæ apud Luftium imprimi cœptam memorat, ac poſt eam Lutherum Biblia ſua amplius haud recenſuiſſe narrat, tametſi in editionibus novis fere ſingulis immutari aliquid permiſerit. Minime tamen poſteriores ejus cogitationes prioribus ſemper anteponendas videri, exemplis non unis ex utroque Fœdere deſumtis probatum dat. Paſſim vero translationem ſuam eum cor-

rexiſ-

rexiſſe & recognoviſſe, usque adeo haud diſſimulat, ut integrum etiam mutationum in Novo Teſtamento factarum catalogum, quem amicus Emſeri ſub titulo, Wiedereinanderſtrebung Luthers Teſtamenten / ediderit, heic repetat; quanquam ideo temeritatis, inconſtantiæve aut imperitiæ arguendum ipſum neutiquam venire, in anteceſſum ſedulo inculcet. In capite *quarto* de diſtinctione capitum verſuumque diſſerit, ejusque emendationem ex parte Melanchthoni adſcribit. Indicem declarationis vocabulorum ex peregrinis linguis, qui editionibus quamplurimis addi ſoleat, pro genuino Lutheri fœtu non agnoſcit. Gloſſas marginales plerasque, ex ore Lutheri exceptas, a Georgio Rorario interſperſas dicit. In mendis typographicis, quæ poſt mortem Lutheri verſionem ejus magno numero deturpaverint, ſuſtollendis, Theologos imprimis Wittebergenſes, ac juxta eos Jacobum Wellerum, noviſſimeque Jo. Dieemannum laudabiliter elaboraſſe. Celeberrimum iſtum locum 1. Joh. V,7. a B. Huttero inſertum: Lutherum autem dicto illo omiſſo non faviſſe Arianis, ſed illud in codicibus ſuis non reperiſſe; libri tandem tertii & quarti Esdræ, tertiique Maccabæorum verſionem Germanicam ab aliis, poſt Lutheri mortem, additam fuiſſe pronunciat. In *quinto* capite ad præcipuas verſionis hujus editiones, poſt mortem Lutheri, additis vel notis, vel commentariis, vel aliis verſionibus, vel ipſis etiam fontibus Hebraicis Græcisque, vulgatas ſe confert, ac poſteaquam B. Waltheri votum, de translatione illa cum perpetuo commentario ex ipſius Lutheri ſcriptis edenda, a Calovio impletum haberi annotavit, luculentam Bibliorum editionem, auſpiciis Jo. Georgii II, Electoris Saxoniæ, factam celebrat, nec Vinarienſem Erneſti, Principis pientiſſimi, juſſu adornatam reticet, ac ſcholia Lucæ Oſiandri, Dan. Crameri, & Jo. Olearii, peculiaribus ſingula editionibus adjecta, itidem commendat. Calvinianos eandem Lutheri verſionem aliquoties, cum notis Pauli Toſſani, recuſam dediſſe meminit, & Crypto-Calvinianos aliquando in Saxonia editionem Bibliorum Lutheri Calviniano infectam fermento fuiſſe meditatos aſſerit, ſed quam, tametſi ferme ad dimidiam partem jam perducta eſſet, ſupprimi intercipique contigerit. In capite *ſexto* exhibentur factæ verſionis Lutheri in linguas alias translationes, utpote in dialectum inferioris Saxoniæ, in idioma Pomeranicum, in linguam Belgicam, Wendicam ſive Sorabicam, Suecicam,

Danicam, Finnicam, Lapponicam, Iſlandicam, Eſthonicam & Letticam. Sub finem quoque mentio fit editionis Bibliorum Latino-Germanicæ, quam decem in quarto voluminibus Wittebergæ A. 1574 vulgavit Paulus Eberus, & in qua Germanicæ Lutheri interpretationi ad latus ponitur Latina vulgata, ſed ubicunque a Luthero diverſa eſſe videbatur, correcta & interpolata. Ut in capite *ſeptimo* præcipui eorum, qui Lutheri verſionem laudibus extulere, ſic in *octavo* viciſſim alii, quorum ea reprehenſionem incurrit, recenſentur. *In* capite *nono* demonſtrat Max. Rev. Autor, quod Lutherani neutiquam ejusmodi *αὐθεντίαν* verſioni Lutheri tribuant, qualem Pontificii vulgatæ, ſed quod, utut eam maximi quidem æſtiment, impeccabilem tamen eſſe negent; unde & interdum ab ea recedere haud ſibi religioni ducant. Modum interim circa eam corrigendam tenendum præſcribit, ac novam fieri verſionem vetat. In capite *decimo* eoque ultimo varia noſtratium ſcripta indigitat, quibus verſionem Lutheri defenderint, & obſervationes generales pro ea defendenda atque excuſanda ſuppeditat. His ita deductis, mantiſſæ loco diſſertationes nonnullæ ſubjiciuntur, quibus epiſtola clariſſimi Jo. Reiskii ad Autorem præmittitur, in qua ille in *antiquisſimam Scripturæ ſacræ* [illegible]*rem* inquirit; circa quod argumentum & prima diſſert[illegible]tur. Secunda *verſiones Germanicas librorum ſacrorum an*[illegible]*herum ineditas ſive manuſcriptas, & in Bibliothecis adhuc deliteſcentes* allegat; tertia ſigillatim *codicem aliquem A. 1458 manu exaratum*, & in Bibliotheca celeberrimi Autoris aſſervatum, delineat; quarta *verſiones Scripturæ Sacræ ante Lutheri translationem impreſſas ſiſtit*; & quinta denique cum ſexta de *notis Biblicis Eccleſiæ Patrum, obeliſcis, aſteriſcis, aliisque ejuscemodi criticis non minus ac ſenſum Scripturæ uſumque indicantibus* ex inſtituto agit.

DAVIDIS GREBNERI D. DIARIUM METEOROLOgicum Wratislavienſe, ab A. 1692 ad A. 1699, VnIVerso aVgVsto VVratIsLaVIæ senatVI DICatVM.

Breslæ, apud Criſtoph. Brachvogel, Bibliopolam. Schwidnici literis Chriſtiani Okelii, 1700, in 4.

Conſtat 1 Alphabeth. 13 plag.

Cla-

Digitized by Google

CLariſſimus Autor in *Medicina Veterum Reſtituta*, ante quinquennium edita,& in Actis his Eruditorum A. 1696, m. Martio recenſita, pollicitus erat *Indicem* I & II Decuriæ in Ephemerides Medico-Phyſicas Naturæ Curioſorum in Germania *univerſalem*, ac *Medicinam Veterum Practicam Reſtitutam.* Illum alterius opera ex indicibus annorum ſingulorum collectum & divulgatum cum vidiſſet, ſuum, licet ab eo diverſum, in uſus privatos reſervans, iſtius loco Ephemerides has Meteorologicas in publicum emiſit. Hanc Hippocratis & Galeni rariores continentem hiſtorias & caſus, cum ſcholiis differentiam antiquorum & modernorum oſtendentibus promiſſam, Medici ſibi utilem exſpectant. Ad eas accurate conſignandas, perquam neceſſarias eſſe obſervationes mutationum & conſtitutionum anni, Hippocratis & Galeni teſtimoniis probat. Obſervationum harum initium cum ab A. 1692 biſſextili ducat, de hujus ratione quædam adfert. Deinde Annum, ſive communem, ſive embolimæum, obſervat diſtingui ab Hippocrate & Galeno, pro quadripartita tempeſtatum varietate, non Aſtrologica ratione Solſtitiorum & Æquinoctiorum, non Grammatice numerando menſes, ſed prout Medicum decet,pro ratione mutationum, quæ in Aëris temperie, ex Solis, qui horum temporum auctor exiſtit,ad nos acceſſu & receſſu facta contingunt.Si enim tempus inſignite frigidum & humidum eſſe ſolet,Hyems Medicis dicitur; ſi autem nullus frigoris aut caloris,tum & humiditatis & ſiccitatis exceſſus, ſed temperies quædam eſt, Vernum id eſſe tempus dicunt; quod calidum & ſiccum,Æſtatem; quod inæqualiter calidum & frigidum atque ſiccum, Autumnum. Ver igitur Medicis incipit, quando Sol primum Arietis punctum occupat, nempe XIV fere Calendis Aprilis; & finitur prorſus ſub Virgiliarum ſive Pleiadum Græcis dictarum exortum, XV Calendis Junii, ſive 18 Maji: et ſic Ver totum Medicis duobus circiter menſibus durat. Uti Virgiliarum ortus eſt principium Æſtatis, ſic ejuſdem finis Arcturi ortus, diebus circiter duodecim ante Æquinoctium autumnale: quod cum noſtro tempore in XII Calendas Octobris incidat, qui dies eſt vigeſimus Septembris, ſequitur, principium Auctumni & finem Æſtatis eſſe IV Idus Septembris. Quod intervallum Æſtatis inter Vergilias & Arcturum quia quatuor fere menſium eſt, in quo inſignis variatio aliqua reperitur, duæ illius partes conſtituuntur: prior ὥρα, a Procyo-

cyonis ortu, die XIV Calendis Auguſti, a Solſtitii tempore menſe fere diſtante; poſterior ὀπώρας nomine diſcreta. Autumnus ab ortu Arcturi XII Calendis Octobris incipiens, Pleiadum occaſu XIV Calendis Decembris terminatur. Ultimo Hyems tribus partibus conſtat; prima Semens a Pleiadum occaſu ad Solis ingreſſum in Capricornum, triginta quatuor fere dierum; ſecunda Solſtitium ſive Bruma, quæ circa Idus Februarias terminatur; tertia Φυταλιὰ, inſerendi tempus. Quam diſtinctionem Anni ita facere voluit Hippocrates, ut omnium nationum menſibus, quorum aliis alii ſunt, conveniret. Præter hanc alia temporum Anni in 365 dies partitio, parum ab illa diverſa, annotatur apud Hippocratem.

Ex his combinatis Auctor ad tractatum ſuum accommodam inſtituturus Anni diviſionem, Hyemem in tres *partes dividit*. Primam a menſe Novembri orditur, frigoribus & imbribus, unde Hyems nomen accepit, ſæpe numero infeſto. Etenim circa feſtum S. Eliſabethæ, haut raro cœlum pluvioſum, immite & turbidum eſt, ut hinc Sileſii procaci proverbio dicant ſpurcam Eliſabetham, qualem eo ipſo anno, cum multorum ægrotorum periculo, ſe expertum ſcribit: imo quandoque frigus intenſum & vehemens, ſicuti A. 1690, 1691, 1692, 1695, 1697, 1698, 1699, incidit. Atque hanc primam Hyemis partem non incongrue vocari ait **den Vor-Winter**/ a potiori facta denominatione, quamvis Aſtrologi vocent **den Nach-Herbſt**/ & interdum calida ſit: quemadmodum Uranophilus Cyriander in Hiſtoria Meteorologica ad A. 1641 obſervarit, Caſſellis id tempus adeo fuiſſe calidum, ut die 2 Novembr. (12 ſtyli novi) hirundines volare cernerentur; frigus autem d. 15, 16, 17 aquam in glaciem vertiſſe. Abſolutis quadraginta fere diebus, medium Hyemis, quod Latini Brumam dicunt, inchoat, ubi Sol introitum facit in primum Capricorni punctum, & Solſtitium tempus conſtituit brumale, quod XII Kalendis Januarii, ſive 21 Decembris, die S. Thomæ contingit. Hujus, ſicut & poſterioris Hyemis pars, quam Cicero Hyemem ſummam vocat, naturaliter eſt valde frigida & humida, ſæpe tamen valde placida, lenis & clemens, ſicut A. 1699 in Sileſia & alibi. Poſtrema Hyemis pars incipit circa 13 diem Februarii ſtyli Juliani, in Gregoriano die 23, aut intercalari 24 anno biſſextili. Succedit Hyemi Ver, cujus exordium affert Æquinoctium, ingruens ut plurimum circa 19 Martii.

tii, ut ex obſervationibus annorum 1692, 1693 &c. conſtat: Veris autem medium incidit in 23 April. diem S. Georgii, quando Veris nuncia luſcinia canere incipit: finis in diem S. Urbani, nempe 25 Maji. Excipit vernum tempus Æſtas, quam in duas partes ſubdividit, priorem, Solſtitium Æſtivum, circa feſtum S. Johannis: poſteriorem, diem S. Jacobi, ſive 25 Julii. Finem Æſtatis conſtituit dierum canicularium exitum, unde Autumnus ſuum principium orditur, nempe quando Sol intrat ſignum Virginis feſto S. Bartholomæi, quod accidit d. 24 Auguſti. Medium Autumni eſt ipſum Æquinoctium, cum Sol ingreditur Libram, d. 22 Septembris die S. Matthæi: ultimum Autumni dies 28 Octobris, ſive feſtum Sanctorum duorum Apoſtolorum, Simonis & Judæ; quo tempore jam hyemare incipit cum frigore & gelicidiis: uti anno 1697, Cæcia flante, frigus glaciale, erat, & biduo poſt granula & nix ceciderunt; anno itidem 1699, quo ſcribebat Auctor, menſis dicti diebus 29, 30 & 31 gelationes factæ, Euro, Borea & Cæcia flantibus, cæloque ſereno; ſubſequentis vero menſis Novembris principio, feſto omnium Sanctorum, nocte usque ad d. 2 menſis ejusdem h. 10 nix larga & continua. Hæc eſt Auctoris Anni in XI partes diſtributio. Hyemis initium aſſignavit S. Martino, medium S. Thomæ, extremum S. Matthiæ: Ver novum S. Joſepho, adultum S. Georgio, præceps S. Urbano; Æſtatem ineuntem S. Johanni, ultimam S. Jacobo; Autumni principium S. Bartholomæo, medium S. Matthæo, finem S. S. Simoni & Judæ.

Recenſita diviſione, Anni 1691 conſtitutionem juxta filum præmiſſæ partitionis adſcribit. Hyems anno 1690 nova, ab 11 Novembris principium ducens, erat temperata, quemadmodum & adulta anni dicti 1691, aſt extrema maxime frigida & ſicca; hinc gravedines, tuſſes, cephalalgiæ. Veris initium & medium moderatum; præcipite autem Vere tempeſtas perfrigida, adeo ut etiam poſt feſtum Adſcenſionis Chriſti & circa Pentecoſtes hypocauſta calefieri neceſſe fuerit. Æſtas iniens temperata, ultima & circa dies caniculares flagrans & ardentiſſima; inde multi febribus quotidianis, tertianis tam ſimplicibus quam compoſitis corripiebantur, fereque fuerunt epidemiæ. Autumnus primus & medius conſtans, in Hyemem tamen vergens maxime frigidus quod frigus ipſo die Martini, quem primam Hyemem dicit, adeo penetrabile & intenſum fuit, ac media Bruma: hinc ex febribus male &

non curatis ortæ quartanæ maxime hoc tempore epidemice graſſantes, quibus etiam infantes & pueri fuerunt tentati. Noxium hunc & infeſtum Autumnum, uti & Hyemis principium, multis Generoſis & AmpliſſimisReipublicæ VratislavienſisViris fatalem extitiſſe, Auctor commemorat. Solſtitium tandem Brumale, quod adultam Hyemem vocat, erat frigidum: trigeſimo vero Decembris die h. 4 mane, usque ad primam pomeridianam, nivium caſus, flante deinceps Borea circa noctem frigus exortum acre, ac perdurans.

Specialiores Anni temporum conſtitutiones, ex ſingulorum dierum Obſervationibus ſequentibus peti vult Auctor, in quibus præter imbres, pluvias, ſerenitates, & reliquas tempeſtates, ventorum inprimis mutationes, ab anno 1692 ad annum 1699 notavit. Opus hoc multi laboris, jucundum tamen & utiliſſimum ſuffragiis *Hippocratis & Galeni* comprobat. Subjungit Auctores aliquos, qui ventos, ſtatusque aëris varios, erudito Orbi reliquerunt annotatos, Eraſmum Bartholinum, cujus Animadverſiones Meteorologicæ inſertæ ſunt Actis Haffnienſibus Medicis & Philoſophicis, Anno 1671, Vol. I, Obſerv. 130; Bernhardum Ramuzzini, in Ephemeridibus Barometricis Mutinenſibus anno 1694; Rudolphum Jacobum Camerarium, in Ephemeridibus Meteorologicis Tubingenſibus Barometro-Thermometricis, ab anno 1691 ad quartum, in quarum præfatione Ferd. de Lanis, Paſchahi, Scretæ, Kepleri aliorumque meminit; Cyriandrum in Hiſtoria Meteorologica ab anno 1623 Januar. usque ad annum 1646, ult. Decembris. Ex Sileſiis non novit aliquem, qui de aëris conſtitutione Vratislavienſi, vel quales venti ibi ſpirent, literis aliquid prodiderit, præter illa, quæ in Joachimi Curæi Gentis Sileſiæ Annalibus leguntur, quæque ipſe Auctor noſter adſcripſit.

CRITIQUE DE L' HISTOIRE DES CHANOINES.

i. e.

CENSURA HISTORIÆ CANONICORUM, CUM DISſertatione de Canonicitate Ordinis Præmonſtratenſium, Auctore LUDOVICO HUGONE.

Luxemburgi apud Andream Chevalier, 1700, in 8.
1 Alph. 3. pl.

Rai-

Digitized by Google

RAimundus Chaponellus, cujus Hiſtoriam Canonicorum Sectione VIII Tomi III Supplementorum pag. 355 ſqq. recenſuimus, gravem nactus eſt adverſarium *F. Ludovicum Hugonem*, Ordini Præmonſtratenſi addictum, qui & Seculares Canonicos & Socios ſuos vindicare hoc libello aggreditur; cumprimis vero demonſtrare conatur, Canonicos aliosque Clericos, in veteri Chriſtiana Eccleſia, usque ad XII ſeculum, non ab omni bonorum proprietate excluſos fuiſſe, ſed plurimos eorum proprias opes habuiſſe. Idcirco in *Præfatione* de inſtituto ſuo locutus, Chaponellum graviter caſtigat, quod ante XII ſeculum omnes Clericos in communione bonorum, & communi habitaculo uſos, ad Monachorum hodiernorum morem vixiſſe, docuerit. Cui doctrinæ omnem non fucatam antiquitatem contradicere affirmat, quippe quæ de Clericorum teſtamentis, & de matribus ſororibusque in eorum contubernio viventibus, manifeſte loquatur. Nec ab aliis criminationibus ſibi temperat; præſertim vero plagii Chaponellum accuſat, atque ex Largi & Deſnoſii libris, qui Canonicorum Regularium antiquitatem & privilegia contra Monachos nuper aſſeruerint, illum pleraque petiiſſe, pronunciat. Poſthæc *cap. I* ſuam ſententiam, de Clericis quatuor priorum poſt Chriſtum natum ſeculorum, probat auctoritate Cypriani, qui de quantitate redituum ſuorum diſſerit; Concilii Illiberitani & Nicæni, quod contubernia Clericorum & mulierum agnatarum permittit; Antiocheni, quod de poſſeſſionibus propriis Epiſcoporum, ut re licita, loquitur; Carthaginenſis III quod Clericis morientibus concedit, ut bona propria ſuo arbitratu diſtribuant; Gregorii Nazianzeni, qui prædium habuit; Chryſoſtomi, qui ſolum abuſum bonorum in Clericis culpavit; denique Hieronymi & aliorum. Provocat etiam ad ſilentium Scriptorum iſtius ætatis, qui Paulini, & aliorum omnibus bonis renunciantium vitam, ut admirandam rariſſimique exempli rem deſcribunt, & Cypriani diviſiones menſurnas contra Chaponellum ſibi vindicandas ſumit. Eodem modo ſeculo V ſe rem habuiſſe, declarat Hugo noſter *Cap. II* auctoritate Auguſtini, Concilii Chalcedonenſis, Gennadii, Simplicii & Gelaſii I Epiſcoporum Romanorum, Bennadii Rhemenſis, Theodorici Veronenſis, & aliorum: idem iſta ætate trium generum Clericos extitiſſe ait, quorum alii conjunctim vixerunt, ſed e proprio patrimonio, alii omni patrimonio relicto e com-

munibus Eccleſiæ bonis, alii rurſus privatim & ſeparatim e reditibus ſuis vitam ſuſtentaverint. Chaponellum ea etiam de cauſa carpit, quod Proſperum Canonicum & Epiſcopum appellet, quem ne Clericum quidem fuiſſe, Cointius, Cabaſſutius & Dupinius clariſſime oſtenderint. Ad ſeculum VI progreſſus, *cap. III* idem evincit, auctoritate præſertim Agathenſis, Aurelianenſis aliorumque Conciliorum, nec non Imp. Juſtiniani, provocans ad canones, quibus diſtributiones oblationum & redituum Eccleſiæ, teſtamenta Clericorum, & inventaria Eccleſiarum inſtituta partim, partim conceſſa ſunt. Quantum ad ſeculum VII attinet, provocat Noſter *cap. IV* ad Concilia Toletanum V, Quiniſextum, Emeritenſe & Bragenſe, multorumque Sanctorum exemplis comprobat, in Gallia præſertim & Hiſpania poſſeſſionem bonorum Clericis licitam fuiſſe: *Adverſario* quoque non ſine ratione exprobrat, quod docuerit, Acephalos fuiſſe Clericos proprietarios, cum conſtet eos ita dictos, quod Epiſcopis obedientiam denegaverint. Neque deſunt ipſi ex ſeculo VIII teſtimonia, quæ *cap. V* affert, maxime Concilii Francofurtenſis, & Nicæni II. Quo loco etiam Chaponellum refutat, docentem titulos Regularium & Secularium Canonicorum ante XI ſeculum ignotos fuiſſe, quos tamen ineunte decimo Gualtherus Senonenſis, Valcandus aliique uſurpaverint, atque cum Chiffletio & Cointio ſtatuit, & Regulares & Seculares Canonicos ab ipſo Eccleſiæ ortu extitiſſe. Ex ſeculo IX affert *cap. VI* & plurimorum exempla, & auctoritates Concilii Oecumenici VIII Aquisgranenſis, & Hincmari aliorumque, ac eo tempore polygamiam, quam vocant, ſpiritualem, ſive plurium beneficiorum poſſeſſionem frequentatam conqueritur. Seculo X idem circa bona Clericorum obſervatum, probat *cap. VII* ex Regum Angliæ conſtitutionibus mulctas illis indicentibus, & Concilii Ravennenſis canonibus, nec non Tullenſis aliarumque Eccleſiarum conſuetudine. Porro *cap. VIII* ex ſeculo XI adducit Ravennenſe & Bituricenſe Concilium, P. Damianum & Ivonem Carnutenſem ob nimium erga Clericos proprietarios rigorem reprehendit, & prioribus XI ſeculis beneficia Eccleſiaſtica non a mero Epiſcopi arbitratu dependiſſe, contra Chaponellum probat. Tandem *cap. IX* ex ſeculo XII decreta Eccleſiæ contra Arnoldiſtas affert, qui negabant, Clericis bonorum poſſeſſionem licitam eſſe, indeque præter Ordinem.

Digitized by Google

nem Canonicorum Regularium, quem ubique Vitam Apoſtolicam vocat, etiam Secularium inſtituta ab ipſis Eccleſiæ incunabulis ſemper viguiſſe, concludit. Adjecit *Diſſertationem de Canonicitate Ordinis Præmonſtratenſis*, contra eundem Chaponellum. Docuerat Chaponellus, Ordinem Præmonſtratenſium Monaſtici inſtituti eſſe, A. 1120 ortum,& A. 1145,ob conjunctionem cum Abbatia Canonicorum Bellolocenſium, Canonicum titulum precario adeptum eſſe. Id omne gratis dici, Hugo noſter quatuor capitibus oſtendere conatur. Et *primo* quidem ex diplomatibus Pontificum, Epiſcoporum & Principum probat, Præmonſtratenſes ab ipſa origine, & Norberti fundatoris conſilio,Canonicos Regulares eſſe,Clericorum quoque & Canonicorum nomina, ſtylo veteris Eccleſiæ, eſſe ſynonyma. Idem *cap. II* teſtimoniis Hiſtoricorum ſeculi XII clarum facit, atque Abelardi & Monachorum plurium invidorum invectivas in Canonicos Præmonſtratenſes recenſet. Objecerat Chaponellus, Præmonſtratenſes jejuniis & abſtinentia carnis, nec non laboribus manuariis & veſtitu Monachis ſimiles eſſe; Noſter *cap. III & IV* reſpondet,hæc majoris perfectionis gratia regulis Canonicorum adjecta eſſe, neque tamen a Monachis petita: jejunia & carnis abſtinentiam primis poſt Chriſtum ſeculis a Clericis fuiſſe obſervatam, maxime ab Ambroſio; idem alios Canonicos & feciſſe olim,& hodienum facere: labores manuarios Paulum & pleroſque primæ Eccleſiæ Clericos ſuſcepiſſe, decreto Concilii Carthaginenſis IV confirmatos. De habitu ita ſentit: Clericos priorum quinque ſeculorum veſtitu a Laicis non diſcrepaſſe, (quod ex Cypriano & Hieronymo probat) ſacra tamen facientes aliis, albis nimirum, veſtibus fuiſſe uſos, quas poſtmodum, decimo præſertim & ſequentibus ſeculis,etiam ad civilem uſum tranſtulerint: cappam poſt Caroli M. tempora Canonicis propriam fuiſſe, cucullum Monachis: Præmonſtratenſes igitur cappa & ſuperpelliceo indutos vero Canonicorum habitu uti, cui ſcapulare, indicium perpetuæ pœnitentiæ, non immerito addatur.

MEDULLA THEOLOGIÆ MORALIS, SEU TRActatus Theologicus de IRREPREHENSIBILITATE præprimis Fidelium. Opera & ſtudio BARTOLDI BOTSACCI, SS. Theol. D. & Prof. ac Paſtoris Hafnienſis.

Francofurti & Lipſiæ apud viduam & hæredes Gruberi, A. 1701, 8. plag. 21.

QUi Pontificium nuper Scriptorem, in vindicandis aliquot Theologiæ Moralis capitibus occupatum, in R. P. Natali Alexandro Benevolo Lectori ſtitimus, nunc aliquem e noſtris allegamus, cui in Moralis Theologiæ nucleo exponendo, induſtriam ſuam, diverſa licet methodo, collocare placuit. Et terminum quidem principalem ſibi hic præfixit fidelium, quam vocat, irreprehenſibilitatem, quo nomine haud ſemper ipſum reprehendendi jus, ſed ſæpiſſime tantummodo actum negari abs ſe, in anteceſſum innuit. Et dari omnino pios irreprehenſibiles, exemplis e Scriptura petitis, utpote Noachi, Jobi, & Parentum Johannis Baptiſtæ, confirmat; quanquam in iis maxime ſolum ad tempus præſens, non item ad præteritum, multoque minus ad futurum, reſpiciendum eſſe moneat. Omnibus tamen, qui piorum nomen tueri velint, id ſerio agendum eſſe mox inculcat, ut tales ſemper reperiantur; ac præ cæteris hanc curam incumbere affirmat iis, quorum ſit aliis bono exemplo prælucere, quales Presbyteri in Eccleſia, Magiſtratus in Politia, & Patres in familia, quibus proinde ſingulis ſalutaria monita ſubminiſtrat, atque hæc eo magis obſervari cupit, quo pluribus hi & fortioribus impedimentis ſint expoſiti, oriundis vel a propria carne, vel a mundo & diabolo, & in tentationum inſtrumenta evadentibus bonis hujus ſeculi, inter quæ emineant potentia, divitiæ, & quæ ſunt alia. Loqui autem ſe teſtatur de irreprehenſibilitate, non quæ imaginaria ſit, ſed quæ vera nuncupari mereatur; non quæ affectata, ſed quæ genuina ſit; non ab aliis ficta & picta, ſed rei ipſi congrua; non mere civilis, ſed Theologica; non quæ per eſſentiam, ſed quæ per participationem. Similiter irreprehenſibilitatem angelicam excludit, & humanam contra ſolum commendat; nec eam, quæ in Deo-homine, Chriſto, ſed quæ in mero homine ſit obvia, contemplatur. Protoplaſtis in ſtatu innocentiæ omnino etiam competiiſſe irreprehenſibilitatem concedit, ſed ea dimiſſa, ad alteram potius, quæ poſt lapſum etiam obtineat, ſe confert, homine non in ſtatu quidem deſtitutionis, ſed reſtitutionis ſpectato. Atque heic non ad certam aliquam cauſam, verum ad perſonam animum attendit, cum in iſta ſæpe mens recti conſcia ad ſuam provocare queat irreprehenſibilitatem, ad quam minime provocaret,

Digitized by Google

ret, ſi vita ejus univerſa, ſecundum omnes atque ſingulas actiones, diſcutienda veniret. Quinimo aliter quoque hac in re aliterque judicandum eſſe ait, ſi rem vel perſonam in ſe conſideres, & ſi eandem conſideres in comparatione cum aliquo tertio. Aliam porro facit irreprehenſibilitatem alterius, aliamque hujus vitæ, quam unice ſibi contemplandam ſumit, & eam non ad hominum, ſed Dei judicium examinari cupit. In hac irreprehenſibiles haberi eos, qui juſtitia Chriſti imputata fruantur, quam ut lubentiſſime largitur, ſic propriæ inſuper & inchoatæ irreprehenſibilitatis ſtudium vel maxime requirit. Utramque a ſe invicem ita diſtinguit, ut perhibeat, alteram non inhærere nobis, ſed tantum imputari, alteram vero inhærere; alteram in omnibus fidelibus eandem, ſed alteram in ſingulis diverſam eſſe; alteram ordine & natura præcedere, alteram ſequi; alteram per ſe Deo placere, alteram nonniſi per aliud; alteram in hac & in futura vita ſemper eandem, alteram minorem in hac & majorem in futura vita reperiri; alteram ea, quam in Adamo habuerimus, ſuperiorem, alteram inferiorem eſſe; alteram ne locum quidem habuiſſe in ſtatu ante lapſum, alteram habuiſſe, ſed pleniorem; alteram ſibi non ſolum ſufficere, ſed & alterius adhærentibus infirmitatibus tegendis inſerviiſſe, alteram ne ſibi quidem ſufficere, nedum aliis; alteram ipſum reprehendendi jus, alteram actum modo tollere; alteram ſummam eſſe per nullos gradus intendendam, alteram ſuis conſtare gradibus, jam quippe intenſiorem & jam remiſſiorem; (quanquam iſti gradus ab ipſa eſſentia propriæ irreprehenſibilitatis probe diſcernendi ſint, nec unquam a mero homine in hac vita ille attingatur gradus, qui legis rigori exacte ſatisfaciat;) alteram legem perfecte implere, alteram minus, unde hæc non inferat abſentiam omnis omnino peccati, utut repugnet hypocriſi, qua de cauſa ex eadem & quæpiam naſcatur, aſt imperfecta tamen, perfectio; alteram denique pertinere ad juſtificationem, & alteram ad renovationem. Utriusque de cætero originem ſupernaturalem facit, arceſſendam ex gratia Dei, in merito Chriſti, per operationem Spiritus Sancti, mediante verbo & ſacramentis, adminiculante fide, oratione, ſtudio. Et hæc cuncta obviam haberi ad normam Sacræ Scripturæ in homine renato, qui Dei beneplacitum ejusque inhabitationem gratioſam, ac bonam conſcientiam, tanquam irreprehenſibilitatis

con-

connexa, beatitudinem vero æternam, velut conſequens illius, polliceri ſibi valeat.

Libri Novi.

Cl. Æliani Sophiſtæ Varia Hiſtoria, ad MStos codices nunc primum recognita & caſtigata, cum Verſione Juſti Vulteji, ſed innumeris in locis ad Græcum Auctoris contextum emendata, & perpetuo Commentario Jacobi Perizoni. Lugduni Bat. apud Jo. du Vivie, & Is. Severinum, 1701, 8.

De Sanguinis Natura & Conſtitutione Exercitatio Phyſico-Medica Dominici Guilielmini. Venetiis, 1701, 8. ex typogr. Andr. Poleti.

Jo. Henrici Bœcleri Diſſertationes Academicæ. Editio ſecunda altero tanto auctior. Argentorati, apud I. R. Dulſſeckerum, 1701, 4.

Jo. Andr. Schmidii D. PP. Abbatis Mariævallenſis Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Helmſtadii apud Jo. Melch. Süſtermann, 1701, 8.

Memoires du Duc de Navailles & de la Valette. A Amſterdam, chez Jean Malherbe, 1701, 12.

Hiſtoire de l' Isle de Ceylan, ecrite par J. Ribeyro, traduite du Portugais par Mr. L' Abbé Le Grand. A Amſterdam, 1701, 12.

Traité de l Amour de Dieu, par Elie Saurin. A Amſterdam, chez François Halma, 1701, 8.

Traité de Perſpective, ou ſont contenus les Fondemens de la Peinture. Par le R. P. Bernard Lamy, Preſtre de l' Oratoire. A Paris, chez Aniſſon, 1701, 8.

Memoires contenant ce qui ſ'eſt paſſé de plus memorable en France, depuis l' établiſſement de la Monarchie jusqu' à preſent. Tome premier & ſeconde. A la Haye, chez Etienne Foulque, 1701, 12.

Annales de la Cour & de Paris, pour les Annees 1697 & 1698. A Cologne, 1701, 12.

Philippiques de Demoſthene, avec des Remarques. A la Haye, chez Adrian Moetjens, 1701, 4.

* * *

Digitized by Google

N. XI.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anni MDCCI.

HISTORIA ITALIÆ ET HISPANIÆ GENEALOGICA; exhibens, inſtar Prodromi, Stemma Deſiderianum, unde Italia & Hiſpaniæ Reges Proceresque pullularunt; recenſente JACOBO WILHELMO IM-HOF.

Norimbergæ apud Joh. Hofmanni Viduam & Eng. Streckium, 1701. Pl. 66. in fol.

CUm latiſſime pateat ſtudium Genealogicum, nec omnium ſit in tam profundum mare deſcendere, & pauci præterea hactenus in eo operam poſuerint, quæ digna fuerit ferre ætatem; igitur laudes ampliſſimas promereri cenſendus eſt Nobiliſſimus hujus libri Auctor. Frequens enim uti jam nomen ejus in Actis hisce comparuit, ita certe multarum familiarum originem ſingulari induſtria ex tenebris quaſi vindicavit in lucem; ac ne quid in poſterum reliquum fieret, quod poſſet deſiderari: poſt abſoluta opera, in quibus Germaniæ, Galliæque ac Britanniæ Procerum ſtirpes regias, principes, illuſtresque accurate recenſuit, nunc demum etiam in hoc volumine Hiſtoriam Genealogicam præcipuarum aliquot Hiſpaniæ & Italiæ familiarum eſt aggreſſus. Eſt vero hoc veluti primum ſpecimen vaſti laboris, cui Dn. Imhofius ſeſe accinxit, in quo a *Deſiderio* Longobardorum Rege, tanquam ex fonte uberrimo, *decem* præſertim fluvii promanarunt; quippe in totidem ramos diffundente ſeſe Regis hujus progenie. Adeoque in hoc libro eæ ſolummodo familiæ pertractantur, quæ originem ſuam ad regnum Lombardiæ, ejusque auctorem & ſatorem ſtirpis Deſiderium referunt; ut tituli conſtaret ratio, in quo Illuſtris Imhofius Stemma Witechindeum, ab Elia Reuſnero olim editum, voluit imitari. Cuilibet ſtirpi præter tabulas Genealogicas, ſumma cura de-

ſcriptas, adpicta ſunt Inſignia, quibus uſa illa fuit ad hæc usque noſtra tempora. Sunt autem iſtæ ſtirpes: I *Berengariorum*, Regum Italiæ & Imperatorum Romanorum. II *Comitum Burgundiæ*; qua enati ſunt rami Comitum Viennenſium, Cabillonenſium, & Palatinorum Burgundiæ, Principumque Arauſionenſium. III *Regum Caſtellæ & Legionis*, nec non Arragoniæ & omnis denique Hiſpaniæ. IV *Regum Neapolitanorum* ex Arragoniis. V *Noroniana*, in Luſitania; e qua prodierunt Comites de Villaverde, Marchiones & Duces de Villareal & Caminna, Comites & Duces de Linnares, Comites de Mon Santo, & Marchiones de Caſcaës. VI *Henriqueziana*, in Caſtella & Regno Neapolitano, quæ produxit Comites de Melgar, & Duces de Medina Rioſeco, Thalasſiarchas Caſtellæ, Marchiones de Tarifa & Duces de Alcala, Comites de Alva de Aliſte, Principes de Squinzano, & alios. VII *Emanuelenſis*; unde prognati Domini de Belmonte in Caſtella, & Comites de Villaflor in Luſitania. VIII *Cerdana*, quæ inſititia eſt, & Duces de Medina Celi, Marchionesque de Cogolluto, Hiſpaniæ Magnates, protulit. IX *SanMartiniana*, in Pedemontio; e qua provenerunt Comites & Marchiones de Parella, Agliè & Santo Germano. X *Viscontia*, ſive ſtirps ampliſſima Vice-Comitum Mediolanenſium. Quibus cum ſucceſſerit denique familia *Sforzia*, hujus quoque Hiſtoria Genealogica, in Appendicis vicem, ſubjungitur.

Non patitur inſtituti noſtri modus prolixe omnia enarrare, quæ in *Exegeſi Hiſtorica*, Tabulis annexa, reperiuntur, cum inſpici opus ipſum velit & perlegi, certo cum fructu oblectamentoque, ob ſtyli rerumque elegantiam & varietatem. Aliqua vero tantum juvabit ex plurimis ſelegiſſe. Pag. 6 Berengario, Duci Forojulienſi & & Regi Italiæ, dicitur a Patre Pſalterium auro ſcriptum; in teſtamento legatum fuiſſe. P. 22, ſſ. de ſtatu Burgundiæ antiquiori prolixe agitur; ſed p. 27 memorabile eſt, quod cum Hadriano Valeſio cenſeat Dn. Auctor, perperam ſcribi *Delphinum*, qui *Dalſinus* (Dauphin) potius debeat appellari, proximus a Rege Galliæ Princeps. Pag. 29 traditur paucis hiſtoria Comitatus Montpelgardenſis, veluti p. 30 ſſ. Arauſionenſis Principatus, & p. 44 ſtatus antiquus regnorum Hiſpaniæ; ibidemque commemoratur, quod Alphonſus, Petri Ducis Cantabriæ filius, primus *Catholici* cognomine (poſt-

me-

modum repetito in Ferdinando Catholico (conf. p. 76) inſignitus fuerit, quoniam Arrianum dogma, quod a Reccaredi Regis morte in Hiſpania pullularet, eradicarit, urbesque & oppida complura ejecto Maurorum præſidio receperit. Pag. 49 Sanctius Rex Caſtellæ, Ferdinandi R. & Tereſiæ de Trava filius, primus dicitur nomen geſſiſſe *Infantis*, frequens poſtea regiæ ſoboli. P. 50 declaratur diſcrimen tituli *Dives Homo*, & *Homo Dives*. Ille enim in uſu fuit in Hiſpania, antequam axioma Magnatum (*de los Grandes*) introductum eſſet, & eum ſignificabat, qui amplam iſtam dignitatem eſſet conſecutus; hic vero eum, qui divitiis affluerct. P. 51 ſſ. erudite disquiritur, num Alphonſus X, Caſtellæ Legionisque Rex, *Sapientis* cognomen jure promeruerit; in laudibus tamen ejus ſimul ponitur p. 52, quod leges Romanas in regnis ſuis juſſerit coli, easque digeſſerit in *Partitas*; tabulas quoque publicas Hiſpanica lingua juſſerit exarari; quod ſacra Biblia in eandem linguam verti, rerumque in orbe geſtarum librum conſcribi curaverit, quem *Generalem Hiſtoriam* Hiſpani appellant; quod denique aſtrorum contemplatione maximopere delectatus, unde & *Aſtrologus* appellatus eſt, *tabulas* ediderit, quas *Alphonſinas* vocant, earumque compoſitioni usque ad cccc millia ſcutatorum impenderit.

Pariter p. 52 commemoratur, quod Ferdinandus Rex, Alphonſi X filius natu maximus, *Cerdæ* cognomentum acceperit a crine in dorſo inſigni, cum quo eſt natus. P. 53 refertur ſingulare exemplum caſtitatis in Maria conjuge Johannis Cerdæ, quæ diuturnam mariti, ad Mauros ablegati, abſentiam non ferens, ne tamen pravis cupiditatibus cederet, mortem ſibi conſcivit, ardentem forte libidinem igne exſtinctura, adacto per muliebria titione. P. 72 Carolus, Johannis Arragonii e Blanca Navarra filius, dicitur libros Ariſtotelis de moribus vulgari Hiſpanorum lingua donaſſe, præter brevem de Vaſconum Regibus hiſtoriam, & verſus non inelegantes, quos ad lyram pangere ſolitus erat. P. 76 ex vero notantur ſcriptores Gallici Commentariorum ſingularium (*des Memoires*) his verbis: *Quanquam ex Phœbi cortina non prodiere cuncta, quæ de factis conſiliisque ejus* (Ferdinandi Catholici R.) *poſteriorum temporum ſcriptores, ex æmula præcipue gente, chartis illeverunt, memoriæ ejus procacisſime illudentes, & commenta ingenii, perinde ac ſi cogitationibus ipſis*

interfuiſſent, audacter & impudenter narrantes. F. 163 (quo cum conf. 167) erudite diſſeritur de origine inſignium, quæ Vice-Comites Mediolanenſes uſurparunt, ſerpentis videlicet cœrulei, puellam evomentis. F. 164 jucundum lectu eſt, quod de Gregorio X, antea Thedaldo Vice-Comite appellato, cum in Pontificem Max. eligendus eſſet, moram vero in triennium usque faceret diſcordia Cardinalium, Johannes Epiſcopus Portuenſis feſtivo & lepido in ſocios verbo dixit: *domum, in qua electio fieret, tecto & lateribus nudandam, ut facilior ad eos corumque mentes aditus Spiritus S. fieret*. F. 167 fabulæ iſtius, qua factum ſit, ut S. Ambroſius Mediolanenſium Patronus, ſcutica armatus eaque hoſtes percutiens, etiam in nummis quibusdam repræſentetur, initia oſtenduntur. F. 174 de crudelitate immani Johannis Mariæ Vice-Comitis inſtituitur narratio; qui atrox etiam aliquando exemplum, quod juſtitiæ tamen ſpeciem habebat, ſtatuit in ſacerdote avaro, homini in extrema paupertate mortuo funus gratis facere recuſante; nempe cum putreſceret domi cadaver, defunctique uxor ejulatione ædes viciniamque repleret, Dux Johannes Maria forte præteriens cauſa cognita imperavit, ut daretur argenti, quantum funeri ducendo ſatis eſſet, ipſeque exſequiis intereſſe voluit: quibus peractis ſacerdotem, copioſa mercede quam acceperat lætum, ſepulcro primum injici, deinde ſuperimpoſito cadavere congeri humum juſſit. F. 179 memoratur inter ſpecimina tyrannidis Barnabæ ſeu Bernabovis Vice-Comitis, & hoc: Quicunque guſtaſſet aprugnæ carnis aliquid, beſtiamve ipſam mortuam ſpectaſſet, ſive attigiſſet, tenebatur lege, quæ de apris erat, & promtiſſima ea *Tyranno* materies feritatis in omnes, quoscunque odiſſet ob alias cauſſas. Alebat vero ipſe canum ad quinque millia, ſumtu omnes alieno, diviſos nempe per urbem in hoſpitia, quomodo milites dividuntur. Centuriones & tribuni cohortium earum erant: luſtrabantur ſingulis menſibus, inſpectioque ea magnum Principi vectigal erat. Nam ſive quis moloſſus arguerat macie ſua hoſpitis illiberalitatem, ſive largiore nutritu inutiliter pinguescebat, irrogabatur mulcta altori & ſevere exigebatur. Huic ſimile propemodum eſt, *quod* f. 234 traditur de Galeacio Maria Sforzia, qui agreſtem, qui *intra* ſepta obvium forte leporem, contra ejus edictum, occiderat, mandere prædam, & ſolidum cum pelle oſſibusque vorare animal coë-

tig.

git. F. 250 Mutius Sforzia, quartus Caravagii Marchio laudatur, qui tam elegans liberalium ſtudiorum & auctor & admirator fuit, ut eis excolendis & ornandis Academiam in propriis ædibus anno 1594 conderet, primusque ejus principatum ſuſciperet, Academicis deinde nomen *Inquietorum* adſumentibus, & ſymboli loco machinam ex canaliculis bene multis compoſitam, per quos agitatione rotæ curſu fluminis impulſæ, aqua ad planitiem montis defertur, eundemque irrigat, & frugum herbarumque fertilem reddit, cum lemmate: *Labor omnibus unus.*

ΚΛ. ΑΙΛΙΑΝΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ ΠΟΙΚΙΛΗ ΙΣΤΟΡΙΑ.

CL. ÆLIANI SOPHISTÆ VARIA HISTORIA, AD MStos codices nunc primum recognita & caſtigata, cum Verſione Juſti Vulteii, ſed innumeris in locis ad Græcum Auctoris contextum emendata, & perpetuo Commentario JACOBI PERIZONII. Accedunt Indices & plures & ſuperioribus longe locupletiores.

Lugduni in Batavis apud Jo. de Vivie & Iſaacum Severinum, 1701, 8. Volumina duo.

Conſtant Alphab. 3. plagulis 14.

Æliani Varia Hiſtoria a multis adhuc eſt edita, etiam Notis a quibusdam illuſtrata & Indicibus; ſed a nemine tanta cura atque ſtudio, quantum eidem nunc clariſsimus Vir *Jacobus Perizonius* adhibuit. Longam Præfationem nitidiſſimo Operi præmiſit, qua rationem inſtituti exponit, & quidquid a ſe præſtitum ſit editione nova, luculentiſſime declarat. Copioſus inprimis eſt, nec minus accuratus, in vera ætate Æliani hujus, tam ex ipſa Varia, quam aliis monumentis antiquis eruenda. Adhuc ab omnibus fuit creditum, Ælianum, Hiſtoriæ Variæ auctorem, vixiſſe ſub Hadriano, quia ei Tactica ſua dedicaverit: etiam paullo ante, quod Martialis, qui ſub Domitiano, Nerva & Trajano fuit, lib. XII epigram. XXIV *facundum* quendam *Ælianum* laudaverit. Ab his diſcedit doctiſsimus editor Perizonius, & ætatem Æliani ad Alexandri Severi tempora rejicit, & a Tacticorum auctore, facundoque Martialis

Æliano, ſcriptorem Variæ integro ſeculo diſtinguit atque ſeparat. Probavit ſententiam ſuam ex Philoſtrato, qui Vitas Sophiſtarum ſcripſit, eosque ſecundum ſeriem temporum & Imperatorum diſpoſuit, primo libro eos, qui priores fuerunt Herode Attico, exponens: altero, ab Herode ipſo incipit, qui ſub Hadriano, Pio, Marco fuit: ſub poſterioribus etiam Alexander, Hermogenes, Ariſtides: ſub Marco & Commodo diſcipulus Herodis Hadrianus, & hujus, Julius Pollux: deinde Pauſanias, itidem Herodis auditor, a quo Græciæ deſcriptionem habemus, qui Eliaca certe & Arcadica ſcripſit extremis Marci temporibus. Hujus demum, jam ſenis haud dubie ſub Commodo & Severo, diſcipulus fuit Ælianus noſter. Interſunt qui ſub Severo florere cœperunt, Apollonius Athenienſis, &, qui Severi Epiſtolis ſcribendis præfuit, Antipater, Hadriani & *Pollucis* diſcipulus. Poſt alios æquales ſub Caracalla fuit Philiſcus. Hic enim Imperator eſt Philoſtrati Αντωνῖνος, ὁ τῆς Φιλοσόφȣ παῖς Ιουλίας, *Antoninus, philoſophæ Juliæ (Domnæ) filius.* Sic enim legendum, non τȣ̃ Φιλοσόφου, laudatus Perizonius ibidem contra vulgatam lectionem contendit. Tum demum ſequitur *Æliani* Vita apud Philoſtratum, & poſt illam Heliodori & Aſpaſii, quorum alter & ipſe diſcipulus Pauſaniæ fuit, & in Alexandri Severi comitatu. Hinc elucet, ad quæ tempora Ælianus noſter referendus ſit.

Additur ex eadem Æliani Vita, quam Philoſtratus nobis reliquit, argumentum a Philoſtrato Lemnio, illius patruo, petitum, qui Ælianum reperit *Gynnidis Accuſationem* (libri nomen eſt ab Æliano elaborati) manu terentem, quo tyrannum ἄρτι καθήμενον, paullo ante imperio abutentem, *Gynnidem*, iſt eſt effœminatum, dixerat, quod nomen nemini magis, quam Elagabalo, convenit. Lemnius autem ille Philoſtratus amice cum Æliano noſtro, ut in Vita eſt, verſatus, XXIV annorum ſub Caracalla fuit, quando is illi immunitatem dedit. Minus recte ergo ὁ ἄρτι καθήμενος τύραννος, *tyrannus qui modo exſtiterat*, putatur aliis Domitianus fuiſſe, utpote a cujus nece ad Caracallæ initium CXIV anni extracti ſunt. Hæc ex Vita Æliani a Philoſtrato compoſita.

Accedit argumentum tertium ex ipſius Æliani Varia. In hac multa inſunt ex Athenæi libris hauſta, quæ nominatim per capita oſtendit, inter ſe confert, & Ælianum ex illo, non illum ex hoc ex-

Digitized by Google

exſcripſiſſe, laudatus probat Perizonius. Jam vero Athenæus Oppianum, qui Ἀλιευτικὰ Caracallæ dedicavit, allegat, tanquam ὀλίγῳ πρὸ ἡμῶν γενόμενον, *paullo ante exſtinctum*, ut ita non ante Caracallam Athenæus fuerit, &, qui hunc excerpſit, Ælianus illo, quem exſcripſit, & ipſo Caracalla poſterior.

Exinde firmiter Perizonius de ætate Æliani concludit, & Tacticorum auctorem, qui ſeculo anteceſſerat, a noſtro disjungit, ac omnes, qui confuderunt illos, ex æquo notat & caſtigat, & in iis quoque Gerardum Joannem Voſſium, & ex antiquioribus Suidam, qui Ælianum noſtrum Hadriano Auguſto proximum ponit, ἐπὶ τῶν μετὰ τὸν Ἀδριανὸν χρόνων, quo proxima tempora ſignificantur, adeoque Alexandri Severi ætas innui non poteſt. Ut vero diverſos probavit Tacticorum auctorem, & conditorem Variæ: ſic contra eundem eſſe, qui Variam ſcripſit & qui de Animalibus, demonſtrat. Id quod ex indole utriusque libri probat, eadem varietatis methodo conſcripti. Deinde ex materiæ cognatione, quæ ſtudium & genium ejusdem auctoris præ ſe ferat. Paſſim enim in Varia de Animalibus etiam agit, & eodem plane modo, quo in ſingulari de illis libro. Denique idem confirmat ex formularum ſimilitudine, quæ itidem exemplis copioſis demonſtratur. Deinde præfatione eadem agit Vir clariſſimus de *Sophiſtarum* generibus, qui olim proprie non alii fuerint, quam ſectantes cavillationem & argutias, pro vera & utili philoſophia: poſt cujusvis artis doctores *Sophiſtas* dictos, maxime illos, qui Rhetoricam publica auctoritate docebant, quod honeſtum apud Græcos eſſe cœpit ſub Romanorum Cæſaribus. Hinc ad legationes ſuarum civitatum adhibiti, tanquam magnæ exiſtimationis viri, quemadmodum in Æliano Philoſtratus *Sophiſtæ* ὄνομα μέγα *nomen magnum*, ut eximiam dignitatem laudat.

Poſt hæc ad ipſum Opus Vir doctiſſimus accedit, cui non unum nomen in codicibus præſcriptum eſt. Plurium eſt Ποικίλη Ἱστορία, *Varia Hiſtoria*: apud Stobæum Σύμμικτος, *Miſcella Hiſtoria*: & a Stephano de Urbibus in Χερρόνησος, vocatur Ἱστορικὴ Διάλεξις, quod Voſſium in errorem induxit, ut aliam a Varia Hiſtoria hanc Διάλεξιν interpretaretur. Sunt enim verba ipſius Variæ dicto loco citata, non quidem ex libro I, ut Stephanus allegat; ſed ex

lib.

lib. II cap. XXXIII. Porro cum iis agit, quibus hæc Varia opus imperfectum impolitumque viſa fuit, & ſtyli ratione infra illud de Animalibus; immo multis locis mera excerpta cum notula ὅτι, ſæpe in principio capitum apparente, uti eſt in Excerptis patriarchæ Photii: unde putant, ultimam manum ab Æliano, forſan morte interceptο, haud impoſitam operi fuiſſe. Ex his ait clariſſimum Virum Joachimum Kuhnium, cujus proxima, quæ hanc præſentem anteceſſit, editio Æliani eſt, longius progreſſum, *ruta cæſa* illorum appellaſſe, qui bonum Ælianum excerpendo ita diſcerpſerint, ut nec caput nec pedes amplius haberet. Ab his diſcedit ampliſſimus Perizonius, elegantiam quoque hujus operis collaudans, licet nonnullis locis videatur infra illud alterum de Animalibus ſubſidere: cujus rei cauſam dicit eſſe, quod ſæpe Ælianus non ſuis, ſed auctorum, quorum fidem ſequitur, verbis utatur, ut Athenæi, *Iſocratis*, *Platonis*, Ariſtotelis, Thucydidis, Plutarchi, & Herodoti quoque, ſed mutata dialecto: quo fieri non potuerit, quin inæqualitas ſtyli aliquibus locis appareat, cum ipſe, ſuo ingenio ſcribens, perelegans ſit, & æquabilitate ſibi conſtet. Nec movetur Vir clariſſimus, quod exordio & epilogo careat, quia id haud ſatis ſit ad imperfectionem evincendam, cum de Pauſaniæ perfecto opere non dubitetur, qui vero æque ſuperflua illa prætermiſerit. De ὅτι in principio capitum quorundam reſpondet, Variam ſcribendo hiſtoriam, etiam varietate ſtyli auctorem, ſeu variante formularum ratione delectatum eſſe, ut non nulla copioſe ac rhetorice perſecutus fuerit, quædam brevius atque hiſtorice, alia modo excerptorum breviſſime, *quibus* ὅτι illud, ut ſolent Græci, præfixerit. Concedit vero Editor doctiſſimus, non ita perfectum hoc opus eſſe, aut ea elaboratum cura & induſtria, ut nihil in eo emendari aut magis expoliri potuerit, cum etiam optimi ſcriptores habeant aliquando ſuos nævos. Clariſſimo Kuhnio, qui compilatorum analecta & ruta cæſa vocitarat, ex iis reſpondet, quæ Stobæus & ad Homerum Euſtathius ex Varia allegant, e quibus luculente appareat, illorum ævo eandem fuiſſe Variam, quæ nunc eſt, idque exemplis cum Stobæi tum Euſtathii *clariſſimis* demonſtrat. Tandem ad fragmenta ex Suida, a *Scheffero* atque Kuhnio collecta, quæ in Varia, ut nunc eſt, *non reperiantur*, reſpondet, quatuor omnino eſſe, quæ nominatim ex Varia di-

cat

cat ipſe Suidas petita: cetera quæ ſtylo indice Kuhnius Æliano tribuat, incerta omnia eſſe: quæ Æliani nomen apud Suidam ferant, ſine tamen Ποικίλης, *Variæ* mentione, poſſe ex aliis quoque libris περὶ προνοίας, aut περὶ θείων ἐναργειῶν depromta eſſe, qui temporum injuria interciderunt: in quatuor vero illis videri Suidam vel memoriæ lapſu aberraſſe, ut aliis libris lecta putaverit ex Varia eſſe; vel librariorum audacia Ποικίλης vocem adjectam eſſe: licet negare nolit, plures forſan hujus Variæ libros fuiſſe, quemadmodum quidam XVII librum in Vindebonenſi Cæſarea Bibliotheca ex Sambuciana ſupereſſe tradiderint, cujus vero Neſſelianus Index nullam mentionem faciat. Sextum librum ipſe Perizonius interiiſſe ſuſpicatur, & quintum a librariis in duos, ut numerus compleretur, diviſum eſſe, quia in MSS. ſuis nihil de ſexti titulo repererat. Ad fragmenta ex Stobæo reſpondet, valde illa ſuſpecta eſſe, cum ejus margini adſcripta Auctorum nomina ſæpiſſime ſint vitioſa, ſæpe etiam alio, quam oportebat, loco poſita, ſæpe penitus omiſſa; ideoque putat, nullum eorum eſſe vere ex Varia hac Hiſtoria deſumptum.

Hinc ad editiones Æliani Variæ enumerandas & recenſendas progreditur, quarum octo vel novem nominat, quæ omnes ex prima Romana Camilli Peruſci de anno MDXLV, ſine nova MSStorum excusſione ſint derivatæ; e quibus duæ poſteriores propter Editorum claritatem in pretio adhuc fuerint, una Joannis Schefferi, aliquoties repetita, altera Joachimi Kuhnii, quorum uterque egregium aliquid ad Ælianum attulerit, uterque etiam multa reliquerit intacta, in Indice Græco non nulla poſuerint perperam, quæ emendatione indigeant. Verſionem Latinam dedit primus Juſtus Vultejus, triennio poſt Græci textus editionem Romanam: quæ a ſequentibus editoribus retenta quidem, etiam nomine appoſito interpretantis; ſed a pluribus illorum varie interpolata ſit. Noſter vero clariſſimus Perizonius, duos codices MSS. nactus, textum Græcum diligentiſſime emendavit, adhibitis etiam præter primigeniam editionem, quæ ex tribus Pariſienſibus Jo. Boivinius, & ex duobus Florentinis & uno Mediolanenſi a Marquardo Gudio excerpta celeberrimus Grævius communicaverat: Verſionem quoque paſſim correxit, & ad Græcum propius accommodavit: ex Indice Schefferi Kuhniique Græco ejecit falſa, aliena; & innumeris vocabu-

cabulis formulisque locupletiorem fecit, & tres alios adjecit, Rerum, & Auctorum ab Æliano citatorum, & Auctorum allegatorum in Notis ſuis. Has vero copioſas admodum pagellis ſingulis ſubjunxit, non Criticas tantum, ſed Hiſtoricas etiam, & ad variam Philologiam pertinentes, quibus quidquid lectorem morari poſſit, removetur, & plana omnia & expedita efficiuntur. Qua de cauſa ſub finem præfationis aperte dicit, ſibi non placere quorundam, quamlibet doctorum hominum, ſententiam & conſuetudinem, qui claſſicis, quos edant, Auctoribus nihil putent addendum eſſe, niſi criſin ſuam & variantes in MSStis lectiones: explicationem difficiliorum infra dignitatem famæ & claritatis ſuæ putent: quo fiat, ut parum culti homines, ſæpe inepti, aut juvenes, ejusmodi explicationes nudas, undique collectas conſcribant, & in *juventutis, ut ajunt, gratiam* emittant, quæ etiam cupide a multitudine deditorum literarum ſtudiis excipiantur, majori vendentium commodo, quam illorum, in quorum uſum dicuntur divulgatæ, aut ipſius rei literariæ. Quin potius magnorum hominum & literarum inſtauratorum exempla laudat & induſtriam, Manutiorum videlicet, & Lipſii, Scaligeri, Sigonii, Torrentii, Caſauboni, Salmaſii, Valeſiorum, quorum Notæ in præcipuos Auctores Romanos & quosdam Græcos, magno ſint ſemper in pretio, quia neque in ſola criſi conſumantur, neque in hiſtorica tantum & philologica explicatione, ſed utrumque munus, digno tantis ingeniis ſtudio atque felicitate, æqualiter conjunctum perfectumque exhibeant. Minus dicit illorum ſe morem comprobare, qui omnem criſin, vetuſtis monumentis rem perneceſſariam, inſcitia quadam aut laboris fuga contemnant & flocci faciant: unde conſequens ſit, ut antiquorum libri vitioſiſſime propagentur, & ipſis literis ac diſciplinis ingens damnum inferatur, dum pro veris & genuinis accipiantur, quæ deſcribentium oſcitatio & negligentia & incuria typothetarum in lucem & uſum publicum protruſit. id quod ſacris profaniſque ibi exemplis perſpicue declarat. Suas autem Annotationes ad eum modum Vir clariſſimus accommodavit, quo ſupra laudati literarum Heroes in edendis antiquis *Scriptoribus* uſi fuerant. Ex quibus ut paucas prælibandas præbeamus, unde de ceteris judicari poſſit, & vel exemplorum quorundam loco refera-

feramus, viſum eſt pretium non indignum neque exiguum hujus operæ fore.

Ad lib. I cap. XV occaſione interruptæ conſtructionis, addidit & explicavit Vir clariſſimus exemplum ſacrum ex Apocalypſ. XIII 8, ubi ultima verba ἀπὸ καταβολῆς κόσμου non cum proxime præcedente ἐσφαγμένου conſtruit, ſed cum remotiore γέγραπται, idque parallelo loco breviore Apocalypſ. XVII, 8 ſatis putat confirmari. Ad ejuſdem libri caput XXII *Talentum Babylonium* expendit, & *Daricos* nummos, quid valuerint & unde habuerint appellationem, examinat.

Ad lib. II cap. VI bene explicantur γυμναστὴς & γυμνασιάρχης, in quo conveniant & quibus in rebus diſtinguantur: etiam alia rei gymnaſticæ præclare ibidem exponuntur. Ad ejuſdem libri cap. VIII ex nota numerali Græcorum probat, antiquis Græcis etiam literam Ϙ fuiſſe, eamque eodem ordine & figura, quibus apud Latinos eſt, videlicet in Π & Ρ, ſive *P* & *R*. Ad lib. III cap. I explicatur, quanta menſura agrorum πλέθρον, *plethrum* fuerit: item quantum *jugerum*, quo illud ſæpe Latine vertitur: ubi plures ſimul Auctores emendantur. Ad ejuſdem libri cap. XVIII Sileni hiſtoria ſive fabula illuſtratur: nec non veterum umbra notitiæ de America & Fortunatis inſulis: ad Cap. XXXII *Plectrum* lyræ ſive citharæ quale fuerit, demonſtratur: ad Cap. XXXVIII veterum *Gymnaſia* & *Agones* perluſtrantur: ad Cap. XL *Tityri* qui fuerint, & an diſtincti a Satyris, eſt expoſitum.

Ad lib. V cap. VIII verus uſus verbi ἀπάγχεσθαι ad conciliandum inter ſe ſacros ſcriptores, Matthæum & Lucam, de morte Iudæ proditoris, explicatur.

Ad calcem libri VII occaſione eorum, quæ cap. XVI illius tradita fuerant, mutuæ Epiſtolæ CLL. Virorum, noſtri Perizonii & Theodori Ryckii, de *matre Romuli*, ejuſque nominibus, *Iliæ* præſertim, tam apud poetas quam ſolutos ſcriptores, adjiciuntur, elegantes ſane ac multa doctrina refertæ.

Ad lib. VIII cap. V ritus *luſtrationis* ſive *expiationis*, maxime circa remotionem ejus a ſocietate, qui expiandus erat, explicatur, idque imitamentum ſacri Moſaici ritus oſtenditur fuiſſe.

Ad lib. IX cap. IV inquiritur, unde ἀτιμία virorum ex co-

ma fuerit I Corinth. XI, 14, illamque ex recepta illis temporibus conſuetudine, qua ſoli molles & impudici comas alebant, oſtenditur fuiſſe. Ibidem ad cap. VIII de *Tympanis* veterum, præſertim in Matris Magnæ ſacris copioſa & docta eſt diſſertatio.

Ad lib. IX cap. XL πηδάλια, *gubernacula* cur plurativo numero de una navi Act. Apoſt. XXVII, 40 dicantur, quod torſit quosdam interpretes, perſpicue illuſtratur.

Ad lib. XII cap. XXXV *Sibylla Judæa* ſive *Hebræa* deſcribitur. Atque hujus generis plura ubique in Perizonii eruditis Commentariis inveniuntur & explicantur.

PHYSIOLOGIA MEDICA, SIVE DE NATURA HUmana Liber bipartitus, autore JO. GOTHOFREDO BERGERO D. Potentisſimi Poloniarum Regis & Electoris Saxoniæ Archiatro, Ordinis Medici in Academia Vitembergenſi Seniore ac Profeſſore Primario.

Vitembergæ, ex officina Chriſtiani Kreuſigii, 1701, 4.
Alph. 2. pl. 19.

PHyſiologia Medica, quæ alias etiam Anthropologia dicitur, nihil aliud eſt, quam doctrina de homine ſano, quam celeberrimus Autor in duos dividit libros, quorum alter de homine nato, alter de naſcendo agit. Libro priore Cap. I partes hominis eſſentiales, mentem ſive animam rationalem, & corpus humanum, conſtituit: illamque ſubſtantiam vocat cogitantem, certa lege cum corpore conjunctam; hoc vero machinam naturalem, ex partibus ſolidis & liquidis eo modo contextam, ut a motu utrarumque vita pendeat. Hinc Cap. II utriusque generis partes exponit, & per liquidas, rejecta voce ſpirituum, humores, vel ſuccos corporis intelligit, interque eos primum ſanguini locum concedit. Quo vero pateat, quomodo a ſanguine vita dependeat, Cap. III naturam ejus & compoſitionem, ac motum explicat, hunceque duplicem facit, inteſtinum unum, ſive minimorum juxta ſe invicem, & alterum progredientem, ſive circularem, quo omnes partes eodem ſanguine perfunduntur. Priorem a diviſione partium ſanguinis, & his interjectis æthereis, atque elaſticis aeris particulis repetit. Aerem vero, huic continuando motui neceſſarium, recipi putat

Digitized by Google

tat in pulmonibus ab ambiente atmoſphæra, unde prius, quam de altero agat progrediente ſanguinis motu, Cap. IV tranſit ad reſpirationem. Hujus primo explicat actionem, & deinde uſum. Illam ex motu reciproco thoracis, & gravitate ac elaterio aeris deducit, & cuncta non minus ratione, quam experimentis ita demonſtrat, ut nihil prætermiſiſſe videatur. Ante vero, quam ad uſum reſpirationis veniat, ingreſſum aeris ex pulmonibus in venas, ipſumque ſanguinem, demonſtrat, & adverſas removet opiniones. Tum vero primarium reſpirationis uſum in ea ſanguinis refectione in pulmonibus, qua ille non ſolum dividitur & attenuatur, ſed etiam motus ejus inteſtinus, atque adeo progrediens, recepti aeris elaterio inſtauratur, unaque æquabilitas cum aere externo conſervatur, conſtituit, & plures deinde uſus ſecundarios recenſet. Expoſita reſpiratione, ad motum ſanguinis progredientem, ſive circulum, deſcendit. Hujus principium ſtatuit cor, cujus primo conſtructionem muſculoſam atque mechanicam, & motum exponit. Deinde de arteriis, harumque pulſu agit, & quomodo iisdem ſanguinis progresſio in venas promoveatur, tradit. Tum venarum conformationem & uſum aggreditur, & earū alias ſanguineas, alias ſeroſas, quæ vaſa dicuntur lymphatica, facit, ac lymphæ motum per glandulas conglobatas, rationemque, quamobrem lymphæ quædam portio per vaſa propria ex arteriis ad cor reducatur, docet, & utrarumque venarum originem ab arteriis arceſſit, nihil easdem aliud eſſe exiſtimans, quam arterias recurvas, vel cor verſus replicatas. Et quia ab arteriis non ſolum venas, ſed etiam ductus porosque alios ſecretorios deducit, tranſitum ſanguinis ex arteriis in venas immediatum ſtatuit in omnibus partibus, ſi unum excipias genitale, illorumque adeo opiniones rejicit, qui ſanguinem ex arteriis emitti in ſubſtantiam partium, & per harum poros, vel tubulos, in venas demum, vaſaque lymphatica, & propria partium ſecretoria, transfundi volunt. His ita conſtitutis, cor nihil aliud eſſe putat, quam antliam, humoribus ex vaſis in vaſa transfundendis derivandisque deſtinatam, & omnem ejus vigorem a glomeris ſui fibroſi & ſpiralis, ſuccisque vitalibus irrigui vi elaſtica, & hinc pendente pulſatione, repetit, nullum vero eidem ſpiritum, vel ignem, vel calorem proprium, concedit, nullamque in eo efferveſcentiam, vel fermentationem admittit, ſed communem cordi cum toto corpore

pore calorem, eumque influentem & mutuatitium a ſanguine ſtatuit. Hunc vero a motu minimorum ſanguinis inteſtino, quo ſubtilis ætherea materia cunctas illius particulas, inprimisque ſulphureas, verſat & agitat, deducit, & prout mixtio & motio minimorum ſanguinis variat, varias etiam habitudines corporis, quas temperamentorum differentias Medici vocant, oriri affirmat. Denique circulum ſanguinis pro copia & habitudine humorum, & cordis ac viſcerum reliquorum, & concurrentium cauſarum aliarum, multum variare, & ſæpius in una hora fieri, quam vulgo creditur, comprobat, ac poſtremo addit, ab illo ſanguinis motu vitam & actiones corporis omnes pendere. Quod ut confirmet, actiones corporis ordine proſequitur, & Cap. VI initium facit a ſecretione animali, qua omnium humorum, quibuscunque demum nominibus veniant, generationem, ipſamque nutritionem corporis, complectitur. Atque hanc quidem actionem opinatur neceſſarium eſſe conſequens circuli ſanguinis, idque ex ipſa vaſorum conſtructione patere ait, quod ex arteriis, ex corde emergentibus, non ſolum omnes venæ replicentur, ſed etiam alii ductus laterales egrediantur, quibus humores quibusque convenientes ex maſſa humorum, cordis pulſu per arterias advectorum, citra ſanguinis extravaſationem ſecedant & ſegregentur. Hac arte in cerebro, glandulis oculorum, ſalivalibus, cutis, ut & in hepate, renibus, teſtibus, & partibus aliis, ſecretionem humorum variorum fieri exiſtimat, & poros ac meatus vaſorum pro organis illius actionis habet, eamque non a figura illorum, ſed a diametro varia, repetendam putat. Ac cum humorum omnium generationem, ipſamque corporis nutritionem, ſecretione fieri affirmet, ad ſecretionem in ſpecie progreditur, & Cap. VII chylificationem ſecretione utilis ab inutili fieri oſtendit, ad modum ſolutionis & extractionis chymicæ, ita ut ex cibis, in canale alimentorum ope maſticationis, & agitationis ventriculi & inteſtinorum, ac diverſorum liquorum, ſatis exſolutis, pars melior chyloſa in inteſtinis per quandam filtrationem a fæcibus ſegregata, colore albo in vias lacteas, per easque ad ſanguinem & cor transmittatur. Hoc autem colore chylum nusquam in corpore ſecerni tradit Cap. IIX niſi in mammis gravidarum, & lactantium, in quarum vaſculis a ſanguine ſecretus, lactis nomine aſſervetur, & per papillarum tubulos reddatur. Ceteroqui vero chylum

lum Cap. IX opinatur converti in ſanguinem & lympham, motu utriusque cum inteſtino, tum progrediente, quo nempe chylus alium ſuarum partium ſitum, motum, magnitudinem & figuram, atque adeo novas adipiſcatur qualitates, & ſegregatis ramentis terreis, ſalinis, & ſulphureis, crebrioribus circuitibus in ſanguinem demum purpureum & lympham cryſtallinam adoleſcat. Officinam igitur ſanguificationis ipſum ſanguinem, & cauſam efficientem motum ejus utrumque prædictum ſtatuit, eoque actionem pulmonum, cordis & arteriarum refert. Speciatim autem ad lymphæ elaborationem conferre putat glandulas conglobatas, quarum expoſita ſtructura, eas tanquam totidem corcula, vel machinas hydraulicas habet, vaſis lymphaticis interjectas, ut lympham conquaſſent, atque ex uno vaſe lymphatico in aliud cor verſus transfundant. Lympham autem & ſerum ſanguinis pro uno habet humore, qui per arterias cum purpura vehatur, & partim cum eadem per venas ſanguineas, partim ſine illa per vaſa lymphatica, ad cor reducatur. Expoſita generatione ſanguinis & lymphæ, hanc Cap. X ſuccum vocat originalem & nutricium univerſi corporis, quo nimirum intra ovulum muliebre prima embryonis ſtamina concreſcant, & deinde augeantur & inſtaurentur. Pro cauſa nutritionis efficiente preſſionem habet humorum, a circulo ſanguinis pendentem, & inde orientem ſecretionem particularum alibilium, earumque in poros partium alendarum contruſionem, & cum his ſecundum omnes facieculas cohæſionem & contactum, quem ſubtilis materiæ tranſitus & vis elaſtica aeris interioris adjuvent, quo firmior fiat cohæſio, & ex liquidis ſolidæ reddantur partes. Eoque humore non ſolum nutritionem fieri arbitratur fibrarum carnearum & ceterarum, ſed etiam nervoſarum, indeque cauſam atrophiæ in paralyſi petit. Quum autem ad nutritionem corporis lympham requirat puriorem, ad illam progreditur ſecretionem, qua chylus & ſanguis ab impuritatibus & redundantia liberantur. Inter has Cap. XI principem locum tribuit tranſpirationi inſenſibili, qua expoſita, Cap. XII tranſit ad ſecretionem urinæ, quam in renibus ſola percolatione fieri comprobat, ac de elementis urinæ, indeque oriundo colore, tum quoque de generatione calculorum, & uroſcopiæ uſu, & abuſu multa lectu digniſſima addit. Et cum eidem probabile videatur, renes ſuccenturiatos

tos ſuccum a ſanguine ſecernere, qui affuſus humoribus, a cruribus & renibus redeuntibus, motum eorum retrogradum tueatur, de illorum conſtructione uſuque Cap. XIII quædam ſubjungit. Deinde ad reliqua ſecretionum genera progreditur, & Cap. XIV agit de ſecretione materiæ bilioſæ in hepate, quam partem ſanguinis ⊖no-♀eam conſtituit, atque ex propaginibus venæ portæ in vaſa biliaria transmitti ſtatuit, rationemque reddit probabilem, quamobrem illa materia a ſanguine venæ portæ ſegregetur. Huc conferre putat lienem, & ex mechanica ejus conſtructione rationem elicit, qua viſcus illud bilis ſecretioni in hepate ſervire poſſit. Bilem autem, in hepate ſegregatam, omnem ad inteſtina amandari tradit, vel immediate, vel intermedia veſicula fellea, in qua minimam bilis partem ſecerni putat, majorem autem copiam colligi ex ductibus *cyſt-hepaticis*; radices vero cyſticas, fundo veſicæ infixas, fictas eſſe ait. *Addit* demum rationem, quamobrem bilis in peculiari colligatur folliculo, & ejus compoſitione uſuque expoſitis, aliorum opiniones refellit. Cap. autem XV de ſecretione uſuque pinguedinis & medullæ oſſium agit, & huic Cap. XVI de ſecretione lymphæ ventriculi, inteſtinorum, & pancreaticæ, ſubdit. Hinc Cap. XVII ad ſecretionem lymphæ & humoris aquei oculorum abit, & Cap. XIIX ſecretionem aquæ pericardii, & madoris pleuræ, peritonæi, ac membranarum aliarum exponit. Cap. vero XIX accedit ad ſecretionem liquorum genitalium, & expoſita conſtructione organorum viri, vim naturamque liquoris maſculi tradit, & de ſemine addit muliebri, quod idem ovulis contineatur. Deinde Cap. XX de ſecretione *ſanguinis menſtrui* agit, quem natura non pravum, vel malignum cenſet, neque a motu Lunæ, vel archeo, aut fermento quodam uteri, ſed ab humorum redundantia, ſexui illi ſingulari, repetendum, atque in gratiam futuri fœtus in vaſis colligi, exiſtimat, extraque illud geſtationis, aut lactationis negotium abundare, atque ad ſalutem & conſervationem corporis per muliebria dimitti. Rationem etiam reddit, quamobrem per muliebria ſanguis hic excernatur, & locum ſecretionis *non* uteri fundum, ſed vaginam ſtatuit. Cap. demum XXI *ſecretionis a*nimalis negotium ſecretione motuque ſucci nervoſi claudit. Primo autem dari liquidum in cerebro & nervis, non uno argumento comprobat, idque non igneum, neque lucidum, neque æthereum, ne-

que

que aereum eſſe, neque auræ inſtar, aut exhalationis tenuiſſimæ, ſe habere, neque cum ſpiritibus chymicorum urinoſis, acidis, ardentibus, & ⊖nis volatilibus oleoſis comparari poſſe, ſed nihil aliud eſſe exiſtimat, quam ſubactiorem lymphæ partem, pulſu cordis cum ſanguine per arterias traductam, atque in fibras cerebri & nervorum transmiſſam, ut fibras omnes nerveas nutriat, & ita opportune repleat & tendat, quo motus, cum directi ex cerebro ad muſculos & partes omnes, tum reflexi ab organis ſenſuum ad cerebrum, recte fieri poſſint. Hinc enim pendere putat omnes ſenſuum & motionum operationes, & quidquid vulgo ſpirituum mobilitati atque agilitati tribuitur. Quod omne quo melius intelligatur, conſtructionem cerebri & nervorum exponit, & tandem concludit, illud officinam ſucci nervoſi eſſe, & præter hunc nullum archeum, vel ſpiritum animalem, admittendum eſſe. Quo vero demonſtret, omnes operationes, quæ vulgo ſpiritui animali adſcribuntur, a ſucco nervoſo dependere, Cap. XXI initium facit a motu partium ſolidarum, huncque in voluntarium & involuntarium dividit, & utriusque organum fibras motrices, ex iisdemque compoſitos muſculos ſtatuit. Duas autem fibræ motricis partes conſtituit, carneam, & tendineam, quarum illam ex columnella cylindracea poroſa, fibris transverſis membranaceis ac nervoſis diſtincta, & vaſis donata ſanguineis, ac nervis, & corrugari contrahique apta, conſtare, ac ſuis extremitatibus, conſtrictis arctius & coactis, in fibras graciliores & rigidiores, quæ tendineæ vocantur, abire arbitratur. Hinc actionem fibræ motricis & muſculi ipſius primariam dicit eſſe contractionem fibræ carneæ, hancque in quibusdam partibus adductionem membri, cui infixus eſt tendo, conſequi. Illius vero contractionis cauſam efficientem affirmat quidem eſſe influxum ſanguinis & ſucci nervoſi, negat autem eam ab utriusque liquidi concurſione, & inde oriente fibræ carneæ inflatione, vel intumeſcentia quacunque proficiſci, ſed fieri tradit a ſucco nervorum, tendente fibras transverſas membranaceas, hisque, ceu vectibus, fibras carneas conſtringi & contrahi, citra ſuccorum illorum confuſionem, & tumorem fibrarum. Nam fibras carneas a ſanguine, fibras vero transverſas a ſucco nervoſo rigari, & hujus utriusque vigore liquidi fibras illas ſibi perpetuo contra niti exiſtimat, adeo ut fibræ carneæ, quia ſucco, intus in adverſum nitente, & elaſtico, ad-

Rrr vecto

vecto ab arteriis, turgent, tanquam animatos habeant elateres, qui contrahi, & rurſus diſtrahi, vel reſilire poſſint. His rationem diſcriminis motuum voluntariorum & involuntariorum, & vocis ac loquelæ formationem addit. Nec minus Cap. XXIII ab eodem nervorum ſucco ſenſum deducit, ad quem tria probe diſtinguenda requirit: actionem nempe objecti in organum, hincque excitatam ejus motionem, & hanc conſequentem in anima ſenſationem. Actionem objecti omnem a partium, quibus illud conſtat, textura, & hinc oriente habitudine organa ſenſuum varie movendi, pendere ſtatuit, rejectis ſpeciebus, & qualitatibus ſenſibilibus, ab illa actione diſtinctis. Unde eorum, quæ ſenſus movent, alia ipſis in objectis exiſtere, alia in ſenſu demum exoriri putat, occaſione motus illius, quem objecta imprimunt, cujusmodi exiſtimat eſſe *colores*, odores, ſapores, & ſimiles his affectiones. In organis *nihil eſſe aliud* ait, præterquam eam partium conformationem, qua motus ab objectis inditos ſuſcipere, atque ad cerebrum propagare poſſint. Unde præcipuam illorum partem nervum eſſe putat, in papillam, vel membranam, aut fibrillas abeuntem, atque ſucco nervoſo ita perfuſum, ut moveri nequeat ejus extremitas, quin ſimul moveatur ſuccus nervo comprehenſus, & per concitatas ejus undas, *fibrarum*que forte ipſarum tremores, conſimilis motus ad principium nervorum, videlicet cerebrum, traducatur. Atque in hujus quidem illa parte, quæ centrum dicitur ovale, animæ ſedem eſſe opinatur, ab eaque motiones illas & mutationes, quæ corpori ab objectis accidunt, demum percipi, dum ſuas cogitationes varias iſtis variis *motionibus accommodat*, vi unionis, qua Deus mentem cum corpore conjunxit. Cum igitur anima ſit, quæ ſentiat, unum putat eſſe ſenſum, qui quidem nunc ſenſus externi, nunc interni, & jam viſus, nunc auditus &c nominibus veniat. Rejicit quoque vulgarem ſenſuum internorum diviſionem, & unam ſtatuit imaginationem, pluribusque exponit, quid memoria, & ſpecies ſint vel ideæ rerum, quæ in cerebro & anima relinqui dicuntur, ac unam ſenſui prædictam in cerebro ſedem aſſignat. A ſenſu provehitur ad illas animæ operationes, *quæ vocantur* intellectio & voluntas,& utraque expoſita,nihil in *intellectu* eſſe concludit, quin prius aliquo modo in ſenſu fuerit. *Hinc* de ingeniorum varietate quædam addit, & refutata Huarti *opinione*, eam

a va-

a varia ſanguinis, & ſucci nervoſi, ac fibrarum cerebri indole, tum quoque ab exercitatione animi & inſtitutione varia repetit, & probe vim ſenſus & imaginationis a vi intellectus diſtinguendam, ex eoque diſcrimine neglecto errores profluere, putat. His de ſenſu in genere præmiſſis, ad ſenſus externos in ſpecie progreditur, de iisdemque quinque diſtinctis agit capitibus, & primo uniuscujusque ſenſus organum, & quarumvis partium uſum ordine deſcribit; deinde, cum de objecto agit, caute ubivis diſtinguit vim & actionem objecti in organum ab inde excitata ſenſatione in anima, quam vulgo cum illa confundi, eamque eſſe originem monet qualitatum & ſpecierum ſenſibilium, quas vulgo ab objectis ad organa manare credunt. Tota autem hæc doctrina ſenſuum principiis inſiſtit mechanicis, nimirum particularum, quibus res ſenſibiles conſtant, variæ ratione figuræ, magnitudinis, ſitus, ordinis, & motus, diſpoſitioni, & inde orienti commotioni variæ organorum, qua illæ affectiones, quas appellamus lumen, colores, odores &c. in anima excitantur. De ſingulis autem copioſe ſatis & accurate Autorem egiſſe, ex ipſa lectione cuilibet conſtabit. Huic ſenſuum doctrinæ Cap. XXIX ſenſus ſubjungit famis, ſitis & amoris, quos Deus ad ſui & generis conſervationem hominibus indidit. Cap. autem XXX de affectibus animi agit, quos cum Carteſio ad ſenſus refert, & nihil aliud eſſe putat, quam perceptiones quasdam, conjunctas cum inſigni quadam ſucci nervoſi in cerebro, & utplurimum etiam cordis & ſanguinis agitatione. De horum ſede, cauſis & uſu, tum etiam effectis, quæ in corpore relinquunt, multa addit lectione digna, & tandem Cap. XXXI de vigilia & ſomno agit, illamque in debita fibrarum cerebri & nervorum tenſione, indeque pendente omnium ſenſuum & motionum operationibus ſervientium organorum vigore; hunc vero a preſſione atque remiſſione earundem fibrarum, & hinc oriente requie prædictorum organorum repetit, & per cauſas, quibus ſomnus inducitur, id demonſtrat, ac demum uſu atque neceſſitate ſomni primum librum concludit.

Libro altero de naſcendo homine Illuſtris Autor agit, & tribus capitibus ſtrictim & nervoſe totum generationis negotium complectitur. Cap. I tractat conceptionem fœtus humani, & expoſitis utriusque ſexus organis, ac eorum uſibus, conceptionem nihil

eſſe aliud arbitratur, quam ovuli muliebris a liquore maſculo fœcundationem. Supponit autem, in ovulo etiam non fœcundo rudimentum futuri fœtus compendio præexiſtere, quemadmodum in ovi gallinacei, tam ſubventanei, quam fœcundi, cicatricula pulli veſtigium latere conſtat. Addit etiam, quomodo ovulum maturum miniſterio glandulæ gignatur, atque ex ovario ſecedat, & per oviductum ad uterum deferatur, in quo quidem ordinario naturæ curſu conceptionem, ſive fœcundationem ovuli, fieri a vividioribus & mobilioribus liquoris maſculi particulis, ovi poroſas pelliculas permeantibus, exiſtimat, & comparationem fœcundationis ovi cum germinatione ſeminis vegetabilis facit, quæque gemellorum, vel plurium liberorum ſit cauſa, & cur fœtus unus alteri adnaſcatur, ſententiam addit, & quid de partium primogenitura, ac diviſione in partes ſanguineas & ſpermaticas ſtatuendum ſit, definit. Cap. II *de fœtus nutritione* agit, quam continuatam vocat generationem, & acceſſione lymphæ primo conſocialis, in qua conceptus eſt embryo, & deinde advectæ ex utero matris in cavum amnii per os fieri, demonſtrat. Quod ut eo clarius probet, de origine vaſorum umbilicalium & placentæ uterinæ productione, ac membranis fœtus agit, & demum ambiguam facit nutritionem per umbilicum, quæque argumenta contra nutritionem per os afferri ſolent, examinat. Fœtum quoque reſpirare negat, ob eamque rem factas peculiares vaſorum cordis anaſtomoſes, & totum ſanguinis circulum in fœtu, deſcribit. Cap. III & ultimo *de partu* agit, ac primo certum pariendi tempus homini præſcriptum eſſe, & vivacem omnino partum octimeſtrem ait; deinde *cauſas partus* impulſivas, & effectrices perſequitur, ac demum ſolutione problematis Harveji, ſuum librum finit. In extremo monemus, ei conſtitutum eſſe propediem aliquid in lucem edere, quo aliqui brevius expoſita uberius clariusque explanentur: id quod una nobiſcum quam avidiſſime haud dubie expectabunt omnes, quibus vel ex hac Phyſiologia Autoris Excellentiſſimi dexteritas inſignisque eruditio eſt perſpecta.

NOTIZIE LETTERARIE, ED ISTORICHE &c.

h. e.

NO-

NOTITIÆ LITTERARIÆ ET HISTORICÆ DE Viris Illuſtribus Academiæ Florentinæ. Pars I.

Florentiæ per Petrum Matini, 1700, 4.
Conſtant Alph. 2. & plag. 4.

PLuribus uno fœtum hunc ſuſceptum eſſe parentibus, quibus ſcribendi ratio diverſa quidem, idem tamen ſingulis fuerit inſtitutum, ut in honorem florentiſſimi Conſortii, prædeceſſorum ſuorum famam ab oblivione vindicarent, tuto nobis affirmare licet. Partiti enim inter ſe piiſſimum laborem Academici aliquot nobiles atque eruditi, quilibet eorum ſumma alacritate ſuo incubuit penſo; omnibus vero præſto fuit Illuſtris *Antonii Magliabechii*, quem Academia ſibi a ſecretis præfecit, utiliſſima opera, qui, uti mirifica iſtarum rerum notitia atque ad juvandos literatorum conatus propenſione celebratur, & recta monendo, & parum obvia ſuggerendo, tam graves lucubrationes egregie promovit. Atque is quoque eſt, qui in ipſo acerbiſſimo dolore, ob Jacobi fratris, Juris-conſulti in Romana Curia excellentiſſimi, & Pontifici ac Purpuratis bonisque omnibus maxime deſiderabilis, immaturam mortem, percepto, hunc librum ad nos curare voluit, etſi ſerius paulo huc, quam ipſe optaverat, delatum. Urget igitur ſpectata Viri benevolentia, ut condignas ei grates publice hic decernamus, nec minus urgent amicitiæ leges, ut domeſtico ejus funeri congementes Deum O. M. ſuppliciter adoremus, ut tam dulce rei litterariæ decus ac præſidium diu ſupereſſe, ſeriusque fraternis Manibus ſociari patiatur. Verum ut librum ipſum tandem paulo propius aſpiciamus, nihil magis e re fuerit, quam originem & progreſſum Academiæ memoratæ, quæ toto cœlo differt ab ea quam *della Cruſca* nominant, paucis prælibare. Fœcunda hæc magnorum ingeniorum mater a parvis admodum initiis, ceu hujus generis ſocietates habere ſolent, tanta ſubito accepit incrementa, ut Etruriæ non modo, ſed etiam univerſæ Italiæ & ornamento & admirationi fuerit. Cum enim ſtudioſi aliquot juvenes Florentiæ, d. 1 Novembris A. 1540, in domo Johannis Mazzuoli conveniſſent, oborto forte ſermone de lingua Etruſca, conſtitutum ipſis fuit, ut ejus excolendæ cauſa, per certa dierum intervalla in unum congregarentur, novellamque Academiam fundarent. Facto inde

conſeſſu d. 14 Novembris, placuit ſingulis, ut myſterioſo *Humidorum* nomine inſignirentur, perpetuum vigorem atque acceſſiones certiſſimas hoc ipſo ſibi augurantes. Neque eos fefellit omen. Nam & ſociorum numero & præſtantia ad invidiam poſtea crevit Academia, & in hodiernum quoque diem feliciſſime perdurat. Cura inſuper legum condendarum, quibus in poſterum regerentur, duobus ſui ordinis demandata, d. 11 Febr. inſequentis anni viginti octo ſuffragiis easdem comprobarunt, quarum non ultima eſt, quæ ſingulis diebus Solis & Jovis Lyricum aliquod poema (*Sonetto*) Petrarchæ privatim inter ipſos prælegi jubet. Eodem quoque die, id eſt tribus menſibus a prima origine vix prætcrlapſis, aliud Academia nomen, repudiato priore, aſſumſit, ſiquidem Coſinus I Magnus Dux Etruriæ, pro innato Genti ſuæ ad promovendas bonas literas ardore, atque inſtigante Pyrrho Colonna, qui multum gratia apud illum valebat, ſub clientelam ſuam eam receperat, edixeratque, ut ſine alio cognomine Academia Florentina deinceps appellaretur. Quo facto locum conventibus inſtituendis in palatio ſuo benigne conceſſit, cumque is anguſtior videretur, quam ut affluentem hominum multitudinem caperet, alium & ampliorem & commodiorem ſubſtituit. Quo vero major dignitas ac veneratio nobiliſſimæ Societati accreſceret, Conſulis, Cenſoris & Conſiliariorum officia illi aptari permiſit, ita quidem, ut penes Conſulem omnis autoritas ac jurisdictio, Rectori Generali Univerſitatis Florentinæ antea competens, reſideret, exercenda quosvis in Doctores, Profeſſores, Studioſos ac Miniſtros Univerſitatis, in Bibliopolas item ac Scribas, ſingulosque Academicos. Inde eſt, quod in epiſtolis ſubſcribendis hac formula utatur: Conſul Academiæ Florentinæ & Rector Generalis Univerſitatis Florentinæ. Præcedit etiam in ſacris ſolennibus omnes alios urbis Magiſtratus, Supremumque Conſiliariorum Magiſtratum & Rotam Juſtitiæ ex ordinatione Coſmi I de A. 1550 d. 27 Octobr. proxime ſequitur. In ampliſſimis ſuis inſignibus Academia oſtentat fluvium Arnum imagine ſenis, qui in herba recumbit, urnæque aquam copioſe profundenti cubito innititur; Laurum item, Leonem, ac Capricornum ex ſingulari prælaudati Coſini I gratia prioribus ſuperadditum, cum verbis: ACCADEMIA FIORENTINA.

Quantacunque autem iſta & honoris ac felicitatis habeantur argu-

Digitized by Google

argumenta, ampliora ſane colligere haud potuiſſet, quam quæ ex fama tot illuſtrium alumnorum, Pontificum ſcilicet, Cardinalium, Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, aliorumque & genere & eruditione plane inſignium, in eam uberrime redundarunt. De cujus rei veritate facile cuivis conſtabit, qui præſentem librum, viginti & ſex ſupra centum Academicorum memoriam complectentem, cum cura legerit. Nobis vero e tanto agmine aliquos ſaltem, & ingenii & virtutum gloria domi foriſque conſpicuos, producere animus eſt, ita tamen, ut curioſorum appetitum potius incitatum quam expletum iri præſentiamus. Inter illos, qui naſcenti Academiæ nomina ſua dedere, poſt Antonium Altovitum, Archi-Epiſcopum Florentinum, ſtatim ſe offert Carolus Lenzonus, cujus opera in patria lingua Danti- p. 3.
caque eloquentia vindicanda inprimis fuit æſtimata. Bartholomæus p. 7. 64
Barbadorus & Hieronymus Meus accuratiſſima Græcarum literarum cognitione ambo celebres, eoque nomine hic jungendi, quod Electram Euripidis ſociata induſtria e pulvere erutam, reliquas vero tragœdias turpiſſimis mendis repurgatas P. Victorio vulgandas exhibuerint: ille quidem in Æſchylo emaculando ſtrenuum adhuc laboris comitem ſe præſtitit; hic vero de veteribus Muſicæ modis, partim in Dialogo, qui Vincentii Galilei nomine celebratur, partim in aliis ſcriptis nondum editis pulchre ratiocinatus eſſe fertur. Petrus Franciſcus p. 18.
Giambullarius, multiplicis eruditionis laude nobilis, præter alia vernaculo ſermone compoſita, Dialogum de origine linguæ Florentinæ Gelli titulo inſignitum exaravit. Hiſtoriam Europæam imperfectam reliquit, quæ tamen poſt Autoris ſui fata, Venetiis A. 1566 in lucem prodiit. Familiariter uſus eſſe videtur Gulielmo Poſtello, quippe qui Commentatiunculam de nominibus Noachi & de ea fide, quæ fragmentis Beroſi adjici debeat, ſe ei ſcripſiſſe, in libro de Etruriæ Originibus expreſſe affirmat. Bernardus Segnius Ariſtote- p. 31.
lis lectione mirifice captus, ejusdem Ethica, Politica, Oeconomica, Poëtica, Rhetorica, librumque de Anima, partim Etruſco ore donavit, partim commentariis elegantiſſimis explicatiora dedit. Hiſtoriam quoque Florentinam usque ad A. 1555, ut & Nicolai Capponi avunculi ſui vitam accurate contexuit, quæ multorum manibus calamo deſcriptæ premuntur. Baccius Baldinus porro, Philoſophus p. 37.
eximius & Coſmi Magni Archiater, Bibliothecæ Laurentianæ, tum pri-

primum reſtauratæ, præfecturam ſumma cum laude obiiſſe, vitamque ac res geſtas Principis ſui diligentisſime perſecutus eſſe, Panegyricum etiam de Clementia, Diſcurſum de Eſſentia Fati, Commentaria in Hippocratem de aquis, aëre & locis, una cum Tractatu de Cucumeribus edidiſſe, hic memoratur. Neque prætereundus nobis Jo. Ba-
p. 44. ptiſta Adrianus cognomento Marcellinus, Patritia gente Florentiæ natus, qui cum oratoria facultate maxime polleret, tantam ſui exiſtimationem apud omnes ſtabilivit, ut doctisſimi quique ad *illum* auſcultandum certatim non modo concurrerent, ſed etiam Coſmus, magni animi & judicii Princeps, eum ad continuandas Franciſci Guicciardini Hiſtorias, præ cæteris huic muneri ſe obtrudentibus, unice deligeret. Qua quidem in re tam candide ac ſincere, tam judicioſe ac circumſpecte partes ſuas geſſit, ut Thuano, qui *ejus fidei plurimum* deferre ſuevit, mirandum prorſus videatur, præſtantiſſimum Scriptorem inter Italos minore, quam par ſit, pretio haberi. Joh. Bapti-
p. 51. ſta Gellus, a ſutoria arte ante exercita ad amplexandas Muſas converſus, eas in hoc ſtadio fecit progreſſiones, ut Academiæ præcipuum delicium atque alter quaſi conditor exiſtimaretur. Certum eſt, Lectionibus ejus in Infernum Dantis nihil diſertius aut copioſius, Circes cum Ulyſſe, & Fabri doliarii cum ſua ipſius anima Dialogis nihil feſtivius reperiri poſſe, in quibus etiam Lucianum ludendi facilitate
p. 87. ſeqq. æquavit, prudentia & moderatione multum ſuperavit. De Michaële Angelo Bonarota, ætatis ſuæ Lyſippo, Apelle ac Vitruvio, ejusque de Templo Vaticano immortalibus meritis, in Actis A. 1698 p. 207 diximus; hic vero incredibilem ejusdem in pangendis carminibus felicitatem, quorum magna pars typis impreſſa proſtat, haud mediocris in Vaticanæ Bibliothecæ ſcriniis deliteſcit, commendari deprehendas. Delicatisſimum præterea famæ jamjam acquiſitæ extitiſſe conſervatorem, inde colligas, quod cum organa illa inveniſſet, quibus ad ingentia ſaxa & prægrandes obeliſcos movendos hodienum in Italia utuntur, atque a Paulo III Pontifice quotidianis fere poſtulatis fatigaretur, ut Caji Imperatoris Obeliſcum in aream S. Petri conducendum ſuſciperet, ſurdas tamen illi aures ſemper obverterit. Rogantibus amicis, quare tanti ingenii ac peritiæ artifex adeo inexorabilem hac in parte ſe præberet? reſpondiſſe fertur: *Quid ſi rumperetur?* Haud obſcure indicans, minime conſultum ſibi videri, ut fa-

mæ

Digitized by Google

mæ ſuæ tot celebratisſimis documentis certo ſtabilitæ diſcrimen ſubiret, eandemque incerto caſui labefactandam exponeret, cum facile in vaſta hujusmodi mole fiſſura aliqua non prævisa latitare poſſet, quæ accedente inſolito motu demum ſe exereret, atque elegantisſimum marmor inopinato diſrumperet. Succedit deinde Johannes Caſa, Archi-Epiſcopus Beneventi, qui ambiguum reliquit, utrum plus ornamenti a Muſis, quam ab amplisſimis dignitatibus Eccleſiaſticis mutuaverit. Nam & ligata & ſoluta oratione, tum Etruſce tum Latine, mira ſtyli venuſtate varia compoſuit, quorum catalogum hic exhibent Noſtri; obſcœna vero nonnulla Epigrammata, quæ ſub nomine ejus vulgi manus percurrunt, quale eſt iſtud de Formica, ipſi nullotenus adjudicanda eſſe, ſerio obteſtantur. Liberioris tamen ingenii pœnas poſtea ſenſit, cum Cardinalitium faſtigium, etiamſi clarisſimis officiis in Aula Romana jamjam eſſet perfunctus, Paulique IV Nepotes cauſam ejus enixis precibus ſuſtentarent, aſcendere nullo modo valeret. Aſt ille nequicquam inde animo perturbatus Muſas indeſinenter coluit, donec A. 1556 naturæ debitum exſolvit. Hunc excipit Alexander Strozza Epiſcopus Volaterranus, cui inter alia laudis inſignia tribuunt, quod Joannis Tauleri opera, una cum ſanctisſimis Chriſtianæ pietatis exercitationibus, quæ Nicolaum Eſchium autorem habent, e Latina in Tuſcam linguam ſtudioſe converterit, & Volaterris commiſſum fidei ſuæ gregem, inuſitato tum temporis exemplo, crebris concionibus erudiverit. Prolixa ſunt encomia Benedicti Varchii, qui Boethio Severino de Conſolatione Philoſophica, & Senecæ de Beneficiis nativam ſuadam non modo accommodavit, verum etiam plurimas orationes, lectiones, comœdias, poëmata in publicum emiſit, quibus Etruſcas Veneres tam comtas nitidasque reddidit, ut non immerito norma atque arbiter linguæ patriæ audiret. Quo ipſo tamen tantam invidorum turbam in ſe concitavit, ut innocentisſimis ſuis moribus atque obſequio, quo doctos pariter ac ſemidoctos obſtringere ſibi cupiebat, impedire nequiverit, quin ludibriis atque inſidiis eorum fuerit impetitus. Imo Petri Aretini integritatem pecunia ſollicitarunt, ut Varchium in ſcriptis ſuis malo commate notaret. Breviores videas laudes Scipionis Aquilani, qui Piſis in cathedra Philoſophica eminuit, & libelli eruditisſimi de Placitis Philoſophorum, qui ante Ariſtotelis tempora floruerunt,

p. 115.
p. 145.
p. 147. ſeqq.
p. 296.

p. 304. poſt mortem quidem ejus demum vulgati, autor extitit. Memorandus quoque in hac tribu Richardus Tomſon, natione Anglus, cui Florentia gratiſſimum hoſpitium paratamque ſimul occaſionem ſuppeditavit, ut Caſauboni, Scaligeri, Hœſchelii, aliorumque virorum p. 313. celebriorum literaria molimina egregie juvare potuerit. Georgius Coreſius Chius nobili genere natus, & profeſſione Medicus, Piſis linguam Græcam docuit, iisdemque verſibus inclytum genus certaminis Florentinorum, quod apud illos *Calcio*, apud antiquos *Arpaſtum* appellatur, complexus eſt. Præter duo ſcripta Italica & Martyrium S. Theophili, contra Latinos diſſertationes aliquas publici juris fecit, quibus Leonis Allatii perquam immitem cenſuram in ſe provocavit, cui pietate amphibius, ingenio rudis & contumax, *dictione barbarus, & loquens magis quam eloquens indigitatur. Idem* quoque illum, poſtquam morte Franciſci *Principis Medicæi patrocinio* deſtitutus, relictis Piſis in Græciam reverti neceſſe habuiſſet, ſacrarum ædium aditu, myſteriorum communione, & Chriſtianorum colloquiis, a Patriarcha Conſtantinopolitano interclusum fuiſſe narrat. Æquiore illum judicio ob ſingularem operam, in concinnando Græcorum Rituali ſibi navatam, non uno in loco mactavit Jacobus Goar, unde forſitan conjicere quis poſſet, Allatium odio cauſæ,quam propugnabat Coreſius,invectivis iſtis ex parte campum aperuiſſe. Pro-p. 329. xime ab hoc diſtat Joannes Guidaccius Canonicus Florentinus, cui in conſcribenda P. Victorii vita, ejusque doctrina contra Antonium Majoragium & Heinricum Valerium vindicanda, multum temporis laborisque fuit impenſum; ſed inimico tantæ ſolertiæ *fato accidit, ut* fruſtra quis nunc requirat, ubinam angulorum ſchedæ iſtæ cum blat-p. 336. ſeqq. tis tineisve luctentur. Tandem in ſcenam prodeat Joh. Baptiſta Donius, Patritia Florentinorum familia oriundus, quo vix alius ardentiori ſtudio humaniores literas deamavit, nemo pluris otium literarium fecit. Licet enim in Purpuratorum Collegio honorifico atque opimo Secretariatus munere fungeretur, eo tamen quietis captandæ cauſa, & reliquum ætatis inter Muſarum ſacra tranſigendi, ſe abdicare, magis glorioſum duxit. Præcipue autem delectatus eſt *Muſica* vetere, cujus præſtantiam tonorumque rationem ac *diverſitatem* variis libris acri ſane judicio rariſſimaque doctrina refertis *explicuit.* Haud vulgarem quoque famam ſibi conciliavit diſſertatione ſua de

ultra-

Digitized by Google

utraque Pænula, & tractatu de Salubritate agri Romani reſtituenda; longe autem majora ejus in Rempublicam literariam fuiſſent merita, ſi ipſi præclara illa ingenii ſui monumenta, Onomaſticon ſcilicet ſeu Pandectarum opus, viginti libris diſtinctum, in quo omnia quarumcunque artium ac facultatum vocabula ſub certa capita digeſſerat; antiquarum Inſcriptionum ſex millium amplius, quæ in Syntagmate Gruteriano non reperiuntur, collectionem, cui peculiare caput Inſcriptionum barbaricarum ac peregrinarum addere decreverat; de Bibliothecis libros duos, in quos, quicquid librorum & ſcriptorum abſtruſiorum in celeberrimis Italiæ, Galliæ, ac Hiſpaniæ Bibliothecis, haud perfunctorie a ſe luſtratis, animadvertiſſet, ſedulo conjecerat; aliaque plura, quibus enumerandis otium noſtrum minime ſufficit, luci publicæ tradere licuiſſet. Sed cum tot luſtra ab egregii Viri obitu jamjam effluxerint, quibus nihil ejusmodi lucubrationum impreſſum vidimus, exiguus ſpei remanebit locus, fore, ut iisdem aliquando frui erudito orbi contingat. Clara quidem adhuc ſuperſunt nomina Cavalcantis, Capponiorum, Ceſſini, Rillii aliorumque, quæ fuſius hic commendare neque inſtituti noſtri ratio, neque Lectorum patientia facile indulget.

TRAITE' DE L' AMOUR DE DIEU.

h. e.

ELIÆ SAURINI TRACTATUS DE AMORE Dei.

Amſtelodami, apud Franc. Halma, A. 1701, in 8.
Alph. 2. plag. 10.

QUis crederet, amorem odio litigiisque occaſionem præbere, niſi turbatæ hominum mentes & corruptiſſima ætatis noſtræ conditio nota ipſi ac perſpecta eſſet? Græcis ἔρως & ἔρις una litera differunt, quorum graviſſima ſæpe diſſidia & internecinæ contentiones ex amoris fonte profluxerunt. Sed amoris Divini longe alia eſt ratio, qui disjunctiſſimos hominum animos ſuaviſſimo nexu conjungere debebat; eundem vero nunc in controverſiam trahi, formandisque quamplurimis litibus aptari, præſenti aliisque noſtræ ætatis libris edocemur. Ex quo Cameracenſis Præſul de Amore Dei

ſcripſit, omnia diſceptationibus hujus argumenti perſtrepunt, non apud Pontificios ſolum, ſed & Proteſtantes. Ex his *Elias Saurinus*, Eccleſiæ Gallo-Belgicæ apud Ultrajectinos Miniſter, hoc libro omnes, quæ de Amore Dei moventur, controverſias nova methodo componere, & erroneas hypotheſes refutare voluit. Polemicum enim hunc librum eſſe, ipſemet in *Præfat.* fatetur, in qua ante omnia monet, ſibi cum cauſa Archi-Epiſcopi nullum intercedere commercium, nec ſe in Theologiæ Myſticæ adyta penetraturum, aut, quæ hodie de *illa* diſputantur, curaturum, ſed eo ſe inſtituto ſcribere, ut ex fundamentis hanc materiam exponat, & Sole ipſo clariorem faciat, omneſque ſcrupulos ſtudioſe præcidat. Hoc conſilio librum in tomos II partitus eſt, & utrique duas rurſus partes tribuit. Et *Parte I* quidem hypotheſin ſuam exponit & vindicat, XVI *capitibus.* Poſtquam enim prolixe probaverat, amorem Dei *animam eſſe totius legis* & moralis Chriſtianorum diſciplinæ, enumerat tres amoris probi erga Deum ſpecies, videlicet amorem *acquieſcentiæ* vel admirationis & benevolentiæ, quo approbamus Dei exiſtentiam & eſſentiam, in illa acquieſcimus, eam admiramur & magni facimus; amorem *zeli* & gratitudinis, quo ardenter deſideramus, ut Deus a nobis aliisque honoretur & glorificetur, ejusque commodum promoveatur, partim ob perfectiones ipſius, partim ob beneficia ab illo accepta; & amorem *unionis*, ſive deſiderii & concupiſcentiæ, quo uniri volumus cum Deo, & ſummum bonum in illo quærere. Poſthæc primam amoris ſpeciem contra A. Geulinx vindicat, qui ideo illam repudiaverat, quia omnis approbatio ſupponat regulam, *cum qua res approbanda* comparari, & juxta quam judicari debeat: Noſter reſpondet negando; archetypum quippe ut pulchrum approbari, in ſe conſideratum; ita Deum per ſe bonum eſſe. Secundam quoque contra eundem defendit, quam eo ex capite repudiaverat, quia talis zelus inferat poteſtatem alteri boni quid conferendi, adeoque dignitatem Deo majorem: ad quod Noſter reſpondet, falſum hoc eſſe, neque noſtrum zelum eo tendere, ut Deo melius ſit, ſed ut gloria ejus externa promoveatur. Gloriam enim Dei aliam internam eſſe, *aliam* externam inter creaturas intelligentes; ubi de gloria Dei *prolixe* agit, oſtenditque contra ſciolos quosdam, non abſurdum eſſe, quod Deus honorem ſuum quærat, & tanquam ultimum finem præfixum habeat.

habeat. Hinc demonſtrat, poſſe omnino aliquid amari, nullo ad noſtrum commodum habito reſpectu, mere ob ſuas perfectiones: atque ita Deum amandum eſſe, non ſolum ob perfectiones morales, quæ in illo ſunt, quippe quod inter homines quoque fiat, ſed etiam ob intellectuales, quæ in Deo eſſentiales & inſitæ ſint, in hominibus vero aliunde adveniant; ubi de ſanctitate Dei prolixe eleganterque agit. Reprehendit ideo Malebranchium aliosque, qui amorem recti, vel ordinis naturalis ſive rationis, priorem amore Dei, ejusque fundamentum eſſe docent, cum ordo & ratio iſta a Deo dependeat. Multis etiam argumentis probat, amorem gratitudinis non eſſe amorem proprium, ſed excitari per amorem proprium, & ad benefactorem potius, quam ad nos tendere: Deum amandum eſſe amore infinito, ſive qui ſemper ad majora tendat, ob infinitas ejus perfectiones & beneficia; Deum magis amandum, quam omnes res creatas ſeparatim & ſimul ſumtas: nihil ob ſeipſum amandum eſſe præter ſolum Deum, reliqua omnia dependenter & propter Deum: poſſe nos tamen Deum amare ob noſtram ſalutem, non directe, ſed indirecte, non tanquam ob finem, ſed effectum amoris. His expoſitis de amore *unionis* agit, & ſolide evincit, non omnem amorem noſtri illicitum eſſe, quin potius amorem proprium triplicem eſſe, naturalem, ſive deſiderium felicitatis, qui indifferens ſit; inordinatum, quo nos, vel res creatas, Deo præferimus, qui malus ſit; & ordinatum, quo felicitatem noſtram in Deo quærimus, qui bonus ſit. Tandem oſtendit, quo pacto amor noſtri divino ſubordinandus ſit, & ad objectiones reſpondet. *Parte II* disquirit de ſacrificio amoris proprii, atque initio ſupponit, dari caſus, ubi amor noſtri non ſolum divino ſubordinandus, ſed etiam ſacrificii loco plane tradendus ſit: hinc aſſerit, illicitum eſſe, renunciare ſanctitati & amori divino ipſi ob amorem Dei, vel etiam felicitati æternæ abſolute aut ſub conditione poſſibilitatis renunciare; licitum tamen, imo neceſſarium eſſe, æternam ſalutem abdicare, abſtrahendo a poſſibilitate, ſolum ſub conditione, ſi ea abdicatio divinam gloriam promoveret. Provocat ad Pauli exemplum Rom. IX, 1, in quem locum fuſe commentatur. Obſervat enim principio, anathema Pauli reſpicere ad חרם, ſive plenariam exciſionem Veteris Teſtamenti, non vero ad excommunicationem Judaicam, cujus diverſas ſpecies a Rabbinis inventas, priſco

ſeo Judæorum populo ignotas fuiſſe, contra Grotium & Lightfootum diſputat. Hinc eos, qui per anathema excluſionem ex cœtu viſibili Chriſtianorum, vel ſubitam mortem intelligunt, refutat, ſuamque ſententiam in medium profert, quod Paulus non æternæ pietati & amori, ſed felicitati renunciare velit, ſi fieri poſſit, ut per hanc renunciationem gloria Dei augeretur: quare recentiorem quempiam hyperbolem hic fingentem, redarguit, & ad objectiones multa cum diligentia reſpondet. Appendicis loco de malis geniis & damnatis quoque oſtendit, eos ad amorem Dei obligari, eaque occaſione duos Theologos, quorum alter docuerat, Deum nullum amplius ad damnatos reſpectum habere, nec eorum conſervatorem, aut legislatorem eſſe; alter defenderat, damnatos, dum Deum odio habent, non peccare, ſed naturaliter agere, non ſine ſtomacho refellit. *Tomi II Parte prima* in arenam deſcendit cum auctore *Apologiæ veri amoris divini*, vel potius, ut Noſter ſentit, amoris proprii, cujus hypotheſes ſunt, nihil amabile eſſe, niſi quod nobis conveniens & utile ſit: nihil amari, niſi quatenus commoda noſtra promovet: puriſſimum amorem eſſe, ſi quid amemus propter delectationem ex eo ortam, & felicitatem noſtram in illo quæramus, nec Deum purius amari poſſe: licitum eſſe, imo a Deo mandatum, ut deſiderium *noſtræ* felicitatis ſemper in nobis ſit affectus dominans, ſi modo felicitatem noſtram ſupremam in Deo quæramus: ſummum perfectiſſimumque amoris divini gradum in eo conſtare, quod felicitatem noſtram ſupremam nec in nobis, nec in aliis rebus, ſed in ſolo Deo quæramus, & ſic, juxta Dei mandatum, poſſe nos Deum magis diligere, quam *nos ipſos.* Quas hypotheſes omnes Auctor diſcutit, & oſtendit, adverſarium decipi, dum amorem zeli rejiciat, & opinetur, nihil eo amore amari poſſe, niſi cui boni quid facere velimus: dum amabilitatem rerum intrinſecam prorſus neget, & philautiam in ſummo virtutis culmine collocet. *Parte II* obſervationes quaſdam de puro Dei amore addit, nempe illum cuilibet Chriſtiano ſumme neceſſarium eſſe, neque hic diſpenſationem locum habere: illum cum deſiderio ſalutis noſtræ ſemper eſſe debere conjunctiſſimum: amorem Dei nec in ſe, nec in ſtatu gaudii cœleſtis gradus habere, cum infinitus eſſe debeat, ſed eos a corruptione hominum & peccato originis oriri, ubi locum Luc. VII, 47 prolixe interpretatur; concedit tamen, amorem

rem

Digitized by Google

rem Dei & in hac vita & in cœleſti creſcere poſſe. Quibus expoſitis, de auxiliis & ſignis divini amoris copioſe agit, & univerſæ tractationi finem imponit. Nos præter multa alia, exquiſitum Auctoris judicium, & profundiſſimas meditationes, quibus ſecreta humanarum mentium magna cum utilitate pandit, lubenter meritoque collaudamus.

THE NATURAL HISTORY OF LANCASHIRE, Cheſhire, and the Peack in Derbyſhire, &c.

i. e.

HISTORIA NATURALIS LANCASTRIÆ, CESTRIÆ, & Jugorum Darbiæ, cum Specimine Antiquitatum Britannicarum, Phœniciarum, Armenianarum, Græcarum & Romanarum, in his provinciis obviarum, opera CAROLI LEIGH M. D.

Oxoniæ, ſumptibus Authoris, 1700, in fol.

Conſtat Alph. 5, & figurarum æ nearum plagulis 13.

Proſtat Oxonii apud G. Weſt & H. Clement.

Londini apud E. Evet, & J. Nicholſon.

SCientiæ Naturalis pariter ac Artis Salutaris promovendæ perquam cupidum eſſe Authorem Clariſſimum, *Phthiſiologia* ipſius *Lancaſtrienſis* & *Tentamen Philoſophicum de Aquis Mineralibus in eodem Comitatu obſervatis*, a nobis A. 1695, Menſe Januario p. 34 exhibita, teſtantur; maxime vero præſens Tractatus, ſeptendecim annorum opus, abunde comprobat. In eo enim *Dugdalium, Plotium, Chauncyum, Somnerum, Kennetum*, aliosque imitatus, qui diverſarum Angliæ partium res ad naturalem philoſophiam ſpectantes explicuerunt, Lancaſtriæ, Ceſtriæ & Darbiæ hiſtoriam naturalem compoſuit. In tres vero libros illa diſpeſcitur, quorum primus ea complectitur, quæ Philoſophiam Naturalem; ſecundus, quæ Medicinam; tertius, quæ Antiquitates concernunt. Ut autem iſta, quæ in libro primo proponit, eo melius intelligantur, tabulam Geographicam novam commemorandarum provinciarum urbes, rivos, maria &c. ſiſtentem operi præmittit. Ante omnia de veteribus locorum iſtorum incolis loquitur, quos in Lancaſtria Phœnices fuiſſe Lib. I. Cap. 1.

ſir-

ſuſpicatur. Variam tum aëris temperiem, ipſiusque effectus in corpus humanum & alia animalia examinat. Quanquam autem is placidus, ſerenus & ſanus plerumque ſit, in paluſtribus tamen & maritimis locis febres malignas & intermittentes, ſcorbutum, phthiſin, hydropem, rheumatiſmum producit; inprimis effluvia ſalino-ſulphurea ſecum fert, quæ quando maxime fœtida exiſtunt, & Oceanus ſimul extraordinaria edit murmura, certius accolæ turbulentarum appropinquantium tempeſtatum capiunt indicium, quam ſi barometris eſſent uſi. Preſſuram tum aëris adſtruit; hanc tamen adſcenſus Mercurii in barometris cauſam eſſe negat, hoc phænomenon potius variæ elaſticitati aëris in tubi ſummitate contenti deberi exiſtimans: imo reverendum D. Wroe obſervaſſe refert, Mercurium aſcendentem in barometris, tempeſtate ſicca exiſtente, *ſuperficiem mutasſe in convexam*; *ſed in planam*, ubi aër ad *humiditatem vergit*; *in concavam vero*, ubi maxime humidus eſt: & exin concludit, dari inſimul fermentationem in Mercurio internam, quæ eum ad aſcenſum urgeat.

Cap. 2. Fluviorum tum, marium, lacuum, ſtagnorum & fontium ortum evolvit; principia item aquarum mineralium, & vitriolicarum, ſalinarum, ſulphurearum, & acidularum, diverſis experimentis eruit, & quanquam D. Lyſter nullum in Angliæ aquis contineri vitriolum aſſerat, ac vitriolicum ſaporem à pyrite deducat, fontis tamen vitriolici cujuſdam prope *Haigh* mentionem facit Noſter, cujus ſingulæ menſuræ (*a quart*) unciam unam vitrioli concedunt. De ſulphureis aquis dum diſſerit, Knarſeborugenſes & Maudslegenſes argentum colore cupreo, Somerſetenſes aureo, *Buxtonenſes* plane non tingere dicit, & rationem addit, quia illæ maxima vitrioli copia; iſtæ majori ſulphuris mineralis portione, & tantillo vitrioli; hæ nullo vitriolo, ſed ſolum ſulphure ſint impræguatæ. Obiter hic tractatum: *The Natural Hiſtory of the Chalybeat and purging Waters in England. Authore Benjamin Allen, Med. Baccal.* examinat & caſtigat.

Cap. 3. Progreditur hinc ad diverſas terrarum & anthracum ſpecies, methodumque eas probandi docet. Loca paludoſa nonniſi compagem foliorum, ſeminum, florum, caulium, radicum, herbarum, fructuum, &c. per microſcopium exhibere dicit; hæcque ſimplicia modo multiplicari, modo putreſcere, & reliquias eſſe diluvii Noachini, ſiquidem in illis fruſta arborum exoticarum & fru-

ctus

Digitized by Google

ctus exotici, ut pinus, quam Anglia non producit, item teſtæ marinæ, capita hippopotami &c. obſerventur; qua occaſione diluvii univerſalitatem variis rationibus probat, totam vero terræ compagem tum fuiſſe diſſolutam negat. Anthraces ex bitumine, ſeu partibus ſulphureis, vitriolicis & ferruginoſis conſiſtere, quandoque ochreas & terreas partes intermixtas continere probat. Intra terræ ſinum mineralia & metalla examini ſubjicit, eaque detegendi & probandi methodum addit. Pyrites ex ejus ſententia conflatur ex ſulphure, vitriolo, partibusque (velut ferro, cupro &c.) metallicis; unde eſt vel aureus, vel argenteus, vel ferreus, vel cupreus. Fluorum variæ dantur ſpecies; componunturque omnes ex vitriolicis ſalibus, ſulphureisque & terreis particulis. Ex his Stalactites inprimis copioſe in famoſiſſima caverna Darbiæ, *the Pool's Hole* dicta, invenitur. Aqua, quæ in hac continuo a rupe deſtillat, & ſtalactitem format, limpida eſt, grati ſaporis, & ſi diſtilletur, magnam ſuppeditat hujus fluoris copiam. Hinc putat Noſter, continuo ſolvi talem materiam per halitus quosdam eſurinos, prodeuntes forte ex mineralibus hinc inde latentibus. Hic loci pariter talci, amianti, aluminis, nitri & vitrioli mentionem facit. Circa hoc obſervat, quod viride & album non ſpecifice, ſed pro magis minuſve compacta textura differant. Sulphura tam oleoſa, quam metallica pertractat. Metalla, quæ in iſtis locis reperiuntur, ſunt plumbum, ferrum & cuprum; & metallis affinia corpora, Mercurius, antimonium & lapis calaminaris. Metalla Authori pro exuviis diluvii habentur. Quanquam enim in Magno Ducatu Hetruriæ, exhauſtæ mineræ ferri poſt trium annorum decurſum repletæ metallo, æque ac ante, dicantur; mineræ tamen iſtæ poroſæ & molles ab ipſo creduntur, intra quas particulæ metallicæ cum effluviis a centro aſcendentibus ſucceſſive colligantur. Poſt regnum minerale, vegetabile aggreditur, circa quod plantas marinas, amphibias uti vocat, terreſtres, & foſſiles contemplatur. In quercu marina quandoque obſervavit varias capſulas pellucida gelatina, infinita grana rotunda continente, refertas, quæ grana pro ſemine, quod ex capſulis ſub maturitatis tempore hiantibus proſilit, habet. De qualitatibus plantarum medicis dum agit, earum modum operandi tradit, remque præparationibus chymicis illuſtrat: e. g. emeticorum duo exhibet, ſquillam, & aſarum, utraque amara; amariti-

C. 4.

C. 5.

rities vero, ex ipſius ſententia, dependet a particulis rigidis pungentibus & inflexibilibus ; unde ſpicula, continuo irritantia fibras ſtomachi, has contrahunt, & in convulſiones adigunt ; quemadmodum in Solutione Lunæ ſpiritus nitri corrodentis ſpicula intra particulas metallicas includuntur, unde amara & emetica compoſitio evadit; quod ſimiliter judicandum de ſpiritu nitri lapidi calaminari affuſo. Plantas foſſiles in diluvio terræ gremio eſſe demandatas, ſibi perſuadere non poteſt, ſiquidem non niſi polypodium, ruta muraria, ſcolopendrium & folia ſentis ibidem reperiuntur : putat potius, harum plantarum præſentationes in rupibus nil eſſe, niſi diverſas concretiones particularum ſalinarum, bituminoſarum, & terrearum; quemadmodum ſalia vegetabilium in figuras plantarum abire, ex chymia docemur. Quoad vegetationem plantarum, *refutatis illis*, qui vel a terra, vel ab aqua ſolum eam deducunt, exiſtimat, utrique eam deberi, quatenus ſcilicet particulis ſalinis, terreis, aëreis, bituminoſis, &c. quæ pro diverſitate vaſorum a plantis vel admittuntur, vel reſpuuntur, ſunt imprægnatæ. Sceleta ſubterranea, lapides figuratos, conchas petrefactas examinat, quæ pro diluvii exu-
C. 6. viis minime agnoſcit, ſed eodem modo, ac plantas foſſiles, concre-
C. 7. viſſe putat. Nec regnum animale intactum relinquit; ſed primo piſces in maribus, fluviis, ſtagnis & lacubus degentes ſiſtit. Mytulorum teſtas initio pellucidas eſſe dicit, tum creſcentibus laminis opacas evadere; produci autem haſce laminas ex glutine a piſce
C. 9. emiſſo. Intra has & oſtrearum teſtas margaritæ ſæpe gignuntur, de quarum germinatione fuſius diſſerit. Inter *reptilia & inſecta*, lumbricos in corpore noſtro generari probatur, quatenus illorum ova vel potui admiſta, vel radicibus, fructibus, & herbis inſidentia a nobis degluntiuntur. Apes tum, ranæ, & bufonum efficacia medica-
C. 10. mentoſa examinantur. Tandem de avibus agit, inter quas anſerum *Barnacles* dictorum mentionem facit, & refert, navibus ex India Occidentali redeuntibus adhærere infinitum numerum piſcium teſtaceorum, (pectunculos vocant,) qui licet quoad collum potiſſimum illis avibus aliquatenus ſimiles videantur, non tamen tales revera ſint ; prout anatomia utrorumque, quam tradit, demonſtrat.
L. II. c. I. Ne vero quadrupedia ſilentio prætereat, ea in libri II initio commemorat. Horum autem cum in his Comitatibus nulla ſit ſpecies, quæ in Anglia reliqua non detur, ea ſolum adducuntur, quæ notatu maxime

xime digna ſunt. Sic in Ceſtria oves inveniuntur maximæ magnitudinis, pilos potius quam lanam geſtantes, quatuor cornubus præditæ. De leporibus diſſerens, eorum miratur ſuperfœtationem, cujus rationem putat eſſe horum animalium ſalacitatem, quæ quanquam ſemel conceperint, coitum tamen celebrant; unde contingit, ut ſemen in uterum injectum a vaſis capillaribus abſorbeatur & ad ovaria deponatur. Porro refert, duos homines in tuguriolo quodam variolis laborantes extinctos fuiſſe; paulo poſt duos feles, qui ægrotis ad latera ſemper cubuerant, itidem variolis correptos mortuosque fuiſſe. Quo exemplo probat, hunc morbum generi humano non eſſe proprium; quod autem homines citius, quam alia animalia eodem corripiantur, partim diverſæ maſſæ ſanguineæ texturæ, partim peculiari glandularum miliarium conformationi adſcribit. Occaſione canis, qui defunctum dominum nullibi inveniens, in latibulum ſuum ſe recepit & ibidem mortuus eſt, de ratione brutorum disſerit, multorum circa eam Philoſophorum ſententias allegat & refutat, propriamque communicat, quæ in hoc conſiſtit, quod exiſtimet, omnibus viventibus ineſſe ens aliquod ſpirituale & immateriale, quod cogitet & corpus actuet. Sed ad homines progreditur, & Viros eruditione & inventis Phyſicis & Mechanicis claros recenſet, atque hac occaſione Author duas inſerit Epiſtolas a ſe ad Societatem Regiam ſcriptas, quarum prioris argumentum concernit nitrum, quod prolixiſſime examinat; alterius digeſtionem, ad quam abſolvendam menſtruum, quod conſiſtat ex ſaliva, humore ſtomachi, & ſpiritu nitro-aëreo nervorum, requiri dicit. Antequam C. 2.
morbos attingat, quibus harum regionum incolæ frequentius infeſtantur, res toto genere p. n. in animalibus ſubinde repertas examinat, calculos puta, materiam teſtaceam, ſpongias, & ægagropilos. Magis huic regni parti vero endemici, quam reliquis verſus Meridiem tendentibus, morbi ſunt furunculi, ſcrophuloſi affectus & rachitis. Inter reliquos morbos magis communes, primo ſcorbuti hiſtoria pertexitur, ipſiusque ſymptomata explicantur, & cauſæ eruuntur, quas, prout ſcilicet ſcorbutus vel calidus vel frigidus eſt, modo a ſulphureo-ſalino, modo a ſalino-ſulphureo principio dependere adſtruit Noſter. Curam vero in eo conſiſtere dicit, ut primæ viæ purgentur, & maſſa ſanguinea per antiſcorbutica ad regularem deducatur craſin,

quod optime per aquas chalybeatas naturales, & balnea vel temperata, vel frigida fieri poſſe credit. Secundo loco phthiſin nominat, cujus quanquam variæ ſint ſpecies, ſcorbuticam tamen examini ſolum ſubjicit, hujusque tres conſtituit fontes; oritur enim vel ab aëre, vel per hæreditatem communicatur, vel ab errore in rebus non naturalibus commiſſis exſurgit. Hydropem in bilioſum & lymphaticum diſtinguit, illum nuncupando, qui a bile craſſa, condenſata, glandulas & ductus hepatis biliarios obſtruente oritur; inde enim vaſa lymphatica vel hepatis, vel renum, vel alius partis in corpore diſtendi & rumpi, & vel aſcitem, vel anaſarcam exſurgere docet: lymphaticum vero eum vocat, qui a viſcida lympha eosdem effectus producente ortum trahit. In cura commendat pilulas a Cratone deſcriptas, nec dubitat quin ſalivatio maxime foret proficua. Quæ ſequuntur, prætermittimus, brevitatis ſtudio.

L. III. Libro tandem tertio varias, quæ in illis Angliæ partibus ſubinde inventæ fuerunt, Romanorum, Danorum, Saxonum aliorumque antiquitates Author exhibet, in quibus deſcribendis explicandisque cum Camdenum aliosque ut plurimum ſequatur, *illas* jam recenſere prolixius ſupervacaneum erit. In Lancaſtriæ Comitatu, inprimis Riboduni, multa antiquorum monumenta conſpicienda eſſe memorat, inter quæ lapis quidam juſtæ magnitudinis emineat, ex cujus una parte Apollo pharetratus & velamine indutus plectro incumbat, ex altera vero duo Sacerdotes illius eodem habitu bovis caput manibus teneant, ac variorum præterea animalium capita ante pedes proſtrata offerant. Hoc monumentum putat Author *altare* quoddam fuiſſe in honorem Apollinis, cujus oracula tum conticuerant, a Diocletiano extructum, qui illum graviſſimis iſtis Chriſtianorum perſecutionibus, tanquam gratiſſimis hoſtiis, placare voluerit. In eodem Comitatu, & quidem Lancaſtriæ, ante breve temporis ſpatium, præter aliquot Romanorum diſcos, & varia Auguſti, Adriani, Æliique numiſmata, ſimpuvia quædam, ſeu pocula ſacrificiis olim adhibita, terra eruta, fuiſſe dicit, & cum inter illa quoddam ſit, in *cujus* fundo literæ legantur, *Regin. I.* in ſacrificiis Junonis, quæ *Regina* cœli nominetur, illius uſum fuiſſe arbitratur. Hinc non *modo* de *Colnia* antiquitatibus agit, eumque locum Romanam olim ſtationem haut fuiſſe, variis argumentis contra *Hargravium* probat, qui illud

lit-

litteris ad ipſum datis adſeruerat; verum etiam Mancunii priſca monumenta ex *Hollingworthi* manuſcripto quodam deſumta explicat. Dum Ceſtriæ antiquitates recenſet, enarrato primum Romanorum in illam regionem adventu atque dominio, Regum, Ducum, Comitumque *Merciæ*, cujus Comitatus ille pars erat, ſeriem enarrat, atque tum de Merciæ Epiſcopis, tum de Baronibus, quos vocant, Comitiorum ſpiritualibus pariter & corporalibus pluribus agit. Darbiam quod attinet, eo pauciores in ea antiquitatis reliquias inveniri ait, quo magis, plurimis ex partibus, ob ſoli ſterilitatem, regio iſta inculta atque derelicta fuerit. Hunc tamen defectum Naturæ ſolertia cum metallorum atque mineralium copia, tum aquarum medicatarum varietate, aliisque miraculis compenſat, inter quæ tres imprimis cavernæ, nimirum *Pool's Hole*, *Elden-Hole* atque *Devils-Arſe*, maxime obſervatione dignæ ſunt. Illius, quæ *Pool's Hole* vulgo adpellatur, ad radicem ſpatioſi cujusdam montis, per fornicem tam anguſtum patet aditus, ut per illum aliquot paſſibus prono unicuique reptandum ſit, quamvis mox in ſummam altitudinem adſurgat. A dextra crypta quædam cernitur, communi vocabulo *Pool's Chamber* dicta, ubi ſi quis lapide parietem percuſſerit, ſtridulus ſonus reſonat. Hinc per varios lapides atque ſaxa, ope ducis eujusdam & candelæ, dum quis progreditur, plurimas figuras ex aqua lapideſcente, quæ continuo ex rupe deſtillat, effictas animadvertit. Jam ad columnam pervenitur, quæ nitore atque lævitate alabaſtritæ non disſimilis, *Reginæ Scotiæ* columna dicitur; ultra quam acclivis aſcenſus patet, in cujus cacumine foramen conſpicitur, *the Needle's eye* nominatum, in quo candela accenſa ſtellæ figuram ſpectantibus exhibet. Altera caverna, quæ *Elden-Hole* vocatur, ingens terræ hiatus eſt, cujus fundum *Carolus Cottonus* octingentis hexapedis aliquando explorare non potuit; illa vero, quæ *Devils-Arſe* incolis audit, eſt amplisſimus & admodum amœnus fornix, a quo aqua decidens, perinde atque in *Pool's Hole*, in lapidem abit. Habitant in hac caverna quidam pauperioris ſortis homines, eamque intrantibus rivum quendam videre licet, quem ſi tranſierint, duos alios conſpiciunt non procul a ſe invicem remotos, cum quorum ultimo caverna terminatur. Neque tamen his naturæ miraculis hanc regionem ſolum eſſe inſignem, ſed etiam varia in ea loca arte admodum exculta videri,


Digitized by Google

Author ait, inter quæ cum *Chatsworthum* Ducis Devoniæ ſedem, atque Comitis Rutlandiæ domum, quæ *Haddon-Houſe* dicitur, imprimis collaudaſſet, de Darbiæ Comitibus breviter aliqua enarrat. His ita expoſitis, varios antiquorum nummos hiſce in Comitatibus inventos explicat, & in fine libri æri inciſos cum aliis monumentis exhibet. Quandoquidem vero ipſe Author non diffitetur, paucos ſe proferre, qui non ab aliis rerum antiquarum ſtudioſis jam in lucem fuerint protracti, nos eorum enumeratione facillime ſuperſedere poſſumus. Inter alios nummum exponit, in quo Aſia minor dextra ſerpentem tenens cum roſtro atque clavo navis cernitur, quo ipſo cum ſtudium atque ſcientiam rerum nauticarum illius gentis ſignificari exiſtimet, eam uti in varias exteras regiones, ita imprimis in Britanniam colonias miſiſſe, probabile admodum ipſi videtur. Primum enim ad Heſekielis cap. XXVII provocat, in quo cum Tyri incolæ tanquam mercatura celeberrimi a Propheta deſcribantur, quin cum Britannis quoque mercaturam exercuerint, non dubium eſſe ait. Deinde Britannos olim eosdem cum Phœniciis Deos coluisſe addit; tandemque ſuam ſententiam confirmare nititur, quod exeunte Aprili 1700 in Staffordiæ Comitatu torques quidam aureus inventus fuerit, quem Bonduceæ aut Boadiciæ, Britanniæ Reginæ, fuiſſe propterea ſuſpicatur, quod Dio Caſſius illam torque ejusmodi uti conſueviſſe adſerat. Jam cum apud Britannos æque ac apud Romanos aurei torques in uſu fuerint, neque tamen Britannia aurum produxerit unquam, illud ex Aſia huc deveniſſe, & Phœnicios jamdudum ante Romanos hanc inſulam incoluiſſe, non male conjicere ſibi quidem Author videtur; id quod præterea exinde comprobare contendit, quod non modo in Anglica lingua plurima vocabula ſuperſint, quæ Phœniciorum linguæ originem debeant, verum etiam antiqui Britanni, populorum Orientalium more, ſecus ac Germani Romanique, in computandis diebus atque noctibus a noctibus ad dies fuerint progreſſi. Reliqua, quibus breviter Romanorum in Britannia res geſtas atque progreſſus explicat, omittimus.

Cæterum ne ex tot figuris æneis, quibus exornatum hoc opus eſt, nullam plane huc derivemus, eam ſaltem, qua decantatisſima illa Caverna, *Pool's Hole*, cujus aliquoties mentionem injecimus, delineatur, ſpectandam hoc loco exhibere juvat. Facturi enim forte rem

VII.

Digitized by Google



rem

Digitized by Google

rem gratam iis minimum ſumus, quibus non minus celebris in Germania noſtra, & quidem in agro Brunſvicenſi ad ſylvam Hercyniam ſita Caverna, ab inventore ejus *Baumanniana* dicta (Baumans-Höhle) fuit aliquando perluſtrata. Deprehendent enim Baumannianæ geminam plane Anglicam iſtam: tametſi manifeſtum ſatis videatur, a Baumanniana & magnitudine, & figurarum, quæ ex deſtillante e rupibus aqua admirando Naturæ luſu formatæ ſunt, copia & varietate, Anglicam illam quam longiſſime ſuperari. Ut optandum omnino ſit, accuratiorem aliquando, quam hactenus quidem comparuit, cryptæ hujus Baumannianæ delineationem adornari, qua fornices ejus ſinguli (plures enim ſunt) & quæcunque in iis ſpectatu digna offeruntur, ſtudioſe a perito artifice deſignentur, inque æs deinceps a ſolerti chalcographo incidantur. Sic enim divitias illas noſtras, quas Germani ipſi hactenus ex merito non æſtimavimus, & ſtupenda Naturæ phænomena, exteris harum rerum curioſis oſtentare poterimus.

Explicatio figuræ. TAB. VII.

A Introitus in cavernam.

B Figura Leonis ex aqua cum a lateribus tum a vertice deſtillante formata.

C Figura Columnæ Reginæ Scoticæ, quam vocant.

D Corporis humani figura.

E Globus ex variis quaſi lamellis coagmentatus, quem ideo, quod in ſummitate cavitas eſt, eaque aqua continuo repletur, baptiſterium vocant.

F Globus alius, patria lingua *one of Mr. Cotton's Haycocks* nuncupatus.

G Succidia quæ in arcus ſummitate hæret.

H Sellæ pariter in ſummo arcu formatæ.

I Parvum foramen, quod per ipſam rupem transmittitur, *foramen acus* dictum. Hic ſi quis cum candela ſteterit, ii qui inferius paulo ſubſiſtunt, ſtellæ velut ſpeciem vident.

GEORGII WOLFGANGI WEDELII EXERCITATIOnum Medico-Philologicarum ſacrarum & profanarum Decas decima.

Ienæ,

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1701, in 4. plag. 15.

QUi eruditisſimas ſuas obſervationes, per plagulas primo ſingulares, ſed mox in Decades collectas, hactenus vulgavit Illuſtris Autor, nunc tandem integram earum complevit Centuriam, poſteaquam reliquis Decas decima indicibus aliquot univerſalibus ſtipata nuperrime acceſſit. In illius autem Exercitatione *prima* Autor de *unicornu & ebore foſſili*, cujusnam illud generis ſit? diſputat. Facta autem accurata illius diſtinctione, mentem ſuam ita exponit: unicornu ἀμόρφωτον, incompletum, levius & magis friabile, margæ undecunque concretæ aſſerit; ἔμμορφον contra & completum originem ſuam animalium, quæ vel abjecta relinqui, vel in terram ſepeliri contigerit, oſſibus debere innuit. Et unicornu quidem integram dentium, mandibularum, capitis, vertebrarum, oſſiumque conformationem referens, nonniſi a perfecto animali, & nominatim elephante, proficiſci potuiſſe ait, nec videri ſibi improbabile fatetur, quod ſub cataclyſmi univerſalis illuvione cadavera ejusmodi vel ex ipſa Africa, ceu loco meridionali, in Europam provoluta fuerint. In *ſecunda* Exercitatione de *Cirſio Dioſcoridis* agit, planta & elegantia & viribus ſuis in ſuo genere nulli ſecunda, ſed incognita fere. Dicit vero indeptam eam eſſe nomen ἀπὸ τῶν κιρσῶν, a varicibus, quibus medelam afferat, recenſitisque ac rejectis aliorum ſententiis, eam eſſe pronunciat acanthium Matthioli, Dodonæi atque aliorum. In *tertia ramum aureum*, cujus Virgilius libro VI Æneid. meminit, pro antimonio agnoſcit. *Reſinam Ægyptiam*, quam Plautus cum melle adverſus ſputum ſanguineum aſſumi jubeat, maſtichen eſſe, in Exercitatione *quarta* probat. In *quinta panem* illum, quem Julius Cæſar lib. III de bello civ. c. 10 ab exercitu Dyrrhachio diſcedere nolente ex radice, cui nomen Chara, confectum ſcribat, ex radice ari compoſitum fuiſſe contendit. *Bulbum* veteribus decantatum & aphrodiſiaco uſui inſervientem, pro aro maximo, Ægyptiaco, communiter colocaſiæ nomine noto, habet in Exercitatione *ſexta*: in *ſeptima* vero ad argumentum magis ſacrum accedit, *lilia* nempe *agri* a Salvatore Matth. VI, 38 ſ. commendata; iis vero haudquaquam culta in hortis lilia, ſed ſylveſtria potius deſignari, ut ex ipſa agri voce ſtatim addita manifeſtum eſſe autumat, ſic lilium purpureum, flore reflexo, montanum, martagon

gon dictum, ſigillatim a Chriſto monſtratum fuiſſe, ulterius colligit. In *octava* per *jaſpidem* Scripturæ adamantem intelligi ſtatuit. In Exercitatione *nona* parœmiæ, *noctuas Athenas*, novam plane interpretationem exhibet. Etenim ibi non Athenas, urbem, ſed Ἀθήνην, Minervam memorari, atque noctuas Palladi deberi, hoc eſt, ignorantes eſſe inſtruendos, inſtillandaque iis venire ſapientiæ arcana, mythologice inſinuari exiſtimat. Quid ſit apud Plinium Lib. VII Hiſt. Nat. c. 50, *per ſapientiam mori?* Exercitatio *decima* diſquirit. Nimirum cum vocabulum Φρένες mentem quidem animumque, ſed & diaphragma notet, ab hac æquivocatione Autor vulnus pectoris ſeu thoracis, & ſpeciatim diaphragmatis, indeque ortum ſpaſmum cynicum ſeu riſum Sardonium in latitudine ſua dictum, ſapientiæ morbum vocatum eſſe infert.

HISTORIA MORBORUM, QUI ANNO PRÆTERITI Seculi LXXXXIX^mo Vratiſlaviæ graſſati ſunt, adornata a Leopoldinæ Academiæ Naturæ Curioſorum COLLEGIS VRATISLAVIENSIBUS.

Vratiſlaviæ apud Johan. Janckium, 1701, in 4.
Alphab. 1. plag. 6.

QUemadmodum omnibus atque ſingulis Leopoldinæ Academiæ Naturæ Curioſorum Collegis hic potiſſimum præfixus eſt ſcopus, ut apum inſtar *nunquam otioſi* ſint, ſed curioſum non ſolum in Naturæ opera immittant oculum, verum etiam ejus myſteria diligentiſſime ſic rimentur, ut hæc ipſorum induſtria in proximi fructum & utilitatem redundare poſſit: ita Vratiſlavienſium Collegarum conatus neutiquam eſt contemnendus, quo digna ſe tam illuſtris Collegii membra Orbi Literato exhibent. Ediſſerunt enim hæ paginæ, prout in Dedicatione ad Auguſtiſſimum Cæſarem & in Præfatione ipſi fatentur, quomodo curas ſuas omnes contulerint ad conſervandam valetudinem & abigendos morbos Vratiſlavienſium; imo non trivialem ſonticorum quorumdam affectuum notitiam, ſed experientiæ conformem, ex ipſorum praxi hauſtam, monitiſque utiliſſimis circa curam & eventum morborum illuſtratam Lectori ſiſtunt. Antequam autem ipſi morbi referantur, qui ſingulis anni quadrantibus per urbem graſſati fuerunt, eorumque cauſæ & ſymptomata, pro temperamentorum, ætatis, ſexus, vitæ generis

&c. diverſitate variantia adducantur, modusque, quo feliciter devicti fuerunt, communicetur, aëris conſtitutio explanatur. Prolixum nimis foret, omnia notatu digna recenſere, ſiquidem in toto tractatu nil non laudabile reperitur, adeoque pro more quædam ſolummodo excerpemus, ex quibus nobilisſimi operis præſtantia æſtimari
p. 3. poterit. Rerum uſus Clarisſimis Authoribus aperuit, in dignoſcenda nephritide parum eſſe fidendum ſignis diagnoſticis vulgo notis, cum hæc ſymptomata cum aliis morbis conjungantur; quin ad vomitus potius & vires eſſe reſpiciendum: quanquam enim & vomitus & virium proſtratio colico æque ac nephritico dolori ſint communes, in illo tamen vomitus non niſi pleno ſtomacho ac in principio morbi, in hoc autem & ingruente & procedente affectu
p. 4. moleſtos eſſe; vires vero in illo magis atteri, quam in hoc. In febre petechiali obſervatum eſt, hæmorrhagiam gingivarum circa dentes inciſorios ſuperioris maxillæ enormiorem, maculis citrinis, lividis, violaceis junctam, haud auſpicatam fuiſſe; adſtricta alvo anxietates increviſſe; ſudores primis diebus ſine levamine, poſt quartum ſalutares extitiſſe; fluxus menſium non ſemper augurium mortis præbuiſſe, ſicut id ſuo factum eſſe tempore narrat Hœchſtetterus. Adducuntur vero ſigna alia, quæ funeſtum *prædixerunt eventum*; atque experientia docuit, unum ex multis ſignis pravum multis bonis potius fuiſſe, & in necando ægro plus virium habuiſſe, quam plura ſimul bona in eo liberando. Intra 14 dies non finiebatur morbus, ſed ad 21 & ultra extendebatur. Venæſectio a quibusdam inſtituta, a pleriſque cum euphoria omiſſa fuit. *Qui evacuans initio ſumſere, facilius morbum ſuperarunt.* Volatilia quoniam febrim & ſymptomata non ſine periculo intenderunt, omiſſa fuere, ſed bezoardica & ſudorifera temperatiora locum habuere. Camphora exulabat, utpote quæ in febribus hisce malignis plus detrimenti, quam auxilii adfert, ex nuda traditione & opinione hominum tan-
p. 23. tam laudem adepta. Febribus continuis icterus die quinto ſuperveniens quosdam e medio ſuſtulit, qui a ſpaſmodica hepatis contractione ortum duxiſſe dicitur: id enim tum anxietates & anguſtias præcordiorum, tum pasſiones ægri, qui manum quaſi præcordia con-
p. 31. ſtringentem perſenſerint, tum retractionem umbilici innuiſſe. Pueri cum prætumido abdomine & contabeſcentia corporis fuerunt ob-
bati,

lati, quos omnes noctu potum frigidum ſumere conſueviſſe, compertum erat. Nitri uſus in hæmorrhagiis quibusvis etiam atque p. 35. etiam commendatur. Ubi de malo hypochondriaco ſermo, aſth- p. 38. ma ægros quandoque vexans, hos adſtantesque alios magis, quam Medicos terrere dicitur, quoniam in eo motus thoracis & diaphragmatis reſpiratorius crebrius repetitus, ſanguinem in venis portæ hærentem & in motu ſuo impeditum commoveat, & in circulum propellat; indeque eſſe, quod ægri poſt paroxyſmum aſthmaticum ſolito evadant lætiores. In cura mali hypochondriaci caute adhibita ſalina urinoſa volatilia palmam reliquis dubiam fecerunt, & quemadmodum citra ſubadſtringentium uſum non radicitus tollitur morbus, ita Tinctura Vitrioli Martis Tartariſata voto ex aſſe reſpondit. In ſcabie retropulſa taxantur ii, qui ſymptomata ſolum ſubigere tentant, p. 41. neglecta cauſa, item qui impetuoſiora propinant ſudorifera, quibus inquinamenta ad ſuperficiem corporis ejiciant. Regia incedere dicuntur via, qui interiora viſcera ab ulceroſa corruptione præſtant immunia, ſymptomatibus caute objiciunt peſſulum, & mitioribus diaphoreticis recrementa blande revocant; fruſtra tamen hic ſperari auxilium, niſi Mercurio ſupplicetur. Corticis Peruviani uſus p. 50. in febribus cum inflammatione conjunctis nunquam non noxius, in aliis quoque calidioribus obſcure remittentibus funeſtus fuit notatus. p. 51. Vere intermittentes febres, epidemice graſſante aliqua maligna febre, alexipharmacis oppugnare jubentur Medici, ne ægri in malignam prolabantur: exploratum tamen eſt, quod quo magis increbeſcant intermittentes, eo evidentius malignæ decreſcant, & minorem edant ſtragem. Circa infantes obſervatum fuit, quod fere p. 54. ordinario in epilepſiam difficulter admodum curabilem incidant, quando nutricibus menſtruæ purgationes, quibus ab initio lactationis ad tempus caruerunt, revertuntur. Veſicatoria in corpori- p. 64. bus ſucciplenis, plethoricis & nimia humorum copia repletis, interdum fere nulla ſeri evacuatio fuit ſecuta; cujus rei ratio in nimia fluidi copia quæritur, cum certum ſit, ad excretionem, præter apertos poros, debitam fibrarum reſiſtentiam, motum proportionatum, inſimul debitam requiri fluidi copiam, quod aſſertum luculenter in negotio menſtruationis & lactationis cernere licet. In catarrhis p. 76. pulmones infeſtantibus purgantia minus laudantur, in aliis errhina

p. 85. commendantur, vinum prohibetur. Nodulorum in partibus muſculoſis brachii & femorum, non quidem oculis, ſed tactui obviorum, ciceres magnitudine excedentium, cum motu febrili protruſorum mentio fit. Thermarum porro uſus exponitur, atque hominibus per multos annos cum calculo luctatis commendare thermas,
p. 95. valde imperitorum eſſe perhibetur. Inter morbos Septembris
p. 98. ophthalmia primo loco nominatur, qua cum laboraret D. Deſimb/ membrum Collegii hujus digniſſimum, appoſito circa aurem ſiniſtram, in loco oculo affecto vicino, veſicatorio duplex damnum percepit, (1) quamprimum cantharides virtutem ſuam exeruiſſent, ſaporem in ore ſentire ſibi viſus eſt xibetho analogum, qui, quoad veſicatoria eodem in loco relinquebantur, perdurabat, & nauſeam creabat; (2.) dolor in dies, imo horas ſingulas, veſicis humorem plorantibus, exacerbabatur, & lippitudo adeo augebatur, ut ſingulis momentis oculus aquam ſtillaret. Qua re permotus veſicantia poſt triduum ex eo loco in pedem ſiniſtrum transferebat, ex quo duplex iterum enaſcebatur obſervatio, (1.) quod intra nicthemeri ſpatium veſica emplaſtro etiam fortiſſimo vix excitari potuerit, propter ſerum ad ſuperiora verſum; (2) quod, quamprimum veſicæ in pede ſtillare incipiebant, in momento quaſi dolor oculi remitteret. Quoniam tum temporis dyſenteria quidam laborarunt, breve ſcriptum elucubravit D. Chriſtian Helwich, in quo phænomena notavit, cauſas atque rationes adduxit, & præter alia curam adnexuit; atque cum hoc cum conjunctiſſimorum Collegarum obſervatis concor-
p. 105. daret, integer hic tractatus in ſuas diſtributus ſectiones huic libro eſt inſertus. Ex quo nitidiſſimo ſcripto ut unicum ſolummodo com-
p. 191 memoremus, quanquam Author Clariſſimus humores acres, acidos, auſteros, urentes, in inteſtinis ſtabulantes moleſtiam aliquam creare non neget, a ſe tamen impetrare nullatenus poteſt, ut credat, tantam irritationem, quæ intolerabili dolore miſere mactat patientes, illis debere in acceptum referri; quin putet, principium movens, ad hoſtem hunc in inteſtinis hærentem, vitæ filum facili negotio abrupturum, ſi ex peninſula inteſtinorum in ſanguinis oceanum ruat, ex corpore exterminandum nil non moliri: exinde enim fieri copioſiorem humorum ad inteſtina congeſtionem, ipſaque inteſtina & meſenterium irrequiete moveri, ſicque contingere, ut impetuo-

impetuoſum hunc fibrarum motum, & ramuſculorum meſaraicorum ab inſigni congeſtione ſanguinis diſtenſionem, gravisſima ventris tormina comitentur. Finito hoc tractatu, ultimæ anni quadræ conſtitutio examinatur, & inter morbos, febrium quartanarum & lumbaginis mentio fit; qua occaſione verba apponuntur D. Grasſii, qui itidem Collegii hujus nunquam ſatis laudandi membrum non indignum eſt, quibus quid in lumbagine ſcorbutica, cum qua tum temporis colluctatus ipſe eſt, obſervaverit, præmiſſa temperamenti ſui ac vitæ generis deſcriptione, prolixe delineat; atque ut docti Medici exemplum hoc ſequantur, & morbos, quos ipſi patiuntur, accurate deſcribant, admonentur. In febre hectica ſudores nocturni non adeo noxii proclamantur, nec ad eos refrænandos in auxilium vocata eſt Tinctura Vitrioli Martis Saturnina, quæ commode paratur, ſi Recip. Vitriol. Mart. crud. abſque pulveriſatione Unc. j. & ipſi affundantur aceti ſuper minium infuſi & ſpiritus vini ana Unc. iij; ſed potius, ubi ſudores illos inhibere animus erat, electi fuerunt pulveres ex ſpec. de hyacinth. corall. & nitro. In eadem febre lactis uſus quanquam maximarum deprædicetur virium; juvare tamen minime dicitur, dum pulmones duri, ſcirrhoſi ac tuberculis referti ſunt. Incertarum molæ ſigna perpenduntur, & cautelæ in harum cura obſervandæ adduntur. Abuſus vini generoſi, & ſpiritus ex eo & frugibus parati jejuno ventriculo hauſti, eam ob cauſam aſcitem procurare dicitur, quatenus internas ſtomachi fibras ſeu villos ſpiritus hi exedunt, ipſumque viſcus inflammant, unde chylus crudus & lentus conficiatur. Evacuata aſciticorum aqua, ad cauſam habitus reſpectus, & ſtomachus corroboratus fuit. Venæſectio non niſi apud fœminas menſium, aut viros hæmorrhoidum ſuppresſione laborantes, in principio locum invenit, cum in illis locis hydrops ſemper ſit ſoboles depauperati ſanguinis, diminuti caloris, corruptelæ viſcerum ac ruptionis vaſorum lymphaticorum. Tumores ſiniſtri hypochondrii non eſſe ſcybala in colo, vel mucilagines acidas ſtagnantes, aut flatus coërcitos, ſed in liene ſedem habere; hepatis vero tumores frequentius occurrere, quam vulgo creditur, & fere ſemper conjunctum gerere tumorem pedum, inprimis dextri, œdematoſum docetur. Deſcripta tum calculi hiſtoria, exhibitiſque diverſis urinæ in eo ſuppreſſæ cauſis cum ſuis ſignis diagnoſticis, præ aliis uſum virgæ aureæ Geſ-

p. 152.
p. 162
p. 163.
p. 164.
p. 174.
p. 180.
p. 185.
p. 186.
p. 191.

neri & hederæ terreſtris levamen attuliſſe, in paroxyſmo autem pellentia exulaſſe traditur. Podagram quod attinet, ſpaſmodici vocantur ejus dolores, qui non quidem totum tendinem aut membranaceas vel ligamentoſas partes totas, ſed fibras quasdam, modo has, modo illas occupant, cum ſenſu tractionis, vellicationis, vibrationis, pulſationis &c. quodque nec pelliculæ ſolum oſſa articulorum pedis proprie dicti cum tibia &c. cingentes tortorem hunc frequenter patiantur, verum etiam velamentum oſſium tibiæ, fibulæ etiam in intermediis
p. 201. partibus furibundum percipiant cruciatum, perhibetur. Abſoluta ſic Hiſtoria morborum, qui dicto anno graſſati fuerunt, de temperamento Vratislavienſium aut Sileſiorum in genere aliquid additur, aëris & ventorum conditio, & ægritudines, ad quas anni tempora eos diſponunt, commemorantur; & quoniam modum vivendi in Sileſia uſurpatum nemo magis vivis coloribus depinxit, quam celeberrimus quondam Vratislavienſium Syndicus *Nic. Henelius* in manuſcripto opere, cui *Sileſiographia Renovata* nomen, ex hujus cap. VII quædam deſumuntur.

JOHANNIS MUSÆI, S. THEOL. QUONDAM Doctoris, & in Academia Jenenſi Profeſſoris Publici, Prælectiones in Epitomen Formulæ Concordiæ. Opus poſthumum.

Jenæ, ſumtibus Henr. Chriſtoph. Crökeri, 1701, in 4. Conſtat Alphab. 2. plag. 6.

HÆredes Muſæani, etſi noſſent, eos, qui poſthuma eruditorum opera in lucem edunt, varia ſubire judicia, dum quidam, forte pauciores, putant, e re boni publici eſſe, nullam Scriptoris bonæ notæ paginam perire, ac proinde cum applauſu accipiunt, quicquid ex illorum ſcriniis erutum, communi exponitur uſui; alii contra, injuriam committere in famam virorum eruditione clarorum exiſtimant eum, qui ſcripta illorum prelo ab ipſis non deſtinata divulgat; nonnulli præterea, qui ex aliorum manuſcriptis ſua exſcribere ſolent, ægre ferunt, per iſtorum editionem plagium ſuum detegi; alii denique libros quoslibet, poſt obitum auctorum prodeuntes, tanquam immaturos, nec ſatis elaboratos, promiſcue contemnunt. Hæc, inquam, etſi non fugerent hæredes laudatos, non tamen ipſi voluerunt

runt refragari deſideriis virorum prudentum atque doctorum, editionem libri hujus urgentium, ſatius eſſe perſuaſi, melioribus placuiſſe, quam pluribus. Accedebat inſuper alia ratio confirmans propoſitum illud, ut opinionem eorum refutarent, qui B. Muſæum aliis ſuſpectum reddere conati, perhibuerunt, non per omnia ſinceræ doctrinæ librorum Eccleſiæ noſtræ ſymbolicorum fuiſſe addictum, vel certe hæc ſcripta, pro ipſorum dignitate, non æſtimaſſe. Cujus rationis expromendæ neceſſitatem, ajunt hæredes, ſibi feciſſe Andream Caroli, qui in Memorabilibus Eccleſiaſticis Sæculi a N. C. XVII, ternis vicibus talia de Muſæo recenſuerit, quæ facile apud imperitos, & ſcriptorum beati Viri non ſatis gnaros, maculam ejus famæ inurere poſſint. Quam ob cauſam etiam ab iis B. Muſæum in hac præfatione ſua purgant, antequam ad lectionem præſentis libelli Lectores invitent, ne forte ſiniſtris judiciis alienatum afferant animum.

In Prolegomenis hiſtoria Formulæ Concordiæ confectæ exhibetur. Primo loco Formula Concordiæ agit de norma, ad quam exigenda ſint omnia dogmata, & quæ inciderunt certamina componenda. Hanc juxta ipſam docet Muſæus eſſe abſolute Scripturam Sacram, reſpective Symbola, quæ Eccleſia recepit. Et inter hæc majorem eſſe auctoritatem œcumenicorum, quam particularium, & inter particularia Eccleſiarum noſtrarum, quorum magna ſit autoritas, Auguſtanam Confeſſionem prævalere. Sequuntur deinde XI Articuli. Ad articulum I de Peccato originis, occaſionem erroris Flaciani, in Vinarienſi diſputatione cum Flacio A. 1561, paulo aliter quam Hutterus refert, cui diſputatio illa ad manus non fuit, a proavo Noſtri, D. Simone Muſæo, A. 1562 edita. Eorum ſententiam repudiat, qui ſtatuunt peccatum originis eſſe ens poſitivum, non creatum, ſed a Diabolo introductum. Diſceptationem, inter Helmſtadienſes & alios Doctores agitatam, an peccatum originis ſit mera privatio, an vero poſitivi quippiam, conciliat diſtinguendo, eſſe privationem abſtractive, eſſe poſitivum quid concretive conſideratum. Modum propagandi intactum relinquit, cum quæſtio circa fidem ſit, in qua, ſalva fidei unitate, unus ab altero diſſentire poſſit. Ab Huttero diſſentit Pelagianis attribuente, quod ſtatuant, peccatum originis eſſe reatum quendam & debitum ex alieno debito contractum. Diſcrimen inter Maſſilienſes & recentiores Synergiſtas notat: juxta illos, hominis vires

vires ſuperſtites, quamvis languidæ, quandoque præveniunt gratiam Dei, ut converſionis initium ſit ab ipſis hominis naturalibus viribus; juxta hos autem, initium converſionis ſemper fit a Spiritu Sancto, & hominis qualescunque vires ſuperſtites jacent quaſi ſopitæ, &, niſi a Spiritu S. excitentur, exerere ſeſe nequeunt. Ad articulum II de Libero Arbitrio, poſtquam præmiſiſſet, occaſionem controverſiæ præbuiſſe ſcripta quædam Philippi Melanchthonis, quæ poſtea Witebergenſes & Lipſienſes Theologi, & in Academia Jenenſi *Victorinus* Strigelius, & Joh. Stoſſelius acriter impugnarunt; D. Latermanni, Academiæ Regiomontanæ Theologi, triplicem acceptionem Liberi Arbitrii, 1 pro viribus voluntatis in ſupernaturalibus; 2 pro ipſa hominis facultate, voluntate & intellectu; 3 pro voluntatis *modo* agendi, taxat; & contra Reformatos, quosdamque *ex noſtris* Theologis monet, libertatem non poſſe ſtare cum *neceſſitate*, *ſed* Liberum Arbitrium formaliter ſumtum involvere vires agendi & non agendi, agendi hoc & agendi illud. Ubi bene obſervari vult particulam copulativam *et*, quam multi, inter quos Latermannus, mutent in particulam disjunctivam *aut*. Controverſiam Theologorum Regiomontanorum, an converſio Pauli facta ſit abſque verbo legis & evangelii, an mediante eo, non tanti momenti eſſe judicat, ut de ea in Eccleſia litigetur; quandoquidem illa converſio in particulari facto conſtiterit, de cujus modo vix aliquid poſſit definiri. Infra vero eam extraordinariam ſtatuit. Ad articulum III de Juſtitia Fidei coram Deo, originem controverſiarum cum Oſiandro, Stancaro, & Theologorum Saxonicorum Ducalium cum Electoralibus diligenter recenſet. Ad articulum VI de tertio Legis uſu, Antinomorum triplicem claſſem diſtinguit. Ad articulum X Adiaphoriſticam controverſiam ſtudioſe enarrat. In ſingulis articulis igitur initio ſtatum quæſtionis format, deinde veram ſententiam declarat & probat, & tandem antitheſin rejicit. In quibus omnibus accuratam docendi rationem, quam Muſæus in ſcriptis ſuis tenuit, agnoſces. Adjectus eſt triplex Index, primus locorum Scripturæ; ſecundus ſcriptorum, ſynodorum, nec non ſectarum, de quibus in Prælectionibus aliquid recenſetur; tertius rerum potiſſimarum.

Prodiit nuper Sectio VIII Tomi III Supplementorum.

*** *** ***

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Decembris Anni MDCCI.

JO. ANDREÆ SCHMIDII, D. PROF. PUBL. ET Abbatis Mariævallenſis, Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Helmſtadii, apud Jo. Melch. Süſtermannum, 1701, 8. Alphab. 1. plag. 14.

UT Auditoribus ſuis rerum eccleſiaſticarum ideam & certa capita, in lectione fontium aliorumque autorum obſervanda & ex iisdem locupletanda, exhiberet celeberrimus Autor, præſens Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & novi quidem Teſtamenti, Compendium ſtruxit. In eo per ſingula procedens ſecula, Eccleſiæ in quolibet ante omnia ſtatum atque propagationem, doctrinam deinde ejusque inclinationem, doctores porro & ſcriptores illuſtres, hæreſes tum & hæreticos, ceremonias inſuper diverſorum locorum, Eccleſiæ hinc regimen & diſciplinam, ulterius ſchiſmata & horum autores, concilia & conventus, perſecutiones & martyres, res quoque Judæorum & aliorum extra Eccleſiam, tandemque memorabilia quædam breviter recenſet, ac ſingulis periodis vel ſeculis judicium ſubjungit pragmaticum, palam oſtendens, quomodo providentia divina in eccleſiarum imperiorumque adminiſtratione ludere ſoleat. Cum vero ex Studioſis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, lateri Reverendiſſimi Autoris diligenter adhærentibus, aliquis Compendium hoc publicis diſputationibus in illuſtri Academia Julia ventilandum Reſpondens expoſuerit, programmate publico iſtud intimavit Præſes, quod idem heic repetiit, cum a ſcopo libri haud alienum eſſet, Hiſtoricos quippe rerum ſacrarum deperditos commemorans, atque præter alia in illis tantam forte jacturam, quantam æſtimare vulgo plerique ſueverint, haud factam eſſe, vel duobus exemplis, Papiæ & Hegeſippi, proba-

 tum

tum dans. Nam & in illorum, quæ ad nos pervenerunt, fragmentis deprehendi, quæ cenſuram aliorum non effugerunt, & quæ in illorum ſcriptis ad hiſtoricam narrationem neceſſaria videri potuerunt, ab Euſebio ex iis in unum collecta corpus, vel ſic ad poſteritatem derivata fuiſſe, oſtendit.

Neuvermehrte Grundſäzze der Deutſchen Sprache,

h. e.

LINGUÆ GERMANICÆ REGULÆ FUNDAMENtales noviter adauctæ. Authore JOHANNE BOEDIKERO, Gymnaſii Suevo-Colon. Rectore.

Berolini, apud Meyerum & Zimmermannum, *1701*, in 8.
Alphab. 1. plag. 17.

NUllam fore linguam arbitramur ex celebrioribus, cujus vocabula in Lexico rite diſpoſito docti, & illius, quod excutiendum ſibi ſumſere, idiomatis periti ſatis Viri, dilucidare haud allaborarint. Notum namque ſatis eſt, quid hac in parte debeat Hebraica lingua Buxtorfio, Capnioni, Avenario, Marco Marino Brixiano, Schindlero, Forſtero, Huttero; Samaritana Hottingero & Cellario; Græca Budæo, Scapulæ, Paſori, Garthio, Schrevelio, Henr. Stephano; Latina Calepino, Friſio, Fabro, Corvino, Calviſio, Lindnero; Syriaca Gutbierio; Arabica Golio, Erpenio, Raphelengio; Æthiopica Jobo Ludolfo; Turcica Perſicaque Megiſero, Meninskio, Molino; Italica Academicis della Cruſca; Hiſpanica Caſtello; Gallica Richeleto, Danneto, Pommayo; Anglica Chaucerio, Ridero, Holyckio; Belgica Stevino, Somnero; Polonica Botero; Bohemica Dan. Adamo a Weleslavina; Hungarica Greg. Gelbhaar & Franc. Foris Otrokocſio; Dalmatica Petro Lodereckero; Danica Olao Wormio; Suecica Olao Rudbeckio, ut alios nunc taceamus. Sola vero Germanica noſtra ſimilem fruſtra hactenus deſideravit induſtriam, ac licet eam votis plurimis expetierint Goropius, Cluverius, Jungius, Geſnerus, Friſius, Morhofius; ſalivam licet moverint Grotius, Stevinus, Junius, Baumannus, Kilianus, Spelmannus; conſilia etiam ſuppeditarit cum Harsdörfero Schottelius; licet auſpicatum fecerint initium Lindenbro-

brogius, Suicerus, Heniſchius & Zinzerlingius: negotium tamen iſtud optato beatum eſſe eventu, nondum recordamur. Noviſſime omnium in ſaxo hoc volvendo occupatum ſeſe geſſit Vir, ut Græce & Latine, ſic Germanice etiam doctiſſimus, Jo. Bödikerus, Gymnaſii Colonienſis ad Suevum Rector, dum viveret, longe meritiſſimus, cujus inſtitutum adeo commendavit in Vindiciis Germanici nominis Excellentiſſimus Cramerus, ut, ſi quidem in adornando ſuo iſto Lexico proſperum ille ſucceſſum experiretur, habituros nos prædixerit, cur Gallis Academicum Dictionarium haud magnopere invideremus. At enim vero poſteaquam orbi ante annos aliquot eruditiſſimum hunc Virum mors præmatura eripuit, & hæcce ſpes propemodum decollavit; quandoquidem & ſuperſtes ejus filius, Carolus Etzardus, Eccleſiæ, quæ Chriſto Wriziæ ad Oderam colligitur, Paſtor, e ſchedis a parente relictis, conſummatum opus abs ſe (utut hinc a primis pueritiæ annis amanuenſis loco patri fuerit,) adornari haud poſſe, in peculiari ad Hieronymum Ambroſium Langenmantelium, Patritium & Canonicum Auguſtanum, epiſtola ingenue profitetur. Et hæc quidem addita eſt frontiſpicio libelli, quem Benevolo Lectori nunc exhibemus, & cujus editioni priori, anno jamtum ſeculi proxime elapſi nonageſimo vulgatæ, multa Autor de neceſſitate æque ac difficultate Lexici alicujus Germanici præfatus eſt, ſuumque de tali opere in lucem publicam emittendo propoſitum ſignificavit. Fundamenti autem in locum ſubſternendam eſſe duxit hanc Teutonicæ noſtræ linguæ Grammaticam, quatuor abſolutam partibus, quarum prima Orthographiam, ſecunda Etymologiam, tertia Syntaxin, & quarta Proſodiam perſequitur: his autem abſolutis prolixam atque accuratam de Germanorum Præpoſitionibus tractationem clariſſimus Autor ſubnexuit. Fruendum igitur nobis eſt hac opera, quam in iterata nuper editione auctam hinc inde & amplificatam contuemur. Nec deerunt, quod certo nobis perſuademus, qui grato id agnoſcent animo, quod accuratiori longe ordine, majorique cum regularum tum exemplorum apparatu, quam antea a quoquam factum, vernaculæ ſuæ indolem genuinam deſcriptam legere, conceſſum ſibi eſſe heic intelligant. Lexici autem, quod B. Autor molitus fuit, ſpecimen a p. 277 ad 354 in unica voce **brenn** ſuppeditari, non citra inſignem animi voluptatem ſentias, quanquam magis adhuc obſtrictos Germanos ſibi

editurus fuiſſet, qui poſteriorem hanc editionem curavit, ſi & vocabula Brech & Danck/ ſimili induſtria a Bödikero excuſſa, & in Academiæ Fridericianæ inauguratione Glorioſiſſimo ejusdem Fundatori oblata, adjicere atque ab interitu vindicare haud omiſiſſet.

R. DES-CARTES OPUSCULA POSTHUMA PHYSICA & Mathematica.

Amſtelodami, apud Janſſonio-Waesbergios, Boom, & Goethals, 1701, in 4.

Conſtant 1. Alph. 11. plag.

Fœtus hic, qui non modo Carteſium, ut nomen ſeu inſcriptio vult, ſed & alium, unum ex hujus in doctrina filiis, parentem agnoſcit, tergeminus eſt; non uno eodemque tempore, non modo uno conceptus olim, ſed ſucceſſive, Latine partim, partim Gallice, prout ſuſceptores ejus, h. e. editores, in præfatione nos admonent. Poſtquam vero e Gallia ad vicinos Batavos ſe convertit, cum patria etiam indolem mutavit, & totus nunc Latinus eſt. Tergeminum voco; conſtant enim hæc opuſcula ſex capitibus, vel ſi mavis, tractatibus, quorum primus *Mundi* ſeu *Diſſertationis de Lumine, ut & aliis ſenſuum objectis primariis*, nomen habet. Hic Gallica lingua conſcriptus, duplici jamdudum editione innotuit, & compendium ſolummodo eſt, vel exiguum fragmentum celebris illius de *Mundo* diſſertationis, quam de infortunio, quod Galilæo evenerat, certior factus Des-Cartes ſuppreſſit; prout ex Bailleti *Compendio vitæ Carteſii* refert Editor in cit. præf. In altero ad ipſum tractatum præfamine, jure meritoque inter celeberrimi Viri ſcripta huic non infimum deberi locum aſſeritur eo quod totius ejusdem Philoſophiæ naturalis complectatur fundamenta, prodromusque ejus ſit & compendium: in cujus etiam verſione cumprimis operam dederit Interpres, ut Gallico ſatisfaceret textui, & quo magis Autoris mens conſtaret, adſcripſerit in margine loca parallela, aliaque ad illuſtrationemélioremque ſententiæ Autoris perceptionem facientia. Fruſtraneum autem putat Editor ad hujus ſcripti commendationem multa præfari, cum eo vivamus ſeculo, in quo extra Carteſium ſapere multis piaculum habeatur.

tur. Eſſe vero hunc Carteſii fœtum genuinum, quamvis imperfectum & cui utique multa deſint, partim ex ſcribentis ſtilo, partim ex iterata ejus in Principiis, Epiſtolis & Diſſertationibus Carteſii citatione, ſatis clarum eſſe putat. Age vero ipſum inſpiciamus hunc Tractatum. Conſtat is quindecim capitibus, quorum primo *de differentia ſenſuum & rerum eos efficientium* agit, variisque argumentis & exemplis probat, ideas, quas in mente nos habemus, ſimiles non eſſe objectis, a quibus proveniunt. Quemadmodum enim verba, nil niſi ex hominum inſtituto ſignificantia, valeant efficere, ut percipiamus res nullatenus ipſis ſimiles: ita etiam naturam potuiſſe inſtituere ſignum verbi gratia luminis ſenſum in nobis efficiens, etiamſi nihil ſenſui huic ſimile in ſe habeat. Adducit in rei confirmationem riſum & lacrymas, quibus natura voluerit gaudium & triſtitiam, plane ab iſtis res diverſas indicare: item titillationem & dolorem ex ſenſu tactus. Quæ vero exempla Noſter non citat ad certo evincendum, lumen aliud quid eſſe in objectis, quam in oculis noſtris, ſed tantum ut in dubium vocaretur, & cavendo ab oppoſiti perſuaſione, melius deinceps quisque examinare ſecum poſſet, quid ſtatuendum. In capite II, *quid in igne ſit urere, quid calefacere & lucere*, exponit, & arbitratur, particularum flammæ ligna comburentis motum velociſſimum & maxime violentum ſufficere quoque ad percipiendum, quomodo ipſa nos calefaciat, atque illuminet; eam enim tantum reſpectu diverſorum effectuum, nunc calorem, nunc lumen dici. Tandem concludit, etiam nihil dari in flamma ſimile ei, quod de calore in idea concipimus, ſed illud omne, quod manuum noſtrarum particulas diverſimode valet movere, hunc poſſe in nobis ſenſum efficere, quemadmodum fricando duntaxat illæ ſæpe calefiant. Idem de lumine dici poſſe putat. Verum cum præcipua inſtituti ſui ratio hoc ſpectet, fuſius illud exponere, & altius ſermonem ſuum repetere adgreditur. Et in capite quidem III *diverſitatem, durationem, & cauſam motus, ſimulque duritiem & fluiditatem corporum, in quibus ille occurrit*, tradit, & primo quidem, nihil uſpiam locorum reperiri, quod non ſit mutationi obnoxium, certum habet. Cauſam vero hujus motus multis non inquirit, eo quod ipſi ſufficiat concipere, hunc motum una cum mundo ortum fuiſſe, nec deſinere poſſe, aut aliam, quam reſpectu ſubjectorum, mutatio- vid. P. 2. Princ. §. 36.

 nem

nem ſubire. Ex ipſo vero hoc rerum motu etiam diverſitatem corporum durorum & fluidorum deducit, ita quidem, ut ad conſtituendum corpus maximæ duritiei ſufficere arbitretur, ut omnes ejus partes ſe mutuo contingant, nullo inter eas ſpatio ſuperſtite, utque nulla earum *in motu* ſit conſtituta: ad fluidum vero corpus, ut contra ejus particulæ motu ab invicem maxime diverſo, & quantum fieri poteſt, rapidiſſimo agitentur. Hujusmodi autem fluida corpora conſtituit flammam & aërem. Quod vero aër non æque ac flamma urat, cum pariter ſit fluidus, exinde eſſe dicit, quod differant particularum magnitudine &c. In cap. IV, *qualeſit de vacuo ferendum judicium*, & *quam ob cauſam ſenſus noſtri quædam corpora non percipiant*, declarat. Nimirum, vulgaria experimenta pro negando vacuo, etſi valida ſatis & apodictica non ſint, ad probandum *nullum prorſus* in natura dari, ſufficere tamen ad perſuadendum, ſpatia, in quibus nihil ſentimus, repleta eſſe eadem materia. Qui vero fiat, ut hujusmodi corpora non percipiamus, exinde eſſe putat, quod nullam plane mutationem in noſtrorum ſenſuum organis cauſentur: quemadmodum nec intenſum ſatis cordis noſtri calorem, haud leve corporis pondus, veſtium noſtrarum & aliarum rerum gravitatem, quibus conſuevimus, ſentiamus. Interim cum negandum non ſit, plurima intervalla eſſe interpoſita aëris v. gr. particulis, hinc neceſſum eſſe inquit, alia corpora, ſi hæc interſtitia vacua relinquere noluerimus, aëri permixta eſſe, quæ quam exacte fieri poteſt, parva illa adimpleant intervalla, quæ inter partes ejus reliqua ſunt. Quæ vero illa ſint, in capite V docet, *ubi quatuor vulgaria elementa ad tria revocat*, *addita eorum explicatione & probatione*. Huc vero (ut paucis rem tangamus; pleraque enim ab Autore Part. 3 Princ. §. 52 jamjam expoſita ſunt) præcipua redeunt: aërem ſubtiliorem (quem ſecundum elementum conſtituit) & elementum ignis (quod ipſi primum eſt, omnia quæ in mundo ſunt penetrans, etiam ipſum illum aërem) adimplere interſtitia, quæ partibus aëris craſſioris intercipiuntur. Deinde omnia corpora univerſum hoc conſtituentia tria tantum eſſe, quæ magna vocari poſſint, Solem ſcilicet & ſtellas, dein *Cœlos*, & tandem Terram cum Planetis & Cometis: illumque porro cum ſtellis non aliam habere formam quam puriſſimam primi; iſtos ſecundi;

di; hanc cum Planetis & Cometis poſtremi elementi. In cap. VI *novi mundi deſcriptionem nobis ſiſtit, qui cognitu maxime facilis eſt, nihilominus tamen illi in quo degimus ſimilis, vel etiam ſimilis chaos quod Poëtæ finxerunt præceſſiſſe.* Nihil vero hic agit aliud, quam quod monſtret (vid. Part. 2 Princ. §. 4, 11, 19, 21, & Part. 3 §. 1, 2, 3, 46, 47,) quomodo Deus materiam a ſe creatam, omni forma ſpeciali deſtitutam, potuerit in partes inæquales dividere, quarum maxima diverſitas conſiſtat in motibus, quos ipſe impertitur, ita ut a primo creationis momento unæ incipiant moveri verſus hanc, aliæ verſus aliam plagam, aliæ citius, tardius aliæ; ipſaque poſtea motus ſuos continuent, ſecundum naturæ leges. *Quæ quales ſint*, cap. VII, poſtquam paucula adhuc de chaos & materia prima philoſophatus eſſet, deſcribit, quas vero hic recenſere velle, ſupervacaneum foret, eo quod Parti 2 Princ. §. 37, 40, 41, 42, 39, & 45 ſint inſertæ. In cap. IIX, *qua ratione in mundo ante deſcripto Sol & Stellæ generentur*, vel expoſuit, vel congeſſit ex Part. 3 Princ. §. 46, 47, 48 ſeqq. item §. 82, 83, 84, 85 &c. In cap. IX *de Cometarum Planetarumque origine, motu, reliquisque proprietatibus in genere, dein & de Cometis in ſpecie* agit, eoque modo proponit, quo dudum uſus eſt Part. 2 Pr. §. 61, & P. 3 §. 25, 140, 127, 129, 132, 133, item Part. 2 Epiſt. 13. *Specialiorem vero Planetarum expoſitionem, cumprimis Terræ atque Lunæ, aggreditur* in Cap. X, quamque, ut & alias hypotheſes hoc in opere, ſchematibus declarat: eandem vero etiam exhibuiſſe Part. 3 Princ. §. 123, 140, conjunctis cum §. 127, 41, 82, 84, 140, 40, 85, & Part. 2 §. 43, nec non P. 3 §. 120—125, Interpres in margine adnotavit. Succedit in ordine caput XI, quo in *de gravitate* agit, ſed eadem propinat placita, quæ olim Part. 4 Pr. §. 22 & 23, & Part. 2 Epiſt. 25, 28, 32, & 40. Similiter in cap. XII *de fluxu & refluxu maris*, quem dudum Part. 4 §. 49, 50, 53, 54, & Part. 2 Epiſt. 13, 14, eodem quo hic modo explicavit. Jam in cap. XIII, *in quo conſiſtat natura luminis*, declarat, & quidem præmonendo nonnulla circa corporum in orbem actorum motum, aut conatum recedendi a centro circuli, quem deſcribunt; & illuſtrando exemplo lapidis in funda gyrantis, prout fecit quoque Part. 3 Pr. §. 57, 58, 60 & ſeqq. dein applicando hæc ad ſecundi elementi particulas cœlos (h. e. vortices) conſtituentibus: obſervando præterea, ipſas perpetuo premi tum ab omnibus reliquis particulis ſimilibus, quæ ſunt

inter

inter ipſas & ſidus, centrum cœli (ſeu vorticis) ipſarum occupans, tum ab ejusdem ſideris materia, nullo autem modo a reliquis. vid. ejus Part. 3 Pr. §. 61, 62, 64; facilitando tandem hæc omnia adjectis figuris, & diducendo ex ſuis rationibus, ac poſtremo concludendo, primi elementi particulas, quæ ſunt in ſpatio illo, ubi corpus Solis conſtituunt, rapidiſſime circa centrum gyrantes, verſus omnem partem juxta lineam rectam recedere conari, eoque mediante ſimul propellere ſecundi elementi particulas &c. In capite XIV de *proprietatibus luminis* agit, quarum numero 12 conſtituit, verbi gratia quod in orbem quaqua verſum ſeſe diffundat, circum corpora quæ dicuntur lucida; ad omnem diſtantiam; intra momentum, &c. harumque cauſas allegat, quemadmodum & olim in Dioptr. cap. I §. 3, 8, 7, 1. Caput denique XV & ultimum *Solis ſiderumque rationem agendi in oculos noſtros* docet, & obſervat primo vortices, qui ſtellam fixam aut Solem pro centro habent, quamvis forte magnitudine differant, ſemper debere viribus æquales eſſe. idem etiam docuit Part. 3 Pr. §. 114; porro reſpectu diſpoſitionis ſtellarum, quod fere nunquam in iis locis apparere posſint, in quibus revera ſunt; ibid. §. 131; item circa numerum earundem, unam ſcilicet eandemque ſtellam frequenter poſſe in diverſis locis apparere, propter ſuperficierum radios ipſarum verſus terram reflectentium diverſitatem; circa earum quoque magnitudinem; apparentiam Cometarum (de qua pridem plura in Parte 3 Pr. §. 132, 136, 137, 138) & tandem refractionem, quæ horum cauſa eſt. ibid. §. 135.


Proxime hunc ſequitur Tractatus *de Mechanica, una cum elucidationibus N. Poiſſoni Sac. Orat. Colleg. e Gallico ſermone in Latinum translatus.* Hunc Tractatum re ipſa non differre ab alio quopiam, qui ipſius poſt Autoris mortem periit, cuique nomen præfixum erat *Explicatio Machinarum*, a Bailleto iterum edocti nos monent editores in præfat. cit. generali. Subjunguntur pariter, ut in editione Mechanices Gallica, ejusdem *Poiſſonii Elucidationes Phyſicæ in Carteſii Muſicam*, quas ipſemet Poiſſonius Latine edidit: quique duo hæc opuſcula eleganti ad Rev. *Abbatem de Roucy de Sainte Preuve* dedicatione, nec non præfatione ad lectorem ſpeciali inſtruxit: in qua poſteriori primo Mechanicæ cognitionem ad Phyſicam facilius intelligendam neceſſariam eſſe; deinde quid illa ſit; & tandem

dem quis ſit tractatus hujus uſus, oſtendit : quem poſtremum fuſius ſe demonſtrare potuiſſe perhibet, niſi ſic antevertiſſet ſuum propoſitum, Carteſii Phyſicam, per theoremata & problemata Mechanica digeſtam, publicam in lucem aliquando emittendi. Jam quod attinet ad ipſum hoc Carteſii opuſculum, brevi ſimum illud eſt, & nonniſi *explicatio machinarum atque inſtrumentorum, quorum ope graviſſima quaque pondera parvis viribus levari poſſunt.* Neque præter primi principii, quo tota hæc machinarum inventio innititur, expoſitionem (nempe quod iisdem viribus, quibus pondus 100 libb. in duorum pedum altitudinem attolli poteſt, aliud quoque 200 libb. in unius pedis altitudinem poſſit allevari) & trochleæ, plani inclinati, cunei, axis in peritrochio, cochleæ, & vectis explicationem, aliud reperire datur. *Poiſſonius* vero ipſa hæc obſervationibus ſuis adornavit, quando verbi gratia illud, quod circa memoratum principium Carteſius ratione ſpatii, h. e. allevationis adſtruit, idem quoque reſpectu temporis aut celeritatis obtinere probat. Porro quando attendere jubet, unius trochleæ uſum, non augendis viribus, ſed ſolummodo ſarcinam tollentis commoditati inſervire : neque tamen exiſtimandum eſſe, etiam tunc vires non augeri, quando trochleæ multiplicantur, &, de quo Vitruvius loquitur, Polyſpaſtus conficitur. Ulterius ex plano inclinato inquit intelligi poſſe, quot gradibus vires augeri poſſint ; item rationem monſtrat, cur Carteſius in ſupputandis viribus ad onus tollendum neceſſariis duas has conditiones obſervare debuerit, ut nimirum materia plani quam politisſima, ejusque figura ſpiralis eſſet deſcripta inter duos circulos, quorum unus terminum ad quem tendit & pervenit onus deſignet, alter vero terminum a quo procedit in longitudinem ſignificat. Quæ de cuneo (quem tanquam triangulum æquilaterum,quod e duobus conjunctis planis inclinatis compoſitum, conſiderat) habet Carteſius, hic faciliora reddit ſua explicatione, & monſtrat, quomodo pondus aliave potentia ad onus ſeſe habere debeat, ut tangens linea ſeu altitudo ſe habet ad ſecantem, ſeu planum inclinatum. Et quando porro Des-Cartes circa axem in peritrochio obſervat,quod loco funis cylindrum circumplicantis adhiberi poſſit minuſcula rota,dentibus majorem rotam circumvolventibus inſtructa ; hic Poiſſonius demonſtrat, augeri quidem vires ſupra modum, ſi rotarum numerus augea-

Yyy tur:

Digitized by Google

tur: multiplicari tamen in exceſſu poſſe, & quidem adeo, ut deinde tantum abſit, ut mediantibus illis grave onus elevare poſſis, ut ne ipſasmet quidem ſolas ſine onere circumagere queas, ſi ſcilicet non ſemper ſubtrahatur reſiſtentia, quam unaquæque rota exſerit adverſus vires, quibus ad motum impellitur. Multa dein alia circa axin in peritrochio, actionem plani, vectis uſum &c. annotat, quæ omnia huc transferre, nimis prolixum & moleſtum forſan B. L. foret. Illud autem ſicco plane pede prætcrire nolumus, quod poſtremo de ſtatera ejusque effectu & hujus cauſa affert. Examinat enim duas iſtas palmarias Autorum ſententias, qua aliqui, quod pondus A in una extremitate poſitum & a centro C remotum ſtatim inclinet, alterumque ſimul attollat, celeritatem ſui motus; alii autem ſpatium quod percurrit in cauſa eſſe putarunt. Concludit autem neutram harum id quod res eſt tangere; ſuam vero ſententiam, veritati forte proximiorem hanc eſſe: quod pondus junctum brachio AC in A, 3 libb. tantundem gravitatis communicet AC, quantũ pondus B librarum 9 dat BC. primo enim momento



pondus A communicare tres gravitatis gradus parti AE æquali CB; inſequente momento idem pondus A eidem parti AE tantundem gravitatis conferre, quæ gravitas priori juncta 6 exiſtens graduum per ED ſeſe diffundat. Tertio momento pondus A rurſus 3 gravitatis gradus communicare, qui reliquis additi 9 gradus faciant, ſeque per totum brachium AC, quod eſt triplum CB, expandere. Pondus autem B 9 librarum, brachio CB non communicare niſi 9 gradus gravitatis, adeoque pondus A tantundem gravitatis communicare brachio AC, quantum B conferat in BC &c. In iis quæ ſequuntur, dubiis, quæ ipſi moveri poterant, occurrit eaque ſolvit, quibus recenſendis nunc ſuperſedemus; & potius nos ad ejusdem Poiſſonii *Elucidationes Phyſicas in Carteſii Muſicam* nos conferimus. In his præmiſſo prius alloquio (in quo hanc Muſices ſynopſin concinnaſſe Carteſium annos natum 22 teſtatur) brevi docet, totam Muſicam conſiſtere in proportionibus, geometrica ſcilicet & arithmetica, maxime vero *harmonica*, quam etiam, quomodo invenienda, & monochordum poſtmodum dividendum ſit, oſtendit. Attingit autem Poiſſonius ſimul quæſtiones nonnullas, quibus ipſe prolixioribus epiſtolis ad amicos miſſis jam reſponderit,

vel-

Digitized by Google

verbi gratia, quo pacto ſonus auribus excipiatur per tenuem aërem? cur manus magis laboret pulſando chordam chelys in extremis, quam in medio? unde conſonantiæ aliæ aliis jucundiores ſint? cur auditus diſtinctim non audiat vibrationes ſingulas? num chorda quadruplo magis tenſa quam altera audiatur acutior vel ex hoc ſolum, quod vibrationes longe plures edat, vel quod aures per aërem magis ſtrenue fortiusque percutiat? & quæ ſunt aliæ hujus generis quæſtiones plures. Sed tempus eſt, ut tandem illud adgrediamur, quod noſtro quidem judicio, optimum eſt in his opuſculis, nimirum *Regulas ad directionem ingenii, ut & inquiſitionem veritatis per lumen Naturæ.* Ita vero de hoc meletemate *Bailletus* & ex eo Editores in cit. ſæpius præfatione: *Inter ea ſcripta quæ cura D. Chanuti ad Clerſelerii manus pervenerunt, nullum majoris momenti, nec forte elaboratius reperitur, quam hic tractatus Latinus: id ſaltem affirmare poſſumus, nullum ex quo major in publicum utilitas redundet, repertum iri. Trium illarum partium, ex quibus conſtare debuerat, primam tantum integram, & ſecundam duntaxat dimidiam habemus.* & poſt pauca: *etiam initia quædam alterius cujusdam operis reperta ſunt, quod Gallice conſcriptum erat, & quidem forma dialogi, nomenque illi impoſitum:* Inquiſitio Veritatis *&c.* (de quo nos infra.) Juvabit ergo ipſas has regulas, cum plane ſolidæ ſint, integras, ſed absque addita Autoris explicatione (nimis enim longum foret hujus contenta ſingulis ſubjicere) hic recenſere. Eſto ergo I harum regularum: ſtudiorum finis eſſe debet ingenii directio ad ſolida & vera, de iis omnibus quæ occurrunt, proferenda judicia. II: circa illa tantum objecta oportet verſari, ad quorum certam & indubitatam cognitionem noſtra ingenia videntur ſufficere. III: circa objecta propoſita non quid alii ſenſerint, vel quid ipſi ſuſpicemur, ſed quid clare & evidenter poſſimus intueri, vel certo deducere, quærendum eſt. IV: neceſſaria eſt methodus ad rerum veritatem inveſtigandam. V: tota methodus conſiſtit in ordine & diſpoſitione eorum, ad quæ mentis acies eſt convertenda, ut aliquam veritatem inveniamus. Atqui hanc exacte ſervabimus, ſi propoſitiones involutas & obſcuras ad ſimpliciores gradatim reducamus, & deinde ex omnium ſimpliciſſimarum intuitu ad aliarum omnium cognitionem per eosdem gradus aſcendere tentemus. VI: ad res ſimplicisſi-

ſimas ab involutis diſtinguendas & ordine perſequendas, oportet in unaquaque rerum ſerie, in qua aliquot veritates ex aliis directe deduximus, obſervare, quid ſit maxime ſimplex, & quomodo ab hoc cetera omnia magis vel minus, vel æqualiter removeantur. VII: ad ſcientiæ complementum oportet omnia & ſingula, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent, continuo & nullibi interrupto cogitationis motu perluſtrare, atque illa ſufficienti & ordinata enumeratione complecti. IIX: ſi in ſerie rerum quærendarum aliquid occurrat, quod intellectus noſter nequeat ſatis bene intueri, ibi ſiſtendum eſt, neque cetera quæ ſequuntur examinanda ſunt, ſed a labore ſupervacuo eſt abſtinendum. IX: oportet ingenii aciem ad res minimas & maxime faciles totam convertere, atque in illis diutius immorari, donec asſueſcamus veritatem diſtincte & perſpicue intueri. X: ut ingenium fiat ſagax, exerceri debet in iisdem quærendis, quæ jam ab aliis inventa ſunt, & cum methodo etiam levisſima quæque hominum artificia percurrere, ſed illa maxime, quæ ordinem explicant vel ſupponunt. XI: poſtquam aliquot propoſitiones ſimplices ſumus intuiti, ſi ex illis aliquid aliud concludamus, utile eſt easdem continuo & nullibi interrupto cogitationis motu percurrere, ad mutuos illorum reſpectus reflectere, & plura ſimul, quantum fieri poteſt, diſtincte concipere: ita enim & cognitio noſtra longe certior fit, & maxime augetur ingenii capacitas. XII: denique omnibus utendum eſt intellectus, imaginationis, ſenſus, & memoriæ auxiliis, tum ad propoſitiones ſimplices diſtincte intuendas, tum ad quæſita cum cognitis rite componenda ut agnoſcantur, tum ad illa invenienda, quæ ita inter ſe debeant conferri, ut nulla pars induſtriæ humanæ omittatur. XIII: ſi quæſtionem perfecte intelligamus, illa eſt ab omni ſuperfluo conceptu abſtrahenda, ad ſimplicisſimam revocanda, & in quam minimas partes cum enumeratione dividenda. XIV: eadem eſt ad extenſionem realem corporum transferenda, & tota per nudas figuras imaginationi proponenda: ita enim longe diſtinctius ab intellectu percipietur. XV: juvat etiam plerumque has figuras deſcribere, & ſenſibus exhibere externis, ut hac ratione facilius noſtra cogitatio retineatur attenta. XVI: quæ vero præſentem mentis attentionem non requirunt, etiamſi ad concluſionem neceſſaria ſint, illa melius eſt per brevisſimas notas deſignare, quam

per

per integras figuras: ita enim memoria non poterit falli, nec tamen interim cogitatio diſtrahetur ad hæc retinenda, dum aliis deducendis incumbit. XVII: propoſita difficultas directe eſt percurrenda, abſtrahendo ab eo quod quidam ejus termini ſint cogniti, alii incogniti, & mutuam ſingulorum ab aliis dependentiam per veros discurſus intuendo. XIIX: ad hoc quatuor tantum operationes requiruntur, additio, ſubtractio, multiplicatio & diviſio, ex quibus duæ ultimæ ſæpe hic non ſunt abſolvendæ, tum ne quid temere involvatur, tum quia facilius poſtea perfici poſſunt. XIX: per hanc ratiocinandi methodum quærendæ ſunt tot magnitudines duobus modis differentibus expreſſæ, quot ad difficultatem directe percurrendam terminos incognitos pro cognitis ſupponimus: ita enim tot comparationes inter duo æqualia habebuntur. XX: inventis æquationibus, operationes, quas omiſimus, ſunt perficiendæ, multiplicatione nunquam utendo, quoties diviſioni erit locus. XXI: ſi plures ſint ejusmodi æquationes, ſunt omnes ad unicam reducendæ, nempe ad illam, cujus termini pauciores gradus occupabunt in ſerie magnitudinum continue proportionalium, ſecundum quam iidem ordine diſponendi. Hactenus regulæ iſtæ. Sequitur nunc, de qua ſupra diximus, *inquiſitio veritatis per lumen naturale, quod plane purum, & nullo implorato Religionis vel Philoſophiæ auxilio, opiniones determinat, quas probum virum de omnibus rebus, quæ ejus cogitationibus obverſari poſſunt, habere oportet, quodque in ſecreta curioſisſimarum ſcientiarum penetrat.* Paucula ut excipiamus, ſciendum, Autorem id agere, ut primo *dubitationem* tanquam fundamentum veræ Philoſophiæ commendet, & ex hac exiſtentiam noſtri, dein & aliarum rerum certo deducat. Omnes enim errores, qui in ſcientiis accidunt, inde tantum oriri conqueritur, quod ab initio nimium feſtinanter judicavimus, res ſcilicet obſcuras, & quarum nullam claram & diſtinctam rationem habemus, pro principiis admittendo. Dolendum vero ultra tres plagulas, quas fere omnes ſuo principio, dubitatione, inſumſit, non extare, optima vero quæ ſperabamus, deſiderari. Omnia hæc excipiunt *primæ Cogitationes circa generationem animalium, & nonnulla de ſaporibus*, quæ ſicut erant Latina, integra nobis data ſunt: aliorum autem judicio relinquunt Editores in præfatione tum generali, tum ſpeciali, num

hæc vere Carteſium autorem habeant, num ſint ſuppoſititia? *Baillerum* certe, quamvis plurima ſcripta Carteſii poſthuma, & ex his fragmenta de Hiſtoria metallorum, plantarum & animalium recenſeat, de hisce ne verbulum enarrare, ipſe licet Des-Cartes Epiſt. 53. Part. 3. innuat, ſe tractatum de animalibus meditari. Relinquimus autem merito hanc criſin aliis, paucisſima ex ipſo tractatu (pleraque enim jam alibi in ſcriptis Carteſii extare, nulli dubitamus) delibantes. Primo omnem generationem, vel *ſine ſemine* aut *matrice*, vel *ex ſemine* fieri dicit. Illam hoc tantummodo requirere, ut duo ſubjecta (per quæ pulmonem & hepar ipſum intellexiſſe, ſequentia docent) ab invicem non valde remota, ab eadem vi caloris diverſimode concitentur, ita ut ex uno ſubtiles partes (ſpiritus vitales) ex alio crasſiores (ſanguinem) cogat erumpere, quæ partes ſimul concurrentes efficiant vitam, primo in corde, ubi ſit ſanguinis cum ſpiritu animali pugna perpetua, deinde poſtquam ſanguis & ſpiritus ita fuerunt unus ab altero domiti, ut in eandem naturam poſſint convenire, generent cerebrum. Cum igitur tam pauca requirantur ad animal faciendum, mirum non eſſe, ſi tot animalia, tot vermes &c ſponte ſæpe formari videamus. Hanc e contra generationem, quæ ex ſemine fit, multo plura requirere. *Primo ſcilicet parentis utriusque* ſemina ſimul permixta, fermentata & matris calore concocta: deinde mixtarum harum & temperatarum particularum ad medium loci, in quo ſunt, confluentiam, unde cerebrum & ſpinæ medulla oriatur; aliarum, non tam ſubtiliter mixtarum, quæ cutem, abdomen, crura & pedes conſtituant. Ubi porro ſi cerebrum a carnibus recte ſecretum fuerit, ſubtiliores particulas facere debere pulmonem, quatenus eſt radix arteriæ venoſæ, craſſiores hepar, quatenus eſt radix venæ cavæ. His autem omnibus licet factis, nondum tamen eſſe animal, ſed tum demum illud fieri, cum ſpirituum copia ex variis cerebri partibus in pulmonem confluxit, ibique conglobatur, & per arteriam venoſam verſus hepar fertur, hic vero ſanguis conglobatus per venam cavam feratur verſus pulmonem, atque ita vena cava & arteria venoſa concurrant, fibræque illarum ſimul miſceantur, & quodammodo in ſe ipſas revolvantur, & ſubſtantiam cordis conſtituant. Alia quæ ad generationem ſingularum corporis partium, convenientiam & differentiam generationis plantarum & anima-

animalium, ſanguinis quatuor præcipua genera partium &c. nolumus ex eo hic producere, quandoquidem dudum erudito orbi conſtitit, quæ placita Carteſius in doctrina de corpore animato habuerit.

De *Saporibus* duabus tantum hoc loco paginis agit; tot vero horum differentias ponit, quot ſunt particularum, quæ nervos linguæ afficiunt potiſſimum, nempe novem, qui ſunt inſipidus ſive mollis, pinguis, dulcis, amarus, urens, acidus, ſalſus, acris, & auſterus ſive acerbus: quorum omnium naturam & qualitates paucis examinat atque definit.

Coronidis loco adjecta ſunt *Excerpta ex MSS. R. Des-Cartes, quæ Algebram ſpectant*, quæque forte majoris cujusdam operis (cujusmodi adhuc in nonnullorum eruditorum muſæis adſervari dicit Bailletus) pars vel ſpecimen ſunt. Sequens autem in his duabus & dimidia, quibus conſtant hæc excerpta, plagulis, problema tractat: *ex quantitate linearum, quæ in dato circulo inſcriptæ ſunt, quantitatem arcus, cui datæ lineæ ſubtenduntur, agnoſcere.*

Omnium vero ultimo, priusquam e manibus mittamus hæc opuſcula, monendum ducimus B. L. ex ſæpiſſ. cit. Præfatione generali, plura adhuc, Bailleto teſtante, latitare ſcripta Carteſii, partim ſolummodo incepta, nominibusque a materia de qua agebant, plane aliis inſignita, veluti *Parnaſſum, Olympica, Democritica, Thaumantidem Regiam &c.* partim alia in ſcriniis Carteſii reperta, quibus tamen etiam ultima manus nondum impoſita fuerit, ut *Compendium Scientiarum Mathematicarum, Introductio in Geometriam ipſius, Studium bonæ mentis*, quod poſtremum alicui ex amicis, qui ſub nomine Muſei latet, dicatum fuiſſe, idem Bailletus perhibet.

ERRATA.

Pag. 68 lin. 24 lege: *ejus argumenta rei ſo petiturum.* Pag. 328 poſt lineam ultimam lege: *infuſa operoſioribus Chymicorum præparationibus præſtantiora pronunciat. Obſervationes &c.* Pag. 339. lin. 27 pro *Joannis etiam Epiſcopii*, lege *Simonis etiam Epiſcopii.*

*** *** ***

INDEX

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

Anonymi de antiquo ritu precandi ſtando diebus Dominicis, feſtis & durante Paſchate. 130

Anonymi Pax a Clemente IX ſancita, ſeu Demonſtratio falſitatum in Hiſtoria quinque Propoſitionum admiſſarum 207

Anonymi Hiſtoria Generalis Janſeniſmi. 289

Anonymi Chriſtianus Philoſophans, fundamenta Religionis principiis ſanæ rationis conformia eſſe probans. 393

Anonymorum Auguſtiniana Eccleſiæ Romanæ doctrina a Cardinalis Sfondrati Nodo extricata. 65

Alexandri (Natalis) Paralipomena Theologiæ Moralis. 421

Auguſtini (S. Aurelii) Operum Tomus X. 248

- - - Vita, ex ejus potiſſimum ſcriptis concinnata. 251

Baluzii (Stephani) Miſcellaneorum Liber quintus. 191

Botſacci (Bartholdi) Tractatus de Irreprehenſibilitate Fidelium. 477

Bundeti (Caroli) Speculum Mortis, cum figuris emblematicis. 81

Burmanni (Franciſci) Burmannorum Pietas B. Parentis memoriæ exhibita. 157

Carpzovii (Jo. Benedicti) ſenioris Diſputationes Iſagogicæ in Chemnicium, Syſtematicæ & Anti-Papiſticæ. 348

Cave (Wilhelmi) Epiſtola Apologetica adverſus Jo. Clerici Epiſtolas Criticas & Eccleſiaſticas. 71

Clerici (Johannis) Quæſtiones Hieronymianæ. 31

- - - Epiſtolæ Criticæ & Eccleſiaſticæ. 68

Edwardi (Johannis) Diſcurſus de Veritate & Errore, quatenus imprimis ad Religionem ſpectant. 397

Gra-

Grabe (*Jo. Erneſti*) *S. Juſtini Philoſophi & Martyris Apologia prima pro Chriſtianis.* 302

Hugonis (*Ludovici*) *Cenſura Hiſtoriæ Canonicorum, cum Diſſ. de Canonicitate Ordinis Præmonſtratenſium.* 474

Hulſii (*Henrici*) *de Vallibus Prophetarum.* 440

S. Juſtini *Martyris Apologia prima pro Chriſtianis.* 302

Kortholti (*Chriſtiani*) *de tribus Impoſtoribus magnis Liber.* 104

A Limborgh (*Philippi*) *Hiſtoria vitæ Simonis Epiſcopii.* 337

Lundii (*Jo.*) *Antiquæ res Judæorum ſacræ, Cultus publici, & Conſuetudines.* 383

Martene (*Edmundi*) *Collectio nova veterum Scriptorum ad res eccleſiaſticas ſpectantium.* 153

- - *De antiquis Eccleſiæ Ritibus.* 156

Mayeri (*Jo. Friderici*) *Hiſtoria verſionis Germanicæ Bibliorum D. Martini Lutheri.* 467

Monachorum *Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri, Vita S. Auguſtini.* 248

Muſæi (*Joannis*) *Prælectiones in Epitomen Formulæ Concordiæ.* 526

Muſculi (*Andreæ*) *Theſaurus, ſive Liber Aureorum ex Lutheri ſcriptis, recenſitus a Joachimo Morgenweck.* 143

Nerreterii (*Davidis*) *Admirandum Templum Judaico-Ethnicum.* 428

Neumanni (*Jo. Georgii*) *Primitiæ Diſſertationum Academicarum* 5

S. Optati *Afri, Milevitani Epiſcopi, de Schiſmate Donatiſtarum Libri VII.* 193

S. Orientii *Commonitorium.* 154

Du Pin (*Ludovici Ellies*) *Præfatio ad Biblia Sacra.* 7

- - *Hiſtoria Donatiſtarum, S. Optati de Schiſmate Donatiſtarum libris VII adjuncta.* 193. 197

Saurini (*Eliæ*) *Tractatus de Amore Dei.* 507

Schmidii (*Jo. Andreæ*) *Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.* 529

Simonis (*Richardi*) *Epiſtolæ ſelectæ.* 116

Spanhemii (*Friderici*) *Operum Tomus I.* 325

Speneri (*Philippi Jacobi*) *Reſponſa Theologica.* 102

- - - *Reſponſorum Theologicorum Tomus II.* 360

Surenhuſii (*Guilielmi*) *Legum Miſchnicarum liber de re Uxoria, ſeu Miſchnæ pars tertia.* 203

Tatiani *Oratio ad Græcos.* 268

Vitringa (*Campegii*) *Sacrarum Obſervationum libri IV.* 97
Worth (*Wilhelmi*) *Tatiani Oratio ad Græcos, & Hermiæ Irriſio gentilium Philoſophorum.* 26

II. Libri Juridici.

HArprechti (*Ferdinandi Chriſtophori*) *Reſponſa Juris Criminalia & Civilia.* 277
Hofmanni (*Auguſti*) *de Jure Rerum Individuarum Tractatio Methodica.* 164
Noord (*Gerhardi*) *Julius Paulus, ſive de Partus expoſitione & nece apud veteres Liber ſingularis.* 458
Ottonis (*Marci*) *Conſiliorum Argentoratenſium volumen novum.* 239
Schilteri (*Johannis*) *Tractatus variorum de Renunciationibus, cum præfatione & notis.* 300
Textoris (*Jo. Wolffgang*) *Jus Publicum Statuum Imperii.* 364
Werneri (*Adami Balthaſaris*) *Specimen Compendii Juris, ordine Digeſtorum.* 129

III. Libri Medici & Phyſici.

BErgeri (*Jo. Gothofredi*) *Phyſiologia Medica.* 492
Bertini (*Antonii Franciſci*) *Medicina a calumniis vulgi & objectionibus Eruditorum vindicata.* 378
Boulton (*Richardi*) *Opera Roberti Boylai in Compendium redacta.* 186
Boylæi (*Roberti*) *Operum in Compendium redactorum Tomus I. II.* 186
- - - *Tomus III. IV.* 363
Buſſiere *Epiſtola de ſubſtantia, vas aliquod pulmonale referente, tusſi rejecta.* 231
Carteſii (*Renati*) *Opuſcula poſthuma, Phyſica & Mathematica.* 532
Cellarii (*Salomonis*) *Origines & Antiquitates Medicæ.* 86
Cy-

Cypriani (*Abrahami*) *Hiſtoria fœtus humani poſt 21 menſes ex uteri tuba, matre ſalva, exciſi.* 82
A Deventer (*Henrici*) *Obſervationes Chirurgicæ, ſeu Artis obſtetricandi novum Lumen.* 281
Franci (*Joannis*) *Trifolii fibrini hiſtoria.* 328
Gendron (*Deshaies*) *Disquiſitio de natura & cura Cancri.* 304
Grebneri (*Davidis*) *Meteorologicum Wratislavienſe.* 470
Harvey (*Gideonis*) *Vanitates Philoſophiæ & Medicinæ.* 436
Jones (*Joannis*) *Myſteria Opii revelata.* 421
Leigh (*Caroli*) *Hiſtoria Naturalis Lancaſtriæ, Ceſtriæ, & jugorum Darbiæ.* 511
Le Mortii (*Jacobi*) *Fundamenta Nov-Antiqua; Theoriæ Medicæ &c.* 79
Pachioni (*Antonii*) *Epiſtola de novis circa Solidorum & Fluidorum vim in viventibus &c.* 415
Proby *Relatio de extractione eburneæ acus crinalis ex veſica fœminæ.* 230
Reiskii (*Johannis*) *Commentatio de Acidulis Piermontanis.* 115
Riedlini (*Viti*) *Linearum Medicarum Annus ſextus & ultimus.* 312
Rivini (*Auguſti Quirini*) *Ordo Plantarum, quæ ſunt flore irregulari pentapetalo.* 95
Cenſura Medicamentorum officinalium. 426
Ruyſchii (*Frederici*) *Theſaurus Anatomicus primus.* 385
- - - *Reſponſio ad Epiſtolam Anatomicam XIV de nova artuum decurtandorum methodo.* 425
Tournefort (*Joſephi Pitton*) *Inſtitutiones Rei Herbariæ.* 347
Valentini (*Michaëlis Bernardi*) *Polychreſta Exotica in curandis affectibus contumacisſimis probatisſima &c.* 29
- - - *Pandectæ Medico-Legales.* 275
Vratislavienſium *Leopoldinæ Academiæ Naturæ Curioſorum Collegarum Hiſtoria Morborum, qui A. 1699 Vratislaviæ graſſati ſunt.* 521
Wedelii (*Georgii Wolfgangi*) *Exercitationum Medico-Philologicarum Decas decima.* 519

IV. Libri Mathematici.

BErn oulli (*Jacobi*) *Analyſis magni Problematis Iſoperimetrici.* 213
Bernoulli (*Joh.*) *Disquiſitio Catoptrico-Dioptrica exhibens Reflexionis & Refractionis naturam ex æquilibrii fundamento deductam.* 19
- - - *Nova ratio conſtruendi radios oſculi ſeu curvaturæ in Curvis quibusvis &c.* 136
- - - *Multiſectio Anguli vel Arcus, duplici æquatione univerſali exhibita.* 170
Carré *Methodus pro menſura ſuperficierum, dimenſione ſolidorum &c. per applicationem Calculi Integralis.* 250
Carteſii (*Renati*) *Opuſcula poſthuma Phyſica & Mathematica.* 532
LeComte(*Florentis*)*Muſeum ſingularium artis Architectonicæ &c.* 56
Eimmarti (*Georgii Chriſtophori*) *Ichnographia contemplationum de Sole.* 387
Fatii *Duillierii* (*Nicolai*) *Analyſis Curvæ Deſcenſus æquabilis &c.* 134
Grandi (*Guidonis*) *Geometrica Demonſtratio Vivianeorum Problematum &c.* 26
Hermanni (*Jacobi*) *Reſponſio ad Bernardi Nieuwentiit Conſiderationes ſecundas circa Calculi Differentialis principia editas.* 28
Hyacinthi (*Chriſtophori*) *de Conſtructione Æquationum libellus.* 464
Parent *Elementa Mechanicæ & Phyſicæ, quibus principia conflictus & æquilibrii geometrice traduntur.* 252
Perralti (*Claudii*) *Collectio plurium Machinarum recens inventarum.* 128

V. Libri Hiſtorici.

ANonymi *Portæ Ottomannicæ recens apertæ Continuatio.* 126
Anonymi Epiſtola de Academia nova ſcientiarum Berolini fundata. 175
Anonymorum Notitiæ Literariæ & Hiſtoricæ de Viris Illuſtribus Academiæ Florentinæ. 501

D'

D'Ablancourt (*Fremondi*) *Hiſtoria Portugalliæ ab 1659 ad 1668.* 314
Claudii Æliani *Sophiſtæ Varia Hiſtoria cum commentario Jacobi Perizonii.* 485
Capellarii (*Michaelis*) *Chriſtinas. Sive Chriſtina luſtrata.* 88
Cellarii (*Chriſtophori*) *Notitia Orbis Antiqui, ſive Geographia plenior.* 140
Dillingham (*Wilhelmi*) *Vita Laurentii Chadertoni & Jacobi Uſſerii.* 106
Le Gendre (*Ludovici*) *Hiſtoria Franciæ, Regum ex duabus primis ſtirpibus imperium complexa.* 109
Hyde (*Thomæ*) *Hiſtoria Religionis veterum Perſarum, eorumque Magorum.* 405
Im-Hof (*Jacobi Wilhelmi*) *Hiſtoria Italiæ & Hiſpaniæ Genealogica.* 481
A Limborgh (*Philippi*) *Hiſtoria vitæ Simonis Epiſcopii.* 337
Marſiglii (*Aloyſii Ferdinandi, Comitis*) *Danubialis Operis Prodromus.* 84
Perralti (*Caroli*) *Viri Illuſtres, qui hoc ſeculo in Gallia floruerunt.* 241
Schurtzfleiſchii (*Henrici Leonhardi*) *Hiſtoria Enſiferorum Ordinis Teutonici Livonorum.* 147
Tentzelii (*Wilhelmi Erneſti*) *Supplementum Hiſtoriæ Gothanæ primum.* 162
- - - *Secundum.* 433
Tolandi (*Johannis*) *Vita Jacobi Harringtoni.* 41
A Turre (*Philippi*) *Monumenta Veteris Antii: Diſſertationes de Beleno & aliis quibusdam Aquilejenſium Diis: & de Colonia Forojulienſi.* 257
Vaillant (*Joannis*) *Hiſtoria Ptolemæorum Ægypti Regum ad fidem numiſmatum.* 1
- - - *Numiſmata Imperatorum, Auguſtarum & Cæſarum, a Populis Romanæ ditionis Græce loquentibus percuſſa.* 113
Wallace (*Jacobi*) *Deſcriptio Inſularum Orcadum.* 149

Digitized by Google

Walſinghami, *Eliſabethæ quondam A. R. a ſecretioribus ſtatus negotiis, Epiſtolæ & Negotiationes.* 329

Warwick (*Philippi*) *Commentarii de rebus ſub Carolo I Angliæ Rege geſtis.* 450

Welwood (*Jacobi*) *Commentarii Hiſtorici rerum ſeculo, quod annum 1688 præceſſit, in Anglia geſtarum.* 271

VI. Philoſophici & Philologici Miſcellanei.

A*Nonymi Cogitationes de Eruditione, cujus imperfectio expenditur ad colligendam inde neceſſitatem Revelationis.* 49

Anonymi Arcana Imperii detecta. 285

Adami (*J.*) *Tentamen de Autochiria illicita ſecundum Naturæ principia.* 233

Begeri (*Laurentii*) *Theſauri Regii & Electoralis Brandenburgici Volumen III.* 319

Bœdikeri (*Joannis*) *Regulæ Fundamentales Linguæ Germanicæ.* 530

Burmanni (*Petri*) *Jupiter Fulgerator in Cyrrheſtarum nummis.* 36

Clerici (*Joannis*) *Commentarius in Heſiodum.* 413

Le Comte (*Florentis*) *Muſeum ſingularium artis Architectonicæ, Pictoriæ, Sculptoriæ atque Scalptoriæ.* 56

Harringtoni (*Jacobi*) *Oceana.* 41

Heſiodi *Aſcræi quæ extant, cum notis variorum.* 413

Quinti Horatii *Flacci Opera.* 336

Hotomanorum (*Franciſci & Johannis*) *& Clarorum Virorum ad eos Epiſtolæ.* 58

Lohmeieri (*Joannis*) *Epimenides, ſive de Veterum Gentilium Luſtrationibus Syntagma.* 48

Meelii (*Jani Gulielmi*) *Hotomanorum & aliorum Epiſtolæ.* 58

- - *Inſignium virorum Epiſtolæ ſelectæ.* 462

Meieri (*Joachimi*) *Antiquitates Meierianæ.* 446

Morhofii (*Danielis Georgii*) *Deliciæ Oratoriæ Intimioris, ſive de Dilatatione, & Amplificatione Rhetorica Liber.* 371

Pe-

Perizonii (*Jacobi*) *Commentarius perpetuus in Æliani Variam Hiſtoriam.* 485
Rufi (*Conradi Mutiani*) *Epiſtolæ.* 162
Simonis (*Richardi*) *Epiſtolæ ſelectæ, Anecdota Literaria oppido multa complexæ.* 116
Struvii (*Burcardi Gothelfii*) *Antiquitatum Romanarum Syntagma.* 306
A Turre (*Philippi*) *Monumenta veteris Antii &c.* 257
Verwey (*Joannis*) *Theſaurus cultæ Latinitatis.* 3?4
Urſini (*Georgii Henrici*) *Inſtitutiones pleniſſimæ linguæ Latinæ.* 17

INDEX RERUM
NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

ABdominis *tumor ex potu frigido nocturno.* 523
Abortus *procuratio apud Romanos olim impunita.* 462
Abrahami *Religio ad Perſas propagata.* 406
De Abrahamo *fabula, quaſi in ignem conjectus fuerit, unde?* 407
Abſceſſus *ſtercore vaccino rumpitur.* 313
Academiæ *novæ promovendis ſcientiis Berolini fundatæ deſcriptio.* 175–186
Florentinæ origo & grogreſſus. 501
Accenſi *apud Romanos qui?* 259
Acidulæ *Piermontanæ.* 115
Acmellæ *figura genuina.* 31
Adamas, *Scriptura S. Jaſpis.* 521
S. Adjutoris *vita nuper demum publici juris facta.* 156
Adriani (*Jo. Baptiſtæ*) *cognomento Marcellini candor in condenda Hiſtoria Italica.* 504
Adulterii *apud Ebræos ſuſpectæ uxoris exploratio per aquas amaras.* 207
Ægypti *Regum, Ptolemæorum, Hiſtoria.* 1
Æliani *auctoris Hiſtoriæ Variæ vera ætas aſſerta.* 485
Hiſtoriæ Variæ variæ editiones. 489
Hiſtoria Varia num opus imperfectum? 488
Ælianus, *qui de Animalibus ſcripſit, idem cum auctore Hiſtoriæ Variæ.* 487

ad

- - *ab Æliano Tacticorum ſcriptore diverſus.* 487
Æquatione *duplici univerſali exhibita multiſectio anguli.* 170
Æquationum *tertii & quarti gradus constructio ſimpliciſſima.* 464
Æſculapii *ſignum, draco vel ſerpens, ex æneo ſerpente Moſis derivatum.* 87
Æther *in ultimis cœli tantum.* 391
Ætheris *muneri Solaris materia ſubſtituitur.* 391
Africæ *EpiſcopatuumGeographia ſacra.* 203
Alexander *ab Alexandro notatus.* 353
Alexandri *VII Bulla in cauſa Janſeniana in controverſiam vocata.* 297
Allatii (*Leonis*) *odium in Georgium Coreſium Chium.* 506
Alphonſi *Sapientis Caſtellæ Regis præclare geſta.* 453
- - *Portugalliæ Regis, ingenium ferox & facta.* 317. 318
Alteratio *corporum naturalium ut fiat?* 188
Amara *Veneri inimica.* 329
Amarities *unde?* 513. 514
Ambachtiæ *feudum Alemannis olim quod?* 447
Amor *Dei triplex, acquieſcentiæ, zeli, unionis.* 508
- - *noſtri quatenus licitus?* 509. 510
- - *Dei purus Myſticorum rejectus.* 396
Amplificandi *orationem modi varii.* 371–378
Amyntæ *Regis Macedoniæ nummus explicatus.* 319
Analyſeos *Problematis Iſoperimetrici varius uſus.* 227
Analyſis *InfinitorumNieuwentiitiana difficultatum poſtulata.* 29
- - *Curvæ deſcenſus æquabilis.* 135
- - *Problematis Iſoperimetrici.* 213
Anathema *Pauli Rom. IX, 3. quale?* 509
Anatomicarum *præparationum utilitas.* 385. 386
Anatomicus *Ruyſchii theſaurus.* 385
Anchoris *quomodo a ruptione cavendum?* 229
Angeli *mali num ad amorem Dei obligentur?* 526
De Angelis *malis ſententia Cabbaliſtarum nonnullorum.* 119
In Anglia *civilis belli cauſa & progreſſus.* 451
Anguli *multiſectio duplici æquatione generali exhibita.* 170. ſqq
- - - - *pro generali determinatione omnium zonarum quadrabilium Cycloidis.* 170
Anianus, *Pelagianus.* 119

Ani-

Animalis *generatio, ſive cum ſemine, ſive ſine ſemine, quomodo fiat?* 542
Aniſi & *coriandri ſemina nimium menſium fluxum ſedant.* 313
Anni *diviſio in Ritualibus.* 133
- - - *Medica.* 471. 472
- - *apud Perſas quondam ratio.* 408
Anthracum *anatome.* 513
Antiates *Fortunæ gemina.* 258
Antii *Veteris monumenta.* 257
Antimonium *diaphoreticum, Virgilio ramus aureus.* 520
Antiquaria *ſupellex in Theſauro Brandenburgico.* 321
Antiquitates *Romanæ in Anglia.* 516
- - - *Judaica.* 383
Antiquitatum *Romanarum ſcriptores ſub cenſuram vocati.* 352
Antiquorum *eruditio exploſa.* 50
Aphthæ *ventriculum & inteſtina infeſtantes.* 312
Apollo *cur* Κατηβάτης, *perinde ac Jupiter, dictus?* 41
Apologiæ *S. Juſtini Martyris pro Chriſtianis editio Grabeana.* 304
Apoſtolicum *Symbolum ab Apoſtolis ipſis non confectum.* 15
Aquæ *amaræ uſus in exploranda uxorum quod Ebræos pudicitia.* 207
Aquila, *cum ſubjecto pedibus fulmine, inſigne Ptolemæorum Ægypti Regum.* 8
Aquilarum *in Orcadibus inſulis copia & vis.* 151
Aquilia *gens unde ſic dicta?* 259
Arabicæ *linguæ ubertas.* 51
Arbor *ſcientiæ boni & mali.* 101
Arcani *duplicati in affectibus melancholicis maxima efficacia.* 312
Arcus *multiſectio pro generali determinatione omnium zonarum quadrabilium Cycloidis.* 170
Ariſtophanes *explicatus.* 37
Arnaldi (*Antonii*) *zelus pro cauſa Janſeniana.* 292-299
Arthritide *vaga correpto purgantia ſalutaria.* 313
- - - *nullum ex veſicatorii uſu levamen.* 313
Artuum *decurtandorum nova methodus.* 425
Aſari *vis emetica unde?* 514
Aſtrææ, *fabulæ Romanenſis, compoſitæ occaſio & argumentum.* 247
Aſtrologiæ *vanitas.* 402
Aſthma *Hypochondriacorum ſalutare.* 523
Atmoſphæra *quomodo ad lucem primigeniam & organum viſus ſeſe habeat?* 388
Atrebatenſis *Epiſcopatus inſtauratio.* 192
Auguriorum *apud Romanos quæ olim ratio?* 358

- - [illegible] in Nubibus [illegible]. 5[illegible]
A[illegible]ium faucis quodnam? 88
A[illegible] (Aureli) scripta [illegible] tomo X operum ejus [illegible] continentur. [illegible]
A[illegible], [illegible] [illegible]. [illegible]
A[illegible] Domus G[illegible] [illegible]. [illegible]
A[illegible] principii, Juris [illegible] damnata. [illegible]
A[illegible] exemplum [illegible]. 48[illegible]
Atrophia in paralysi unde? [illegible]
- - [illegible] [illegible]. 5[illegible]
A[illegible] [illegible]
- - - [illegible] T[illegible] locum [illegible] ris? 9[illegible]. 90
B[illegible]us (Adrianus) notatus. [illegible]
B[illegible] ([illegible]) [illegible]. 505
Sine Baptismo decedentium infantium quis status? 66
B[illegible]dori ([illegible]) in Gr[illegible] literas merita. 503
B[illegible]us notatus. 5[illegible]
In Barometris cur Mercurius ascendat? 512
Baumanniana in agro Brunsvicensi caverna comparata cum caverna Derbiensi Angliæ Poo'ls Hole dicta. 519
Belenus quodnam Numen? 266. 267
Bella Donna arcanum adversus C[illegible]. [illegible]
S[illegible] Auctoris [illegible] op[illegible] [illegible]
Ber[illegible] momentis [illegible] 1[illegible]
[illegible] auctorum, [illegible] generum, diff[illegible]. 5[illegible]4
Bethun[illegible] (M[illegible]) [illegible] Sulli [illegible] [illegible]. [illegible]
Bezoardicæ [illegible] usus noxius. [illegible]
Biathan[illegible]os, liber [illegible]. [illegible]
[illegible] Novi [illegible] menti [illegible] autoritas asserta. 2
- - [illegible] versioni Germ[illegible] quantum [illegible] B. Lutheri [illegible] ponderis? [illegible]
Bibliotheca [illegible]. 2[illegible]
[illegible]
[illegible] dili[illegible]
Bilis [illegible]? [illegible]
- - [illegible] præcedat? 4[illegible]
Bochartus (Samuel) notatus. [illegible]
Bogermanni (Joannis) Synodi Dordracenæ Præsidis in Remonstrantes iniquitas. 340. 341
Bolognitus (Ludovicus) notatus. 165
Bonarota (Michael Angelus) Poeta non minus quam architectus & pictor insignis famæ conservandæ valde studiosus. 504

Digitized by Google

[illegible] notati. [illegible]

[illegible] Thesauri [illegible]

[illegible]

[illegible] 119

[illegible]

[illegible] 122

[illegible]

C[illegible] 119

C[illegible]

C[illegible]

C[illegible]

- - [illegible]

S[illegible]

Calculi ex veſica felleâ [illegible] Lapidi [illegible] ſubſtitui [illegible] 59

- - g[illegible]ratis. [illegible]

- - [illegible]

[illegible] 536

[illegible] 523

- - [illegible] commen[illegible] 524

- - [illegible] com[illegible] 526

C[illegible] inconſtantia in [illegible] 292. [illegible]

Calor in corpore humano [illegible] [illegible]

C[illegible] Candidæ [illegible] 61

C[illegible] in [illegible] [illegible] 62

C[illegible] ſæpè contra fibræ. [illegible] 512

[illegible]

- - ad [illegible] diſtinguen[illegible]. 507

- - [illegible] operationes chi[illegible] admittat? 509

- - dolorem non ſemper [illegible] 507

C[illegible] 504-512

- - [illegible] in [illegible] fundis. 505

- - [illegible] 507

- - [illegible] non [illegible] 509

- - *cura palliativa per Topica caute inſtituenda.* 310
- - *cura per Narcotica quando inſtituenda?* 110. 111
- - *occulti cura temeraria.* 310
Cancroſa *exulceratio quomodo tractanda?* 311
Ad Cancroſæ *partis indurationem ſacculi.* 311
Cancroſorum *tumorum livor non ab acido, ſed a circulo ſanguinis turbato.* 306
Canonici *num ante ſeculum XII ab omni bonorum proprietate fuerint excluſi?* 475
Canonicorum *Lugdunenſium privilegium in adoratione S. Euchariſtiæ.* 124
- - *antiquitas.* 476
Capellus (*Jacobus*) *notatus.* 342
Capitis *in fœtu cur tanta moles?* 416
Capitolium *Romanum bis reſtitutum, primum a Veſpaſiano, dein a Tito filio.* 261
De Capua (*Leonardus*) *notatus.* 380. 381
Caroli I *Regis Angliæ mors cur a perduellibus feſtinata?* 273
Caroli *II Angliæ Regis character.* 274
Carolus I *Rex Angliæ quibus ex cauſis in tot calamitates inciderit?* 450-456
Carolus *Martellus legitimis natalibus reſtitutus.* 111
Carolus *IX Rex Galliæ num excuſari poſſit de perpetrata laniena Pariſienſi?* 333. 334
Carteſius *notatus.* 466
explicatus. 537
Carteſii *principium refractionis & reflexionis impugnatum.* 21
- - *Scripta poſthuma.* 532
Elementa. 534
Vortices. 536
Regulæ methodum inquirendæ veritatis complexa. 538
Carteſianorum *a Spinoza diſſenſio, dum totam rerum naturam unicum Ens eſſe ſtatuunt?* 160
Carthaginenſis *collatio in cauſa Donatiſtarum.* 195. 202
Caſa (*Joannes*) *num auctor libri de laudibus Sodomiæ?* 105
Caſæ (*Joannis*) *Archi-Epiſcopi Beneventani elogium.* 505
Caſſii (*Dionis*) *nova editio adornanda.* 430
Caſtalionis *elogium.* 59
Caſtitatis *in fœmina exemplum prodigioſum.* 483
- - *conſervatio ab amarorum uſu.* 329
Catarrhorum *cura.* 523. 524
Catenariarum *omnis generis inquiſitio.* 226
Catholici *nomen quis primus uſurpaverit?* 482
De Catonis *autochiria judicium.* 235

Ca-

d by Google

Cave (*Guilielmus*) *refutatus.* 68
- - - *defenſus.* 71
Cave (*Guilielmi*) *inſtitutum in componendis ſanctorum Patrum Vitis.* 75
Caverna *Darbienſis in Anglia, Pool's Hole.* 517 519
Cauſarum *connexitas in foro varia.* 169
- - *ſecundarum phyſicarum præcipua Motus.* 187
Centaurium *minus Faba S. Ignatii ſuccedaneum.* 30
Centrum *ovale in cerebro animæ ſedes.* 498
Ad Cephalalgiam *ſcorbuticam, cataplaſma.* 319
Cerebri *humani fibræ validiores quam brutorum.* 419
- - *liquidum cui uſui?* 496
- - *centrum ovale, ſedes animæ.* 498
Cerebrum *pars principalis unica corporis.* 438
Ceſtriæ *in Anglia Hiſtoria naturalis.* 511
Chadertoni (*Laurentii*) *Vita.* 107
Chaponelli (*Raimundi*) *Hiſtoria Canonicorum refutata.* 475
Cherubim & *rotæ Ezechielis explicatæ.* 97
Chifletii (*Jo. Jacobi*) *candor in mutanda ſententia circa Genealogiam Domus Auſtriacæ.* 245
China Chinæ *ſub forma clyſterum in febribus applicanda.* 30
- - *in febribus continuis noxia.* 523
Chirotoniæ & *Chirothefiæ diſcrimen.* 47
Chriſtiani *in Sina num licite intereſſe poſſint ſacrificiis aut aliis ſuperſtitioſis ritibus Sinenſium?* 422
Chriſti *Hiſtoriam quinam ante Lucam condiderint?* 9
Corpori quo ſenſu ἀπάθειαν Clemens Alexandrinus tribuerit? 75. 76
- - *Dies natalis num ſemper VIII Kal. Jan. celebratus?* 265
Chriſtinæ *Succorum Reginæ geſta poemate enarrata.* 89
Chronologia *Regum Ægypti Ptolemæorum.* 2
Sacra Spanhemii. 327
Chyli *depuratio quomodo fiat?* 437
Chylificatio *ut peragatur?* 437. 494. 515
Chymia *vindicata.* 80
Cicero *illuſtratus.* 462
Circulatio *ſanguinis in fœtu nulla.* 438
Vide Sanguis.
Circumcelliones *qui in Hiſtoria Donatiſtarum?* 200
Claſſiarii *apud Romanos num ex legio-*

legionibus etiam belli? 260
Cl[illegible] *Romanorum ad Ravennam [illegible] Prætoria dicta?* 260
Clemens *Alexandrinus fueritne Orthodoxus?* 68. 75
- - - *quid de* ἀπαθείᾳ *corporis Christi ſenſerit?* 75
Clerici *num ante ſeculum XII ab omni bonorum proprietate fuerint excluſi?* 475
Clericis *num ludos aleatorios ſpectare conceſſum?* 422
Clericus (*Joannes*) *refutatus.* 71
Clyſteres ex Cõina Chinæ. 30
Cocceji *diſtinctio inter* πάρεσιν *&* ἄφεσιν *peccatorum defenſa.* [illegible]
Coeffeteaus (*Nicolaus*) *qua moderatione in [illegible] Hæreticis, quos [illegible], fuerit uſus?* 243
Collotorum *familia in arte lithotomica felicitas.* [illegible]
Colo[illegible], [illegible] [illegible]
Cometæ *corpora diaphana.* [illegible]
Cometarum *firmata non ab [illegible] corporum mundanorum [illegible] aere.* 30[illegible]
C[illegible] [illegible] *fœtus quomodo fiat?* 500
Comœdia *quædam nuper [illegible] edita.* [illegible]
Concilii *Nicæni II autoritas elevata.* 73
C[illegible] [illegible] 7[illegible]
Concilium *Tridentinum num quoad doctrinam in Gallia fuerit receptum?* 123
Concurſus *corporum principia explicata.* 252
Confortantia *quomodo operantur?* 4[illegible]
Conjugium *in ſecundo affinitatis gradu per diſpenſationem* [illegible]
Conſ[illegible] *Argemoraie* [illegible]
C[illegible] [illegible]
C[illegible] *quo ſenſu contrariis curentur?* [illegible]
C[illegible] [illegible] 12
C[illegible] [illegible] *ſanguinem?* 457
- - *pars corporis inſ[illegible]* 438
- - *quis?* [illegible]
C[illegible] [illegible] 18
- - *[illegible] fœtus in utero [illegible]tuitur.* 438
Coreſii (*Georgii*) *ſcripta, & cum Leone Allatio ſimultas.* 506
Coriandri *& Aniſi ſemina fluxum [illegible] menſium ſedant.* 5[illegible]3
[illegible] *ſanguinis, Cœl, Aquæ, Terra.* 80
Corpor[illegible] *concurſus principia [illegible].* 252
- - [illegible]

[illegible] 1[illegible]
- - [illegible] in quo conſi-
ſ[illegible]? 1[illegible].188
- - [illegible] & corruptio
[illegible] 188
- - [illegible] ſubſtantiales re-
[illegible] 188
- - [illegible] & ſtabilitas
[illegible] 188
- - ſtatus naturalis & præ-
[illegible] 189
C[illegible] [illegible]manum quid? 492
C[illegible] univerſalis planta[illegible]
[illegible]nenatarum [illegible] opii. 285
Corruptio corporis naturalis quomodo fiat? 188
Cortex Peruvianus. Vid. China Chinæ.
Cromwelli character. 454
- - [illegible] ad Protecto-
ris munus, & in eo geſta. 457
- - auctoritas apud Mazarinum. 374
Cunei in Mechanicis uſus. 537
Curlandiæ Ducatus [illegible]. 149
Curvæ deſcriptio æquabilis Analyſis. 135
Curvaturæ in Curvis quibusvis radios prompte conſtruendi ratio. 176
Cu[illegible] ſeu C[illegible], regio, ubi ſita? 4[illegible]
Cyani aqua oculis inſtillata adverſus viſus debilitatem prodeſt. 314
[illegible] menſura? 322
Cycloid[illegible] ſeu Corpuſculus habens centrum gravitatis ſui poteſtate Algebraica, quomodo detur? 175
Cycloidis com[illegible] quadratilium omnium determinatio generalis. 170
Cy[illegible] nummus, cui Jovis [illegible] [illegible] impreſſa, illuſtratur. 56
Cytiſum Dioſcoridis eſt Acanthi[illegible] Matthioli & aliorum. 520
[illegible], qui [illegible] [illegible] fuit [illegible]. 4[illegible]
DAgobertus, Rex [illegible], [illegible] Nantildem [illegible] uxorem duxerit? 111
D[illegible] ad [illegible] D[illegible]tur? 312
Danhaueri conſilium circa divertium Principis Imperii cum uxore Principe. 310
Danielis Deſcriptio [illegible] Ill. Comitis Marſilii, [illegible]. 84.85
Derbiæ in Anglia Hiſtoria Naturalis. 511
Dei amor triplex, acquieſcentiæ, [illegible], unionis. 508.510
- - exiſtentia probata. 398
- - amor purus Myſticorum rejectus. 398
- - epitheton Ptolemæis Ægypti Regibus in nummis uſur-
pa-

patum. 4

A Dei *decretis dependentia rerum num fatalem rerum neceſſitatem inferat?* 160

Delphinus, *Galliæ Regum primogenitus, rectius Dalphinus dicitur.* 482

Deus *quomodo in Veteri Teſtamento peccatorum dicatur recordatus?* 299

Democratiæ *propugnator Jac. Harringthonus in Oceana ſcriptisque aliis.* 43

Dentium *carioſorum abſceſſus ſtercus vaccinum rumpit.* 313

Deorum *hiſtoriæ conditores.* 355

Deſiderii *Longobardorum Regis Poſteritas.* 481. 482

Dia *quænam Dea?* 262

Diaphoreticorum *uſus in febribus ſuſpectus.* 438

Differentialium *Methodus Leibnitiana defenſa.* 28. 139

Dilatatio *orationis quot modis fieri poſſit?* 371-378

Diluvii *exuviæ num metalla?* 513

- - *num plantæ foſſiles?* 514

Diploma *Brandenburgicum erigendæ novæ Scientiarum Academiæ.* 182

Diſcalceatio *Leviri à Fratria quo ritu apud Ebræos peragenda?* 205

Dividui & *Individui jura expoſita.* 164

Divinatoriæ *virgula damnata.* 422

Dolenſis *Eccleſiæ controverſia cum Turonenſi.* 155

Dominicani *cur Janſeniſtarum cauſam non egerint?* 299

Ad Donatiſtarum *Hiſtoriam ſpectantia monumenta varia.* 194

Donatiſtarum *Schiſmatis origo.* 197

- - *furor.* 200. 202

- - *in Rogatiſtas & Maximinianiſtas diviſio.* 220

- - *reliquiæ.* 204

Donii (*Jo. Baptiſtæ*) *ſcripta edita & affecta.* 506

Donnius *autochiriæ propugnator refutatus.* 234

Dordracenæ *Synodi in Belgio Hiſtoria.* 340

Dotatio *virginum apud Ebræos æqualis.* 206

Dubitatio *mater Philoſophiæ.* 541

Dyrrhachinus *panis quis Julio Cæſari?* 520

De Dyſenteria *tractatus.* 524

In Dyſenteria *unde tam atrocia tormina?* 524. 525

EBur *foſſile ἄμορφον & ἔμμορφον quid?* 520

Eccleſiaſticorum *antiquorum rituum compendium.* 132. 133

Elaſticitas *ſolidarum partium corporis* 416

- - *aeris aſſerta.* 189

Electorum *Imperii R. G. jura & officia.* 367. 368

Ele-

Elementa *Carteſiana.* 534
Elicius *Jupiter unde dictus ?* 38
Eliſabethæ *Angliæ Reginæ elogium.* 272
- - *avaritia notata.* 336
- - *in Mariam Scoticam durius ſtatuta defenſa.* 331
- - *in conſiliis de matrimonio cum Duce Andegavenſi providentia.* 332
Embryo *num in tuba Fallopiana ali queat ?* 83
Embryone *mortuo cur nullum lac in gravidæ mammis deprehenſum ?* 83
Empyematis *ſpecificum, Trifolium fibrinum.* 329
Enſiferorum *Equitum in Livonia Hiſtoria.* 147
Epilepſia *infantum ex menſibus nutrici redeuntibus.* 523
Epiſcopalia *Statuum Imperii R. G. Proteſtantium jura.* 366
Epiſcopatum *ambire num liceat ?* 422
Epiſcopatus *nomen num ſolum Epiſcopi territorium, an totam diœceſin denotet ?* 239
Epiſcopi *Galliæ in partes ſciſſi ex cauſa Janſeniana.* 294-296
Epiſcopii (*Simonis*) *vita.* 337
- - - *ſcripta.* 340-346
Epiſcopius (*Simon*) *Socinianiſmi reus actus.* 338-339
- - - *a Socinianiſmo abſolutus.* 347
- - - *quam duriter in ſynodo Dordracena fuerit habitus ?* 340. 341
Epiſcoporum *Germaniæ jura.* 369
Epiſtolæ *clarorum Virorum variæ.* 463
Pontificum Romanorum quorundam nunc demum editæ. 192
Epochæ *Perſarum olim variæ.* 408
Equitum *Enſiferorum Livoniæ Hiſtoria.* 147
Eraſmus *Lutheri ſibi ſcripta tribui indignatus.* 64
Erroris cauſæ. 399
Eruditionis *imperfectio demonſtrata.* 49
Eryſipelas *ex tinctura Bezoardicæ uſu exacerbatum.* 313
Evangelium *quid ?* 8
Evangelium *Matthæi fueritne Hebraice ſcriptum ?* 11
num repugnet rationi ? 394-399
Euripidis *ſcholiaſtes explicatus.* 41
Europæ *antiqua Deſcriptio.* 142
Euſebius *Cæſarienſis fueritne Arianus ?* 68-76
- - *in Concilio Nicano I orthodoxum ſe probat.* 77

- - *cur Patribus Concilii Nicæni II adeo exoſus fuerit?* 77

Excellentiæ *titulus a Franc. Hotomanno ſpretus.* 64

Exorciſmi *in Baptiſmo libertas aſſerta.* 104

Exotica *polychreſta.* 29

Expoſitio *infantum apud Romanos olim licita, quo modo prohibita fuerit?* 459. 460

Faba *S. Ignatii, inter exotica polychreſta.* 30

Fabæ *S. Ignatii Centaurium minus ſuccedaneum.* 30

Febres *per Chinam China in clyſteribus adhibitam ut curandæ?* 30

putridæ & malignæ quomodo curandæ? 438

refrigerantibus non curantur. 438

ut venæſectionem admittant? 438

num per Chinam chinæ curentur? 439

petechiales ut prognoſcantur & curandæ ſint? 522

intermittentes alexipharmacis ſubigendæ, quando malignæ epidemice graſſantur. 523

Feles *variolis laborantes.* 515

Felix *Aptungitanus Epiſcopus a Traditionis crimine abſolutus.* 197. 199

Fellis *folliculus non habet radices cyſticas.* 496

Fenelonius *Archi-Epiſcopus Cameracenſis refutatus.* 394-397

Feri (*Joannis*) *Commentarii in Johannem cur Romanis ſuſpecti?* 119

Fermatii *principium refractionis & reflexionis impugnatum.* 26

Fermentatione *chylus depuratur.* 437

Ferri *impatiens rupes.* 151

Feudorum *origo.* 447

Fibræ *in cerebro humano, quam brutorum, validiores.* 419

- - *motricis anatome & uſus.* 497

Fibrarum *motus ex Menyngibus.* 416

Fibrini *Trifolii vires.* 328. 329

Fidelium *irreprehenſibilitas explicata.* 478

- - - *duplex.* 478

Figurarum *uſus in ſpeculando* 540

Florentinæ *Academiæ origo & progreſſus.* 501

- - *Conſulis dignitas.* 502

- - *inſigne.* 502

- - *alumni potiores.* 503

Fluidorum *a ſolidis diſcrimen.* 534. 188

- - *vis in viventibus.* 415

- - *ad ſolida non tanta vis*

vis, quanta ſolidorum ad fluida. 417
Fluores *minerales.* 513
Fœtus 21 *menſium ex uteri tuba, ſalva matre, exciſus.* 82
– – *cur in tuba aliquando hæreat?* 83
– – *mortuus in utero cur putreſcat, non item in tuba?* 83
mortui ſignum certiſſimum, ſupremæ capitis cuticulæ diſſolutio. 284
– – *magna capitis moles cui uſui?* 416
conceptio & nutritio. 500
– – *reſpiratione, pulſu cordis, circulatione ſanguinis deſtituitur.* 438. 500
Forma *corporis naturalis in quo conſiſtat?* 187. 188
Formæ *ſubſtantiales corporum rejectæ.* 188
Formulæ Concordiæ *ut obſtiterint Calviniani?* 61
Fortitudo *num in autochiria eluceat?* 236
Fortunas *cur geminas Antiates coluerint?* 258
Forum Julium *unde dictum?* 267
De Franco-Gallia *Hotomanni judicium.* 61
Fratriæ *Leviro nuptura apud Ebræos officia.* 204. 205
Fratris *non relictis liberis defuncti viduam quatenus frater ſuperſtes apud Ebræos ducere fuerit obſtrictus?* 204. 205
Fredegarius *emendatur.* 111
Fredegundis *Franciæ Regina, a duobus criminibus abſoluta.* 110
Frictioni *in machinis tollendæ remedium.* 228
Friderici *III Pruſſiæ Regis Potentiſſimi inſigne ſtudium promovendarum Scientiarum.* 177. 179
– – – *elogium.* 325
Frigidus *potus nocturnus abdominis tumorem & atrophiam inducit.* 522
Fulgurator *cognomen Jovis, inde & Heroum.* 36. 39
Fulminum *num quæ ſignificatio?* 357. 359
Funibus *anchorarum quomodo a ruptione cavendum?* 229
Funiculariarum *omnis generis inquiſitio.* 220
Fur *partem auferens, cum totum poſſet, totius rei fur cur exiſtimatus?* 169
Galli *ut clam palamve Luſitanorum res adverſus Hiſpanos firmaverint?* 316
Gallorum *illuſtrium elogia.* 241
Gangræna *ut a membro detruncato arcenda?* 426
Gelli (*Jo. Baptiſtæ*) *ex ſutore literatoris ſcripta.* 504
Genealogia *Auſtriacæ Domus emendata.* 245
Genealogica *Italiæ & Hiſpaniæ Hiſtoria.* 481

Generatio *corporis animalis quomodo fiat?* 188. 542
- - *vel ſine ſemine, vel mediante ſemine.* 542
Genuflexio *in Eccleſia quando, & quibus conveniat?* 131. 133
Geographia *antiqua.* 140
- - *ſacra Spanhemii.* 327
- - - *Africæ.* 203
Geographiæ *lux ex Græcis Imperatorum Romanorum Numiſmatibus accenſa.* 114
Geographiæ *antiquæ tabulæ novæ.* 142
Gerohi *Epiſcopi Reichersbergenſis liber de corrupto Eccleſiæ ſtatu recens editus.* 191
Geulinx *refutatus.* 508
Giambularii (*Petri Franciſci*) *elogium.* 503
Glandulæ *hepatis nonniſi vaſorum faſciculi & extremitates.* 386
Gnoſticorum *aſſecla Tatianus.* 271
Gotha *urbs num a Gothis nomen & originem habeat?* 433
Græca *Romanorum Imperatorum numiſmata illuſtrata.* 113
Græci *Phœniciſſantes.* 414
Grammaticæ *imperfectio.* 51
Gratia *efficax, terminus ambiguus.* 210
Guſtaphus Adolphus *Rex Sueciæ in Chriſtina Luſtrata Capellarii indignè habitus.* 94. 95

Hæmorrhagiæ *rectiſſimè à nitro ſedantur.* 523
Hæreditati *renunciare num liceat?* 301
Hallus (*Joannes*) *Monarchomachus.* 45
Hammondus *notatus.* 403
Harduinus (*Joannes*) *refutatus.* 265
Harojus (*Ludovicus*) *primarius Regni Hiſpanici Adminiſter bello infelix.* 315
Harringtoni (*Jacobi*) *vita & ſcripta.* 41. 43. 45
Hecticorum *ſudores non ſemper noxii.* 525
- - - - - - - *ut tollendi?* 525
Hecticos *quando lactis uſus juvet?* 525
Hederæ *terreſtris in calculo uſus.* 525. 526.
Helleniſtica *lingua quæ?* 51
Henriqueziana *in Hiſpania Domus a Longobardorum Rege Deſiderio orta.* 482
Hepatis *glandulæ non niſi vaſorum faſciculi & extremitates.* 386
- - *tumor pedum tumorem œdematoſum conjunctum habet.* 525
Herbaria *Medicis inutilia.* 436
Herigonii *demonſtratio refractionis rejecta.* 21
Herniarum *cura, cruenta & incruenta.* 30

Hie-

Hieronymi *editionis Martinianæa cenſura.* 31. 123. 126
- - - *de verſione Latina Novi Teſtamenti judicium.* 13
- - - *in ſcripta unde tot menda irrepſerint?* 125
In Hieronymo *quæ vituperanda, quæ laudanda?* 33
Hippocrates *quomodo annum diviſerit?* 471
Hippocratis *Aphoriſmus 38 ſect. 17 explicatus.* 310
Hiſpano-*Portugallici belli Hiſtoria.* 315
Hiſtoria *Sacra Spanhemii.* 327
Ptolemaeorum Ægypti Regum. 1
Chriſti a quibus ante Lucam fuerit condita? 9
vitæ Jacobi Harringtoni. 41
Architectorum, Pictorum, Sculptorum & Scalptorum. 56
Chriſtinæ Suecorum Reginæ. 88
Vitæ Laurentii Chadertoni. 106
Franciæ Regum e primis duabus ſtirpibus. 109
Turcica noviſſima. 126
Enſiferorum Ordinis Teutonici Livonorum. 147
Academiæ novæ Scientiarum Berolini fundatæ. 175
Donatiſtarum. 193. 197
Quinque Propoſitionum in cauſa Janſeniana, refutata. 207
Illuſtrium hoc ſeculo in Gallia virorum. 241
Eliſabethæ Angliæ Reginæ Regumque ſecutorum. 272. 336
Janſeniſmi. 280
Portugalliæ ab A. 1659 ad 1668. 314
Vitæ Simonis Epiſcopii. 337
Synodi Dordracenæ in Belgio. 340
Remonſtrantium in Belgio. 337
Religionis veterum Perſarum. 405
Caroli I Regis Angliæ. 450
Verſionis Germanicæ Bibliorum D. Martini Lutheri. 467
Genealogica Italiæ & Hiſpaniæ. 481
Virorum illuſtrium Academiæ Florentinæ. 501
Gothana. 162. 433
Naturalis Lancaſtriæ &c. 511
Hiſtrionica *ars damnata.* 422
Holteni (*Eduardi*) *de Jove καταιβάτῃ ſententia examinata.* 38
Homicidium *non doloſum num ab omni pœna immune?* 278
Homo Dives & *Dives Homo diſtincti apud Hiſpanos tituli.* 483
Honor *quatenus vitæ præferendus?* 237

Horologium *pendulum perenni aqua curſu motum.* 229
Hotomannorum (*Franciſci & Joannis*) *Epiſtolæ.* 58
Hugenii *explicatio refractionis & reflexionis adverſa propagationi luminis in inſtanti.* 21
Hulſii (*Henrici*) *opera edita, & edenda.* 440
Humorum *non tanta vis ad partes ſolidas, quam harum in humores.* 417
Hungariæ *Hiſtoria Naturalis ab Ill. Comite Marſiglio edenda.* 84
Hydatides *ex vaſorum ipſis truncis oriuntur.* 387
Hydrops *ex vini & ſpirituum ardentium abuſu unde?* 525
- - - *an admittat venæſectionem?* 525
- - - - *Tubæ Fallopianæ.* 83
- - - - *quomodo curandus?* 516
- - - - *vel bilioſus vel lymphaticus.* 516
Hygroſcopium *ex opio.* 445
Hypochondriaci *mali cura.* 523
Hypochondriacorum *aſthma ſalutare.* 523
Hypognoſticon *libri quem agnoſcant auctorem?* 250
In Janſeniana *cauſa ſcriptorum utrinque editorum ſeries.* 290—299
Janſenianæ *quinque Propoſitiones quanta laborent ambiguitate?* 210
Janſenii *Auguſtinus quantas turbas dederit?* 290—299
Janſeniſmi *Hiſtoria.* 289
Janſeniſtæ *defenſi.* 208. 212
Janſeniſtarum *in Gallia perſecutio.* 298
Jaſpis *Scriptura, adamas.* 521
Icteri *cauſa genus fibroſum contractum.* 420
Icterus *febribus continuis ſuperveniens unde?* 522
Ideæ *in mente noſtra num ſimiles objectis?* 533
Ignis *num & quomodo a Perſis cultus?* 406. 410
Imaginatio *quomodo fiat?* 439
- - - *ſola ſenſus internus.* 498
Imaginum *cultum improbando Euſebius Arianiſmi infamiam contraxit.* 77. 78
Impetritum *quid Romanis?* 359
Impotentia *virilis ex Trifolii fibrini uſu unde?* 329
Individuitatis *jura expoſita.* 164
Infantis *nomen quis e Regia ſobole primus apud Hiſpanos geſſerit?* 483
De Infantium *ſine Baptiſmo decedentium ſtatu controverſia inter Sfondratum Cardinalem & ejus adverſarios.* 66
De Infidelium *ſalute ſententia Cardinalis Sfondrati examinata.* 66

Inſi-

Infinitivus *num ſit peculiaris verbi modus?* 18

Infinitorum *Analyſis Nieuwentiitiana difficultatum poſtulata.* 29

Ingeniorum *varietas unde?* 498 499

Ingenium *quomodo dirigi in inquirenda veritate debeat?* 539

Inquietorum *in Italia Academia.* 486

Inſcriptio *M. Aquilii illuſtrata.* 257

- - - *alia apud Gruterum emendata & explicata.* 263

Inſcriptionum *antiquarum collectores.* 354

Inſectorum *generatio.* 542

Intellectus *qua methodo uti debeat ad cognoſcendas gradatim veritates?* 539 540

Intereſt mea, *qualis conſtructio?* 19

Interjectio *num peculiaris pars orationis?* 19

Inteſtini *cæci diameter in infantibus major quam in adultis.* 386

Inveſtigatio *veritatis qua methodo inſtituenda?* 539

Joannis *Auſtriaci Philippi IV Hiſp. Regis filii naturalis geſta adverſus Luſitanos.* 316

Joannis *IV Portugalliæ Regis mite ingenium.* 315

Ipecacuanhæ, *polychreſto exotico, ſubſtitui poteſt radix Tormentilla cum emetico maritata.* 30

Irreprehenſibilitas *Fidelium explicata.* 478

- - - - - *duplex.* 478

Iſoperimetrici *problematis Analyſeos varius uſus.* 227

Iſopyrum *Dioſcoridis num Trifolium fibrinum?* 320

Judæi *num ſceptrum adhuc habuerint tempore nati Chriſti?* 100

Judaicæ *Antiquitates.* 383

Julii Obſequentis *libri de Prodigiis fata.* 357

Jupiter *cur καταιβάτης dictus?* 36

- - - *Elicius unde dictus?* 38

- - - *mox ſtans, mox ſedens in nummis expreſſus.* 38

Juſtificari *homo num ex operibus poſſit?* 101

S. Juſtini *Martyris Apologia pro Chriſtianis quantus uſus?* 302

Juſtitiæ *rigide adminiſtratæ exemplum.* 485

Juxonii *Epiſcopi Londinenſis character.* 451

K *Αταιβάτης unde Jupiter dictus?* 36

Knipſchildius *notatus.* 301

Kuhnius (*Joachimus*) *notatus.* 488

L *Ac in gravida mammis cur nullum embryone mortuo?* 83

Lactis *uſus quando Hecticis ſalu-aris?* 525
Lagidarum *Ægypti Regum Hiſtoria.* 1
Lancaſtriæ *Hiſtoria naturalis.* 511
Laniena *Pariſienſis quatenus excuſari ſoleat?* 334
Langus (*Joannes*) *notatus.* 303
Latinæ *linguæ Inſtitutiones pleniſſimæ.* 17
Launojus *Auguſtini in doctrina de Gratia adverſarius.* 125
Leibnitii (*Godefredi Wilhelmi*) *novæ Scientiarum Academiæ Berolinenſis Præſidis elogium.* 180
Leibnitiana *Methodus Differentialium defenſa.* 28. 139
Leonis *Mutinenſis Lexicon Ebraicum laudatum.* 122
Leporum *ſuperfœtatio unde?* 515
Levi, *cujus converſionem Marcus & Lucas deſcribunt, fueritne Evangeliſta Matthæus?* 10
Levirorum *in Fratrias apud Ebræos officia.* 204
Lex 4. ff. *de agnoſc. & alend. lib. illuſtrata.* 458
- - 2. C. *de Inf. Expoſ. illuſtrata.* 460. 461
Liber *cui titulus:* Optatus Gallus de cavendo ſchiſmate, *quas turbas dederit?* 24
Liber *de tribus impoſtoribus figmentum.* 120
Liber *trium columnarum quodnam ſcriptum?* 211
De Libero *Arbitrio controverſiæ* 528
Liberorum *expoſitio apud Græcos pleroſque olim licita.* 459
- - - *quando apud Romanos prohibita aut licita fuerit?* 459
Lien *laborat in tumoribus hypochondrii ſiniſtri.* 525
Lilia *agri Matth. VI. qualia?* 520 521
Limborch (*Philippus a*) *refutatus.* 157
Lipſiæ *deſcriptio.* 97
Lipſius *Germanos a ſe contemtim haberi inficiatur.* 64
- - *notatus.* 260. 261
Livoniæ *ſub Equitibus Enſiferis fata.* 148
Locus *I. Joh. V. 7. num ſuppoſititius?* 12
Longævitas *inſulas Orcades inhabitantium.* 152
Lovanienſis *Academia ſchiſma ob Auguſtinum Janſenii.* 290. 291
Ludos *aleatorios ſpectare quatenus Clericis conceſſum?* 422
Luminis *natura explicata.* 535 536
Luna *radiis Solaribus tota perfunditur.* 392
- - *maribus deſtituitur.* 392
Lunare *corpus pumiceum & quomodo?* 392
Lunæ *lucula unde?* 392
Luſitania. *vid. Portugallia.*

Luſtratio *Gentilium ex ritu Moſaico derivata.* 491
Luſtrationes *Gentilium illuſtrata.* 49
Lutheri (*Martini*) *ſtudium in verſionem Bibliorum Germanicam impenſum.* 467
Lux *Solaris primo die creata, diſci ſpecies die quarta prognata.* 391
Lympha *vitiata a cerebro per nervos derivata, multorum morborum cauſa.* 437
- - *& ſerum ſanguinis idem humor.* 495
Lymphaticorum *vaſorum ab arteriis origo.* 493
Lymphæ *elaboratio unde dependeat ?* 495
Lyſterus *notatus.* 512
MAchina *aquis elevandis deſtinata.* 229
In Machinis *tollendæ frictioni remedia.* 228
Maculæ *Solares quid ?* 390
Magiſtrorum *Ordinis Enſiferi in Livonia Hiſtoria.* 147
Magliabechii (*Jacobi*) *obitus.* 501
Magorum *apud Perſas varia genera.* 410
Majorinum *inter & Cæcilianum ſchiſma in Eccleſia Carthaginenſi.* 198
Maldonati *Commentarius in IV Evangeliſtas caſtratus.* 123
- - *cum Theologis Pariſienſibus controverſiæ.* 120.123
Maldonato *vindicatæ diſputationes de ſacramentis.* 120
Malebranchius *notatus.* 509
Maniæ *cauſa & cura.* 439
Mar *vox equum notans multorum nominum matrix.* 447
B. Maria *Virgo quo ſenſu* ſpes noſtra *dici poſſit ?* 421
Marſigli (*Aloyſii Ferdinandi*) *Comitis elogium.* 84
Mas, *Abbas, num auctor Hiſtoriæ quinque Propoſitionum ?* 209
Maſtiche, *reſina Ægyptiaca Planti.* 520
Materia *quomodo a Deo in partes inæquales fuerit diviſa ?* 535
- - *corporum naturalium omnium unica.* 187
Matertera *defuncti num cum ejusdem ex ſorore neptibus ſimul ad ſucceſſionem admittenda ?* 240
Matrimonia *Catholicorum cum Hæreticis num licita ?* 424
Matrimonium *infelix Alphonſi Portugalliæ Regis cum Principe Aumaliæ.* 318
Matthæi *Evangelium fueritne Ebraice ſcriptum ?* 11
Matthæus *Evangeliſta ſitne idem cum Levi illo, cujus converſionem Marcus & Lucas deſcribunt ?* 10

Mauriceau *notatus.* 282
Maximianiſtæ *inter Donatiſtas qui ?* 201
Maximiliani *II ſtudium in Evangelicos.* 59
Mechanicæ *explicatio.* 536
Medicæ *Theoriæ Fundamenta Nov-Antiqua.* 79
Medicamentorum *officinalium cenſura.* 426
Medicina *a calumniis & objectionibus vindicata.* 378
- - *non eſt ars conjecturalis.* 380
- - *non utitur fallacibus præceptis.* 381
- - *nullius fraudis rea.* 82
Medicinæ *origines.* 86
- - *vanitates.* 436
Medicorum *varia genera & ſectæ.* 87
- - *dignitas.* 88
Mediolanenſium *Vice-Comitum inſigne.* 484
Mei *(Hieronymi) in Græcas literas merita.* 503
Meierorum *nomen unde ?* 446
- - *ſic dictorum in Germania multitudo.* 448
In Melancholicis *affectibus Arcani Duplicati magna vis* 312
Memoria *in quo conſiſtat ?* 439
Menagius *(Ægidius) cur nunquam receptus in Academiam Francicam fuerit ?* 247
Menſium *fluxum nimium ſedant ſemina coriandri & aniſi.* 313
- - *fluxus ſi nutricibus redeat, lactantes epilepſia corripiuntur.* 523
Menynx *dura ſolidorum in animalibus mater.* 416
- - *tenuis motum cerebro communicat.* 419
A Menyngibus *motus fibrarum.* 416
- - *quomodo motus per corpus propagetur ?* 416
Menyngis *dura ſtructura & uſus.* 415. 418
- - *& cordis eadem fabrica.* 418
- - *elaterem vitiatum qui morbi inſequantur ?* 419
A Menyngis *duræ motu ſpirituum animalium energia & velocitas dependet.* 419
Mercurius *cur in Barometris adſcendat ?* 512
- - *in Barometris fermentationem ſubit.* 512
Metalla *exuviæ diluvii.* 513
Methodus *pro menſura ſuperficierum, dimenſione ſolidorum &c.* 280
Miracula *ex Spinoza hypotheſi negata.* 161
- - *a Franciſco Burmanno admiſſa.* 161
Miſchnæ *pars tertia illuſtrata.* 203

Mi-

Mithræ *natalis unde idem cum natali Chriſti?* 265
- - *tabula ſymbolica explicata.* 264
- - *Sacra.* 265. 266
Monnicæ *S. Auguſtini matris vita.* 251
Monogramma *Chriſti in nummo Ptolemaico.* 3
Montaltii *i. e. Paſcalii Literæ Provinciales Pariſiis a Conſilio Regio damnatæ.* 298
Moralis *Theologiæ præcepta varia.* 422. 423
Morbi *a ſolidis partibus æque quam ab humoribus dependent.* 417
- - *ex Menyngum elatere vitiato producti.* 419
Morborum *varietas ex varietate tempeſtatis.* 473
theoria. 80
- - *qui Vratislaviæ A. 1699 graſſati ſunt, Hiſtoria.* 521
Mori *per Sapientiam, quid Plinio?* 521
Morini *anecdota* 118. 123
Mors *ſpontanea ex principiis Naturæ damnata.* 233. 238
Motus *una cum Mundo ortus.* 535
- - *cauſarum ſecundarum Phyſicarum præcipua.* 187
- - *animalis quomodo fiat?* 497
- - *reciprocationis objectorum.* 393
Mulieres *ſexagenariæ parientes.* 152
Multiſectio *anguli & arcus duplici æquatione generali exhibita.* 170
- - - *pro generali determinatione omnium zonarum quadrabilium Cycloidis.* 170
Muſæus (*Joannes*) *vindicatus.* 526
Myſtici *Stoicis comparati.* 394
Myſticorum *amor Dei purus rejectus.* 396
Mythologia *Græca ex lingua Phœnicia explicata.* 414
Mytulorum *teſtæ ut producantur?* 514
De NAtalibus (*Petrus*) *notatus.* 195
Natura *& Gratia ut differant?* 394
- - *rerum univerſa quo ſenſu unicum dici ens poſſit?* 160
Naturæ *per brevisſimas vias operandi conſuetudo ex æquilibrii principio deducta.* 25
Naziræi *unde dicti?* 206
Naziræum *perpetuum inter & Simſonæum diſcrimen.* 206
In Nephritide *dignoſcenda ad vomitum & vires reſpiciendum.* 522
Nephritidis *ſignis diagnoſticis hactenus cognitis non fidendum.* 522
In Nervis *datur liquidum, & quale?* 496. 497

Nervoſi *ſucci officina & uſus.* 497 498

Neutrum *verbum contra rejicientes aſſertum.* 18

Newtoni *doctrina refractionis & reflexionis notata.* 22

Nicolaitæ *qui & unde dicti ?* 100

Nieuwentiitiana *Infinitorum Analyſis difficultatum poſtulata.* 29

Nitrum *in hæmorrhagiis aliis præſtat.* 523

Noctis & *Umbræ ratio explicata.* 390

Noctuas Athenas, *quale proverbium ?* 521

Norvagi *ut imperio Orcadum exciderint ?* 153

Notis *claſſicos auctores illuſtrare num e re ſit ?* 490

Novitas *opinionum circa ſacra num ſtatim ſuſpecta ?* 401

Numiſmata *Ptolemæorum Ægypti Regum illuſtrata.* 1

- - *Græca Imperatorum illuſtrata.* 113

- - *rariora e Theſauro Brandenburgico explicata.* 319. 323

Nummos *aſperos cur Nero tam ſollicite conquiſiverit ?* 62

Numus *Sexti Pompeji illuſtratus.* 260

Nutritio *animalis quomodo fiat ?* 459

- - *fœtus quomodo fiat ?* 500

OBduratis *omnique gratia ſufficiente deſtitutis num peccata imputentur ?* 424

Objectorum *motus reciprocationis obſervatus.* 393

Obſtetricandi *artis novum Lumen.* 281

Obſtetricibus *quænam tactu exploranda ?* 283

Obſtetricum *Theoria.* 282

Oceana *Harringtoni, qualis liber, & a quibus oppugnatus ?* 43.45

Oceani *murmura inſolita, imminentium tempeſtatum indicia.* 512

Oculi *bulbus ut a corroſivi palpebris applicati noxa defendendus ſit ?* 309

Opiata *Phthiſicis noxia.* 438

Opii *correctio.* 285. 445

- - *myſteria revelata.* 441-446

Etymologia. 441

effectus, gratisſima ventriculi ſenſatio. 443. 444

externe applicati effectus. 443

panacæa liquida & ſolida. 445

Opium *maniacis proficuum.* 314

- - *optimum quodnam ?* 442

- - *ſpirituum animalium motum non ſufflaminat.* 443. 444

- - *non frigidum, ſed calidum.* 443

- - *quomodo ſomnum conciliet ?* 444

Digitized by Google

- - *hygroſcopium præbet.* 445
- - *quomodo gratam ſenſationem efficiat?* 445
- - *quomodo dolores ſedet?* 445
- - *num ſudorem promoveat?* 445
In Ophthalmia *veſicatoria non pone aures lateris affecti ſunt applicanda.* 524
Optati *de Schiſmate Donatiſtarum variæ editiones.* 193
- - *utilitas.* 196
- - *Milevitani vita.* 195
- - *de Schiſmate Donatiſtarum liber qua occaſione fuerit compoſitus?* 196
S. Optato *Milevitano ſeptimus quoque liber de ſchiſmate Donatiſtarum aſſertus.* 196
Optatus *Antisſiodorenſis a Milevitano diverſus.* 195
Oraculorum *Sibyllinorum auctoritas elevata.* 16
- - *quæ auctoritas?* 357
Orationem *dilatandi ac amplificandi modi.* 371-378
Oreadum *Inſularum deſcriptio.* 140
- - *numerus & nomina.* 150
- - *Epiſcopi* 152
- - *Domini priſtini & hodierni.* 153
- - *reditus.* 154
Ordinis *Equitum Enſiferorum in Livonia Hiſtoria.* 147
Organa *ſenſoria quid præſtent?* 498
Orientius; *cujus Commonitorium nuper editum, quis fuerit?* 154
Origines *Hebraice ignarus.* 32
Oſcula *Clericis indigna.* 423
Oſculi *radios in Curvis quibusvis prompte conſtruendi ratio.* 136
- - *in Curvis Algebraicis analytice determinandi Methodus.* 135
In Ovario *mulieris dentium racemus repertus.* 387
Ovulum *humanum rudimenta fœtus continet.* 500

Paludoſa *loca unde?* 512
Panacæa *ex opio liquida & ſolida.* 445
Pandectæ *Medico-Legales.* 275
Panis *Dyrrhachinus Julii Cæſaris ex radice Ari confectus.* 520
Papillæ *balenæ conformatio.* 387
Pariſienſis *Facultas notata.* 124
Participium *conſtituatne diſtinctam vocum claſſem?* 19
Partus *difficillimus, etiamſi infantis caput uteri orificio objaceat.* 281
- - *difficilis cauſa eſt poſitura obliqua uteri.* 282
- - *naturalis quis?* 283
- - *difficilis quando inſtrumenta chirurgica requirat?* 284
- - *octimeſtris vivax.* 500
In Paſchatis *Quinquageſima quot die-*

diebus feriandum? 132
De Patriarcha *creando Gallorum quorundam conſilia.* 124
Patrum *Eccleſiæ quæ auctoritas?* 69. 73
- - *errores notati.* 401
Pauſanias *illuſtratus.* 37
De Peccato *originis controverſia Flaciana.* 527
Peccatorum *remiſſio qualis in veteri, qualis in novo Teſtamento?* 98
- - *quomodo Deus in Veteri Teſtamento dicatur recordatus?* 99
Percusſionis *principia explicata.* 252
Peregrinatio *inter Medicorum remedia.* 87
Perſæ *quo ſenſu duo rerum principia ſtatuant?* 451
- - *unum ſemper Deum coluerunt.* 406. 411
- - *creationi totum annum inſumtum credunt.* 407
Perſarum *veterum religio.* 405. 411
- - *Epochæ olim varia.* 408
- - *Legislatores.* 408
- - *Hierarchia.* 410
Petechialis *febris ſigna prognoſtica & cura.* 512
Petrarcha (*Franciſcus*) *Medicorum hoſtis.* 379
Petri *Luſitaniæ Regis cum Aumalia matrimonium.* 318
Philippus *Arabs Imperator fueritne Chriſtianus?* 6
Philo *Judæus unde ſua de Λόγῳ hauſerit?* 70
Philoſophiæ *vanitates.* 436
Philoſtrati *nova editio adornanda.* 431
Philoſtratus *notatus.* 63
- - *explicatus.* 486
Phœnicia *lingua mater Mythologiæ Græcæ.* 414
Phœnicum *olim in Britannia coloniæ.* 511. 512. 518
Photii *de Clementis Alexandrini ſcriptis ab Arianis adulteratis narratio defenſa.* 75
- - *Bibliotheca nova editio adornanda.* 432
Phthiſeos *ſcorbuticæ cauſæ* 516
Phthiſicis *noxia opiata.* 438
Pictorum *Hiſtoria, ſcholæ recentiores, & ſigna ſeu characteres.* 56
Pilulæ *lucidæ non ſunt appropriatæ viſus læſionibus.* 439
Pipinus *num Zachariæ Pontificis Romani auctoritate regnum Franciæ fuerit conſecutus?* 112
Plantæ *flore irregulari pentapetalo.* 85
- - *venenatæ quomodo corrigendæ?* 285
- - *foſſiles num exuviæ diluvii?* 514
Plantarum *foſſilium generatio.* 514
- - *vegetatio quomodo fiat?* 514
Plato *num Prophetarum Hebræorum*

rum ſcripta legerit? 70
Podagra *in quo conſiſtat?* 526
Poiſſonii *Elucidatio doctrinæ Carteſii Mechanicæ.* 536. 537
Polypus *artificialis.* 386
Ad Pondera *graviſſima parvis viribus levanda, Machina.* 537
Pontificis *Romani infallibilitas in quæſtione facti impugnata.* 297. 298
Pontificum *quorundam Romanorum Epiſtolæ nunc demum editæ.* 192
Poo'ls Hole, *caverna Angliæ, comparata cum caverna Baumaniana Germanica.* 519. 516
Portugalliæ *Hiſtoria ab A.* 1659 *usque ad A.* 1668. 314
Portugallicæ *Aulæ mutationes.* 317. 318
Portugallo-*Hiſpanici belli varia fortuna & eventus.* 315. 318
Portugallos *inter & Hiſpanos cur non illico bellum exarſerit, poſtquam illi ab his defeciſſent?* 315
Portus Regii *moniales multa ob Janſeniſmum perpeſſæ.* 298. 299
Poſſeſſionis *individuitas expoſita.* 168
Poſſevini *Apparatus notatus.* 120
Poſtelli (*Guilielmi*) *ineptiæ.* 121
Potentia *quid?* 253
Potus *frigidus nocturnus abdominis tumorem & atrophiam inducit.* 522
De Prædeſtinatione *ſententia Cardinalis Sfondrati examinata.* 66
Præjudicia *errorum cauſæ.* 403
Præmonſtratenſes *ſintne Canonici Regulares an Monachi?* 477
Precationes *diebus Dominicis ſtando ſecundum antiquum ritum peragendæ.* 131
Presbyterianorum *in Anglia incrementum unde?* 452
Principum *Imperii R. G. jura territorialia.* 368. 370
Problematis *Iſoperimetrici Analyſis.* 213
Procuratio *publicorum operum quodnam munus apud Romanos?* 262
Procuratores *Cæſarum apud Romanos varii.* 260
Pronomen *ſitne pars Orationis a Nomine diſtincta?* 18
Proſper *fueritne Canonicus an Epiſcopus?* 476
Pſalmodiarum *multitudo reprehenſa.* 134
Ptolemæorum *Ægypti Regum Hiſtoria.* 1
Pulmonum *vaſa ſanguifera non exſcreantur.* 232
Pulveraria *in Anglia conſpiratio ab Henrico IV Galliæ Rege Jacobo detecta.* 272
Πογοςόλος γυνὴ *quæ?* 415
Pyritis *varia genera.* 515
Pyrmontanæ *acidulæ.* 115

Q

Quadratura *Geometrica infinita.*

nitarum partium Curva ſuperficiei conica. 26
Quercus *marina fœmina.* 513
Quietiſtæ *refutati.* 397
RAdios *oſculi (curvatura) in Curvis quibusvis prompte conſtruendi ratio.* 136
- - *Analytice determinandi methodus.* 136
Radulphus *(Richardus) Proteſtantium præcurſor.* 119
Ramus *aureus Virgilii, Antimonium Diaphoreticum.* 520
Rationi *num repugnet Religio?* 394 395. 399
Reactio *actioni contraria & æqualis.* 22
Reflexionis *& refractionis natura.* 19–26
- - *principium ex hypotheſi Fermatii, Hugenii, Robervallii, Herigonii, Newtoni ſub examen vocatum.* 20. 21. 22
Religio *Chriſtiana num repugnet rationi?* 394
Religiones *Judaico-Ethnicæ.* 429
Remonſtrantium *Hiſtoria in vita Simonis Epiſcopii illuſtrata.* 337
- - *perſecutio.* 339 341. 342
- - *reſtitutio.* 345
- - *Eccleſia inter perſecutiones ſtabilita.* 343
Renum *ſuccenturiatorum uſus.* 495. 496
Renunciare *hæreditati jure Naturæ & plurimarum Gentium licitum.* 301
Renunciatio *injurata & extrajudicialis num valida?* 302
Renunciationis *vox ambigua.* 301
De Republica *optima Tractatus Harringtoni ſub titulo Oceana.* 41. 47. 48
Reſina *Ægyptiaca Plauti eſt Maſtiche.* 520
Reſpiratio *in fœtu nulla.* 438. 500
Reſpirationis *actio & uſus.* 493
Revelationis *neceſſitas collecta ex imperfectione ſcientiarum.* 49 55
Richelii *Cardinalis inſtitutum de Hugonottis amicabili via conciliandis.* 117
Ritus *Eccleſiaſtici varii.* 132. 133 156
Robervallii *explicatio refractionis rejecta.* 21
Rogatiſtæ *inter Donatiſtas qui?* 201
Romanæ *Antiquitates in Anglia* 516
Romanarum *Antiquitatum Scriptores deque iis judicium.* 352
Romani *num præ aliis gentibus, quas barbaras dixere, morati fuerint?* 458
- - *quatenus admiſerint liberos exponi occidive?* 459
Rotarum *uſus in mechanicis.* 537
Rotomagenſium *Archi-Epiſcoporum*

rum Hiſtoria nuper demum edita. 156

Rufus (*Conradus Mutianus*) *quis fuerit?* 163

Ruperti *Palatini geſta in civili Angliæ bello.* 453

Rupes *in Orcadibus ferri impatiens.* 151

SAcramentorum *antiqui ritus.* 156

SAL. *quid in nummo Sexti Pompeji?* 260

Salica *lege num fœminæ a ſucceſſione in Regno Franciæ excludantur?* 110

Saliva *ex ductu ſuo a glandulis maxillaribus orto per triplex oſtium proſilit.* 386

Salivatoria *methodus Gallorum.* 30

Salmaſius *notatus.* 260

Sancti *non niſi cum fiducia in ſolum Deum invocandi.* 421

Sanguinis *circulatio a ſpiritibus animalibus dependet.* 438

– – *motus inteſtinus unde?* 492

– – *motus progreſſivus ſeu circulatio unde?* 493

– – *circulatio ad vitam & actiones plurimum confert.* 494

– – *menſtrui natura.* 496

Sanguis *continet pinguedinem diſſolutam.* 386

– – *quomodo ex arteriis ad venas deferatur?* 438.493

– – *in diaſtole non omnem cordis concamerationem replet.* 438

– – *in fœtu non circulatur.* 438

– – *quomodo generetur?* 495

Sancti *non niſi cum fiducia in ſolum Deum adorandi.* 421

Sardinia *num a Sardo nomen habeat?* 250

Scabies *retropulſa ut curanda?* 523

Scalptorum *Hiſtoria, opera, ſigna, ſeu characteres.* 57

Sceletum *artificioſe compoſitum.* 386

Schinkelii (*Johannis*) *contra Janſenianos geſta.* 290.291

Schiſma *Donatiſtarum.* 193.197 203

Scholaſticæ *Philoſophiæ defectus.* 55

Schombergii (*Friderici Comitis*) *pro Luſitania adverſus Hiſpanos præclare geſta.* 316

Scientiarum *imperfectio demonſtrata.* 49

Scientiis *promovendis Academia nova Berolini auſpiciis Potentiſſimi Regis & Electoris Friderici III fundata.* 175–186

Scorbuti *cauſæ.* 515

– – – *cura.* 516

Scoti *quomodo cum Carolo I Rege colliſi?* 452

Scotiæ *Reges ut Orcades ſibi ſubjecerint?* 153

Scripturæ *S. obſcuritas negata.* 56

Scripturæ *S. loca illuſtrata*

Gen. II. 17. 101

XLIX. 10. 99

Num. XXIV. 24. 406

Eſa. LXV. 11. 414
LXVI. 17. 414
Marcus II. 14. 10
Luc. I. 1. 9
V. 29. 10
XIII. 11. 394
Act. X. 35. 103
Rom. IX. 3. 509
1. Cor. XI. 14. 492
2. Petr. II. 15. 100
III. 10. 102
1. Joh. V. 7. 12
Hebr. X. 17. 18. 99
XII. 23. 415
Apoc. XIII. 8. 491

Secretio *animalis quomodo fiat?* 494

Sector *ſolidus Cycloidicus habens centrum gravitatis ſub poteſtate algebraica quomodo detur?* 175

Sedentes *cur in nummis expreſſi Dii?* 39

Sedere *in cultu Divino Laicis olim non conceſſum.* 132. 153

Segnii (*Bernardi*) *ſcripta.* 502

Selenitæ *duplices.* 392

Senſatio *quomodo fiat?* 439. 444 499

Senſuum *externorum ſubjectum membrana.* 439. 498

– – *organa quid præſtent?* 498. 499

Senſibilis *objecti actio alia a ſenſatione in anima excitata.* 499

Senſus *communis functio.*

– – *non niſi unicus.* 498

– – *mechanice explicati.* 499

Serpentis, *qui ſignum Æſculapii, ex æneo ſerpente Moſis origo.* 87

Sfondratus *Cardinalis refutatus.* 65

Sibyllinorum *Oraculorum quæ auctoritas?* 357

– – *auctoritas elevata.* 16

Simſonæum *inter & perpetuum Naziræum diſcrimen.* 206

Sinenſium *cultus, quem Confucio & Progenitoribus exhibent, rejectus.* 422

Socratis *Hiſtoria a Jo. Tolando edenda.* 48

De Sodomiæ *laudibus liber inique Jo. Caſæ tributus.* 105

Sol *ſub Mithra nomine cultus.* 265

– – *viſibilis & inviſibilis quomodo?* 387

– – *non globoſus, ſed diſciformis.* 390

Solanum *furioſum, ſeu Bella Donna, arcanum adverſus Cancrum.* 310

Solare *corpus ſenſibus noſtris imperceptibile.* 390

Solaris *diſci apparentis ſpecies in atmoſphæra quomodo generetur?* 388

– – *corporis magnitudo indeterminata.* 390

– – *lux primo die creata, diſci vero ſpecies quarta die propagata.* 391

- - *natura portio intra corticem Telluris.* 392
Solidæ *corporis partes, æque ac humores, morbos producunt.* 417
Solidarum *corporis animalis partium vis elaſtica.* 416
- - *major eſt vis ad fluidas, quam e converſo.* 417
Solidi *minime reſiſtentiæ inveſtigatio.* 135
Soliditas *in quo conſiſtat?* 188
Solidorum *a fluidis diſcrimen.* 534
- - *& fluidorum vis in viventibus.* 415
- - *mater in viventibus dura Menynx.* 416
Somnus *quomodo producatur ab Opio?* 444
- - *quomodo homini obtingat?* 499
Sophiſtæ *qui olim dicti?* 487
Sorbona *in partes ſciſſa ob cauſam Janſenianam.* 291. 293
Sortes *Antiatinæ.* 258
Sortium *Virgilianarum exemplum.* 273
Spaſmus *manuum doloroſus non niſi frigidis cedens.* 312
Spes noſtra *quo ſenſu dici B. Maria virgo poſſit?* 421
Spinozæ *tractatus de Iride ab ipſomet exuſtus.* 106
- - *ſententia de tota rerum natura non niſi unico Ente.* 161
- - *de Miraculis.* 161
A Spinoziſmo *vindicatus Franciſcus Burmannus.* 157
Spiritus *animales chylificationem præſtant.* 437
- - *ſanguinis circulationem promovent.* 438
- - *in fœtu functiones non obeunt.* 438
- - *nulli.* 492. 497
Spirituum *animalium energia & velocitas a dura matris motu maxime dependet.* 419
- - *præſtantia.* 438
- - *motus ab Opio non ſufflaminatur.* 443. 444
- - *ardentium abuſus ut hydropem producat?* 525
Squillæ *vis emetica unde?* 514
Stalactitis *origo.* 513
Stando *precari diebus Dominicis, Feſtis, & durante Paſchate, antiquus mos.* 130
Statera, *ejusque effectus, & hujus cauſa.* 538
Status *Imperii R. Germanici quis?* 365
Statuum *Imperii R. G. jura expoſita.* 365–371
Stella *eadem in diverſis locis apparere poteſt.* 536
Stellæ *non eo loco apparent, in quo revera ſunt.* 536
Stercoris *vaccini in rumpendis abſceſſibus & ambuſtis ſinandis efficacia.* 513

Digitized by Google

Stoicorum *de autochiria ſententia refutata.* 535
Stomacho *qualia conveniant remedia?* 437
Strozzæ (*Alexandri*) *Epiſcopi Volaterrani elogium.* 505
Succi *nervoſi officina & uſus.* 497
Sudores *Hecticorum non ſemper noxii.* 525
- - *ut tollendi?* 525
Suetonius *emendatus.* 258
Suidas *notatus.* 487
Sulphurearum *aquarum diverſitas.* 512
Superfœtatio *leporum unde?* 515
Superficierum *menſurandarum methodus.* 280
Symbolum *Apoſtolorum neutiquam ab Apoſtolis profectum.* 15
- - *Nicænum quando in Eccleſiis cani cœptum?* 134
Synergiſtarum *diſcrimen a Maſſilienſibus.* 527
Synodi *Dordracenæ in Belgio Hiſtoria.* 340
TAcitus *illuſtratus.* 261
Tatiani *Orationis ad Græcos variæ editiones.* 268
- - *Vita.* 270
- - *errores.* 271
Teleſcopium *Aſtronomicum immobile.* 229
Telluris *motus diurni argumentum ex motu reciprocationis objectorum.* 393
Temperamentorum *ortus.* 494
Tempus *quid?* 253
Territorialia *Statuum Imperii R. G. jura.* 366
Teſtamenti *Veteris Hiſtoriæ omnes typicæ.* 440
- - - *Novi Scripturæ Sacræ auctoritas aſſerta.* 7
- - - *Novi codicis Cantabrigienſis quæ auctoritas?* 14 122
De Teſtamenti *Novi verſione Latina Hieronymiana judicium.* 13
Teutonico *in Pruſſia Ordini Equites Enſiferi Livoniæ aliquando obnoxii.* 148
Therapeutæ *Philonis quinam?* 132
Thermæ *artificiales num parari queant?* 116
- - *nephritidi inveterata non conducunt.* 524
Thule *Antiquorum in Scotia Aquilonari ſita.* 154
Tillemontii (*Sebaſtiani Nani*) *in bonas literas & Hiſtoriam inprimis Eccleſiaſticam inſignia merita.* 244
Tincturæ *Bezoardicæ improvidus uſus noxius.* 313
- - *Vitrioli Martis Tartariſata vires in malo hypochondriaco.* 523
- - *Vitrioli Martis Saturniſata*

ſata præparatio. 525
Tormentillæ *radix cum emetico maritata radici Ipecacuanhæ ſubſtitui poteſt.* 30
Traditores *qui in Hiſtoria Donatiſtarum?* 197
Tridentinum *Concilium num quoad doctrinam in Gallia ſit receptum?* 123
Trifolii *fibrini hiſtoria.* 328
- - *vires.* 328.329
Tripudium *unde dictum?* 358
Trochlearum *uſus in Mechanicis.* 537
Tuba *Fallopiana embryonem nutrire poteſt.* 83
In Tuba *Fallopiana unde fœtus quandoque hæreat?* 83
Tubæ *hydrops.* 83
Tumores *neglecti quomodo in Cancrum abeant?* 308
Turcarum *bello proximo jactura & clades.* 127
Turonenſis *Eccleſiæ controverſia cum Dolenſi.* [illegible]5
Tuſſi *ejecta ſubſtantia vas pulmonale referens.* 231
- - *pulmonum vaſa non excreantur.* 232
Tutelæ *individuitas* 166
VAccini *ſtercoris in rumpendis abſceſſibus & ambuſtis curandis efficacia.* 313
Vacuum *num in natura detur?* 534
Valerianus (*Jo. Pierius*) *qua occaſione librum de Fulminum ſignificatione ediderit?* 357
Vapores *num ex ventriculo ad cerebrum adſcendant?* 443.444
Varchii (*Benedicti*) *elogium.* 505
Variolis *laborantes feles.* 515
Vaſorum *trunci in Hydatides abire poſſunt.* 387
Vavaſſori (*Franciſci*) *Commentarius in Jobum nullius pretii.* 122
Venæſectionis *uſus in febribus.* 438
- - - *in hydrope* 525
Venenatarum *plantarum correctio.* 285
Ventorum *hiſtoria.* 474
Vegetatio *plantarum quomodo fiat?* 514
Venarum *origo ab arteriis.* 493
Ventriculi *dyſcraſia nervis obſtructis debetur.* 437
Verba *a nominibus, an nomina a verbis derivanda?* 18
Veritatis *fontes, Ratio & Scriptura S.* 398
- - *κριτήρια falſa.* 400
- - *inquirendæ methodus.* 539
Ex Veſica *extracta acus eburnea, calculoſa materia obducta.* 231
Veſicatoria *cur non operentur in plethoricis?* 523
- - - *in Ophthalmia quomodo applicanda?* 524
Vexillarii *qui apud Romanos?* 263
Viæ *publicæ Cæſareæ num a terri-*

torii Domino die Dominica occludi poſſint? 239
Vigilia *unde?* 499
Vignerii (*Hieronymi*) *elogium.* 245
Vires *ad onus tollendum quomodo augeri poſſint?* 537
Virgæ *aurea Geſneri in calculo uſus.* 525. 526
Virgilianarum *ſortium exemplum* 233
Virgulæ *divinatoria damnata.* 422
Vita *quatenus contemni poſſit?* 234
Vitrioli *Martis Tinctura Tartariſata vires in malo hypochondriaco.* 523
- - - *Saturniſata præparatio.* 525
Vitriolum *album & viride ſpecifice non differunt.* 513
Vitriolicæ *aquæ dantur in Anglia.* 512
Umbræ *ratio explicata.* 390
Unicornu *foſſile quid?* 520
Vomitus *nephritici & colici differentia.* 522
Vortices *Carteſiani.* 536
Voſſii (*Iſaaci*) *de Oraculis Sibyllinis ſententia exploſa.* 16
Voſſius (*Gerh. Jo.*) *notatus.* 487
Urbani *VIII Bulla contra Janſenium in controverſiam vocata.* 291
Urbium *olim in Imperio Romano variæ dignitates.* 114
- - *Epochæ ex numiſmatibus explicatæ.* 115
Urſæi (*Honorati*) *fata.* 247
Urina, *muſcis referta, excreta.* 387
- - *percolatione in renibus elaboratur.* 495
Uteri *poſitura obliqua partus difficilis cauſa.* 282
- - *rectus & pravus ſitus quis?* 283
Uterus *gravidarum non extenuatur.* 282
- - *loco moveri poteſt.* 283
Utinum *num olim Forum Julium?* 268
Walſinghami *erga Eliſabetham Angliæ Reginam fides.* 272
- - *Regulæ Politicæ ſæpius editæ.* 330
- - *Epiſtolæ hiſtoriam rerum Anglo-Gallicarum ab A. 1570 ad 1581 exhibentes.* 331
Wilhelmus *Haſſiæ Landgravius hoſtis Formulæ Concordiæ.* 61
Zerdushti, i. e. *Zoroaſtris patria incerta.* 409
- - - *ſcripta.* 410
- - - *notitia de Meſſia.* 411
Zonarum *quadrabilium omnium Cycloidis determinatio generalis.* 170
Zoroaſtris *vita.* 490. *vide Zerdushti.*

* * * * * * * * *

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google